616-697

JOHANNIS MUNNICKS,
DOCTORIS
ET PROFESSORIS MEDICI;

CHEIRURGIA,

AD

PRAXIN HODIERNAM

ADORNATA.

IN QUA

VETERUM pariter, ac NEOTERICORUM
Dogmata dilucidè exponuntur.

M 92



AMSTELODÁMI,
Apud LUDOVICUM MALCOMESIUM.

M. DCCXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS NOBILISSIMIS,

Graviſſimis, Ampliſſimis,

D. JOANNI BORRE

van AMERONGEN, JCto,

Supremi Fœderatorum Belgarum Senatus, qui Hagæ comitum eſt, nuperrimè membro.

D. ARNOLDO SPOOR, JCto,

Illuſtrium Ordinum nomine ad Cameram rationum hujus Provinciæ quondam delegato,

CONSULIBUS;

Nec non inclito Reipublicæ Ultrajectinæ Senatui, Academiæ Curatoribus,

JOH. MUNICKS, S. P.

NOn ſelectum quidem ILLUSTRISSIMI PROCERES, ſed per ſtudiorum laxamenta concinnatum qualecunque hoc opus, & ſiſtere vobis, & ad judicii veſtri ſolem examinare, tam officii mei ratio, quam debita ſummis veſtris meritis obſervantia poſtulabat. De Cheirurgia enim agitur, Artis Medicæ parte cum antiquiſſima

Digitized by Google

tum maximè certa & evidente : namquè in aliorum morborum curationibus quum dubitari possit, secunda valetudo Medicinæ, an corporis beneficio contigerit ; in hac parte, quæ manu curat, evidens est, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere ; imò nonnunquam in totum pendere. Hæc nihilominus, haud absquè summa injuria, sequioris ævi temporibus à Medicina ità sejuncta fuit, ut si redirent prisci Rei Medicinæ antistites, artem hanc, tanta cum industria ab ipsis excultam, tam mutilam; nunc, & à corpore suo divulsam, deplorarent; ac in ipsa Medicina Cheirurgiam quærent, eamque exulantem omni studio revocandam restituendamque prædicarent, contenderent.

Quidquid hujus est, in chartarum harum angustias contractum, vestris oculis subjicere non dubitavi. Dedi equidem, quod hoc quidem tempore optimum videbatur è literario meo proventu publicam in lucem prodere. Cætera benevolentia vestra commendabit, qua me publicis Academiæ vestræ muneribus admotum, non promptè minus suscepistis, quam constanter hactenus fovetis.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO,

CHEIRURGICAM ARTEM AMANTI. S.

HAud immerito actum agere videar, quod potest tot laudatissimos auctores Cheirurgiam scribere voluerim. Sed quamvis hoc viri multi, ingenio præstantissimi atque in praxi versatissimi, tentaverint; non tamen, quod Pace ipsorum dixero, ob multa antehac obscura admodum, id hactenus peregisse videntur. Multum egerunt, *inquit Seneca*, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multum adhuc restat operæ, multumque restabit. Neque ulli nato, post mille sæcula, præcidetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi. *Cum itaque ab aliquot retro annis, major in Medicina lux affulserit, multò felicius hoc beato nostro sæculo tentari id posse existimans, manum operi admovi, atque cheirurgicam praxin, demptis ubique supervacuis, propositisque solis necessariis, in ordinem redigere constitui. Desudavi multum, ex veterum pari-*

Digitized by Google

ter, ac recentiorum fundamentis, ita librum hunc conscribere, ut in arte provectioribus non solum, sed & ipsis posset inservire tyronibus. Quod an consequutus sim, aequissimo tuo judicio lubenæ committo. Vale, & nostris laboribus fruere.

Digitized by Google

IN LIMATUM ET TERSISSIMUM

OPERIS CHIRURGICI CODICEM,

Auctore Clariſſ. Medico.

JOHANNE MUNNICKS,

Anteceſſore Ultrajectino.

QUiſquis es, appropera, totumque huc mentis acumen,
Dirige, qui penitus vulnera noſſe cupis.
Vulnera non animis & amantum infixa medullis.
Qualia vel flaccus, naſo vel ipſe tulit;
Sed nimium fœdâ ſtillantia vulnera tabe,
Cum ferrum, aut ferro ſævior ignis agit;
Urenduſque jacet, qua parte eſt ſaucius æger,
Aut trepidus miſerè membra ſecanda dolet:
Sævities nihil iſta nocet, corpuſque jacentis,
Ne pereat totum, pars bene parva perit.
Omne quis unguentum, ruptos quis turpiter artus,
Oſſaque quis memoret fracta, quis omne malum?
Singula charta VIRI ſurgentis ad alta loquatur,
Sunt nimis à curis hæc aliena meis.
Caſtor gaudet equis, enarrant vulnera miles
Et Medicus, ventos navita, paſtor oves;
Mille ego prudentum volvo reſponſa, tuaſque,
Roma vetus, leges explicuiſſe meum eſt.
Ne me ſcire juvat, quid ſint gangræna, tumorque,
Quid cruor, & ſanies, cumque liene jecur.
Scire tuum majus ſcis eſſe, ubi, docte Machaon,

Digitized by Google

Extinctos habili ſcis ſecuiſſe manu.
Rimaris parvum diſſecto in corpore mundum,
Nexaque demonſtras ordine cuncta ſuo.
Quanta Dei ex uno laus nata cadavere, quantus
Numinis ex ipſo pulvere ſurgit honos!
Copia quæ rerum, quantus tibi militat uſus,
Agmina morborum quantaque quotque domas!
Principiis prudens obſtas, languentibus adſtas
Ipſe vigil: vigiles debilis æger amat:
Inde fit, ut Medica tot febribus arte fugatis,
Famæ etiam claris propipiare rotis.
Laurus eat circum crines gaudentis, & ævo
Stet longo, patriæ, te medicante, ſalus.

L. v. POLL.

JOHANNIS

Digitized by Google

JOHANNIS MUNNICKS

DOCT. ET PROF. MEDICI

PRAXIS CHEIRURGICÆ

LIBER PRIMUS

DE

TUMORIBUS PRÆTER NATURAM.

CAPUT PRIMUM.

De Tumoribus in genere.

TUMOR Græcis ὁ ὄγκος corporis eminentiam sonat. Hæc autem consideratur, vel secundum naturam, ut in capite, ventre, junctu ris, cæteris. Vel naturæ modum excedens, quemadmodum in Mammis lacte turgentibus, & in Ventre Mulieris prægnantis. Vel præter naturam, ut in omni Tumore nonnaturali actione lædente.

II. Hippocrates generali nomine quemcumque tumorem οἴδημα vocare consuevit, *Aphor.* 34. *sect.* 4. & 37. 6. ac passim aliis in locis. At potius cum Galeno nobis Oedema erit tumor peculiaris, mol- Tumoris nomen.

Digitized by Google

lis ; non dolens, quiquè prementis digiti vestigium seu foveam exibet Arabe omnem omninò tumorem Apostema nuncupant quæ tamen vox apud Græcos, significatione multò contractiore, solum Abscessum, *hoc est*, collectæ materiæ in pus, aut in alienam substantiam conversionem denotat. Igitur Apostematis seu Abscessus est angustius nomen, quam Tumoris, quia omnis abscessus est tumor, non contra.

Definitio

III. Galenus porrò Tumores modò inter morbos partium similarium recenset, alibi inter morbos organicos collocat, alibi ad continui solutionem refert. Verùm Avicenna in tumore omnis generi morbos reperiri statuit; ac proindè morbum esse compositum, unde tot tumoris definitiones promanarunt, ut videre est apud Galenum *lib.* 13. *Meth. cap.* 1. Tagaultium *lib.* 1. *de tumor. pr. nat. cap.* 1. Eustach. Rudium *lib.* 1. *de tumor. pr. nat. cap.* 2. Aquapend. *Chirurg. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. Pigræum *prax. Chir. lib.* 3. *cap.* 1. aliosque. At verò si rem rectè perpendamus, significatumquè vocabuli tumoris & ὄγκος consideremus, ac tumoris essentiam per se contemplemur, Tumorem definiamus, quod sit *morbus in quo corporis nostri partes à naturali statu magnitudine auctâ recedunt.* Vel simpliciter dicamus, *Tumorem præter naturam esse partium extuberantiam justò majorem*, atque adeò esse morbum figuræ, in magnitudine aucta.

Generales tumorum causæ.

IV. Ut autem propiùs intelligatur modus, quo plerique tumores excitentur, considerari debent 1. *Materiæ affluxus*, qui si non adsit, non datur tumor; verb. gr. si cadaver fustibus excipiatur, nullus oritur tumor, quia sanguis, aliiquè humores in eo non fluunt, sed condensati ac coagulati sunt; Sin verò fustigetur corpus vivum, in-

Digitized by Google

gentes oriuntur tumores, viz. ex sanguine in parte contusa fluido, & nunc propter contusionem ibidem stagnante, 2. *Transitus impeditus*; etenim si via circulationis sit aperta, partibusque aliis communicetur, numquam fit tumor, 3. *Infarctio* seu *Inhæsio materiæ*, quæ insolitam in magnitudinem partem distendit.

V. Similiter Guido de Cauliaco, Tagaultius, Pigræus, & plures alii, unanimiter statuunt Causas tumorum efficientes esse fluxionem & congestionem. Est autem Fluxio humoris in corpore motus ad aliquam partem, quæ eumdem quantitate aut qualitate peccantem, sine sui læsione recipere non potest. Hinc sequitur, Fluxionem fieri aut parti mittentis robore, aut recipientis imbecillitate: Etenim in imbecilliores sese exonerare solent partes robustiores. Congestio verò est excrementorum in parte aliqua collectio, ob ejusdem partis imbecillitatem. Per hanc congestionem ferè frigidi tumores semper fiunt; calidi autem fluxione.

Speciales tumorū. causæ.

VI. Speciale autem tumorum causæ, ut morborum omnium, sunt externæ, vel internæ. Externæ variæ sunt, viz. ictus, casus, crapula, motus longior aut vehemens, & similes. Enimvero cum quis ex alto ceciderit, aut baculo percussus fuerit, aut ab animali demorsus, si Flore Liberi Patris largiter sit perfusus, facilius in hujus vel illius partis tumorem incidet. Internæ tumorum causæ duæ sunt, Plenitudo sc. vel impuritas, *hoc est*, Plethora, vel Cacochymia. Inflammationes Plethora gignit. Cæteros tumores Cacochymia. ferè producit, ut Cacochimia Biliola Tumores Biliosos Pituitosa. Pitnitosos, Melancholica Melancholicos, & sic porro.

Tumorum differentiæ.

VII. Differentiæ verò ac varietates tumorum

Digitized by Google

præter naturam ſumuntur à natura illius, quod influit, ut Phlegmone naſcitur à ſanguine ſubacido, volatili; at quantitate magis quam qualitate peccante Eryſipelas fit è ſanguine bilioſo, tenui, fervido. Oedema tumor eſt ex humore pituitoſo, ſeroſo. Scyrrhus tumor ab humore terreſtri, craſſo, melancholico.

VIII. Alii tamen dividunt tumores in calidos, aut frigidos. Calidos appellant qui fiunt ab humore calido, ſanguine, aut bile. Frigidos, qui ab humore frigido, pituitoſo, aut melancholico. Hippocrates omnes calidos tumores appellat Inflammationes, neque id abſquè ratione; ita Eryſipelas nil aliud eſt, quam Phlegmone à ſanguine tenuiore, fervidiore, dicto bilioſo.

IX. Tagaultius, Gormelenus, Severinus, tumorum differentias petunt ex quantitate, unde tumores dicuntur magni, mediocres, parvi; qualitate, hinc calidi, frigidi; ſubſtantia, ut molles, duri; ſymptomatibus, colore viz. & dolore, unde albi, nigri, lividi, rubri dolentes, indolentes; partibus affectis, hinc Ophthalmia, Peripneumonia, Pleuritis; Materiâ, à qua dicuntur ſanguinei, bilioſi, pituitoſi, aquoſi, flatulenti, melancholici. Quæ tamen omnes differentiæ inutiles ſunt, quia non mutant formam tumoris, nec novam ſpeciem conſtituunt; ſique tumorum differentiæ ita eſſent conſiderandæ, plures eo referri poſſent, uti ad Phlegmonem Carbunculus, ad Eryſipelas uterque Herpes, exedens atque miliaris, &c.

Tumorum ſigna diagnoſtica.

X. Sed Curationis principium cum ex ipſius morbi cognitione maximè pendeat, Signa præprimis conſideranda ſunt, tum diagnoſtica, tum Prognoſtica. Itaque tumores aut in internis ac occultis partibus ſunt aut in apertis & externis. Qui in occultis oriun-

Digitized by Google

tur partibus, ex perfecta partium cognitione maximè deprehenduntur. Verum in apparentibus partibus tumorem esse, ex partis tumentis cum se ipsa, naturali statu & dispositione prædita, collatione cuique deprehendere promptum est. Etenim è partis extensione, dolore, rubedine, calore, duritie, &c. tumorem adesse facilè cognoscimus: melius tamen hæc in specie, quam in genere exponuntur.

Tumorum signa prognostica.

XI. Futurum autem tumorum exitum, aut conversionem, ex ipsorum differentia; materiæ sc. benignitate aut malitia, tenuitate aut crassitie, caliditate aut frigiditate, similibusque qualitatibus: item ex partis affectæ natura; robore pura, aut imbecillitate; nec non corporis universi dispositione deprehendimus. Sic tardioris sunt curationis tumores ex humore pituitoso, crasso, melancholico producti: Periculosiores, qui è sanguine acri-salino, aut bile generantur; qui partes occupant internas; qui circa vasa majora, articulos, nervos, parteſque membranosas & tendinosas se exhibent; quique insignis sunt magnitudinis, & in corpore cacochymico sese produnt.

XII. Solent verò quatuor potissimum modis terminari tumores; Nimirum Dissipatione seu Resolutione, Suppuratione, Induratione, Degeneratione in Gangrænam & Sphacelum. Dissipationis seu Resolutionis futuræ signa sunt, levitas membri affecti, deficiens pulsatio, tumoris, febris, cæterorumque symptomatum imminutio, emplastrorum vel cataplasmatum mador, haud secus ac si rore essent perfusa. At Suppurationem futuram indicant, dolor internus, pulsatio, calor, & febris increscens, juxta Hippocratem *Aphor.* 47. *sect.* 2. Circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quam ipso facto. Suppurationis autem, quæ fit, & facta est, notæ versibus hisce contineri videntur.

Digitized by Google

Duritiesque longa, pulsus, dolor, & calor, aucti
Signant pus fieri, sed factum, dicta remissa
Sub digitis undans, albescens pars & acuta.

Enimvero factæ suppurationis seu abscessus indicia sunt, partis affectæ levitas, remissio vel ablatio doloris, caloris, tensionis, pulsationis, ac duritiei tumoris. Tumor eminentior fit, & in mucronem subducitur, ac elevatur. Acuties præterea fit erosâ nonnihil cute, quam pus sensim corrodit, donec perforet.

Indurationem verò, quam nimius Repellentium, aut immodicus Resolventium usus non rarò relinquit, indicant tumoris imminutio, & cum hac remanens durities.

Cæterum Degeneratio in Gangrænam ex nativi caloris deffectu, dignoscitur ex affectæ partis lividitate, aut nigredine, quibus nonunquam graveolentia accedit. Hisce tamen Signis febres ingentes, dolores, inquietudines, vigiliæ, aliaque prava symptomata plerumquè præcesserunt.

XIII. Denique tum ad Diagnosin, tum ad Prognosin plurimum considerare juvat Tumorem tempora, quæ quatuor sunt; Principium nempè, quum pars intumescere incipit; Augmentum, quum intumescentia, dolor, cæteraque symptomata augentur; Status in quo symptomata summo in vigore consistunt, nec in pejus vergunt; Declinatio, cum ea imminuuntur. Hæc autem tempora considerare maximè necessarium est, quoniam remedia, quæ in principio prosunt, nocent in augmento & statu; & vicissim quæ prosunt, nocent in principio.

Tumorum generalis curatio.

XIV. Ut autem tumor præter naturam ritè curetur, perpendendum, eum aut nunc fieri, aut jam factum esse, adeoquè duplicem hic occurrere indi-

Digitized by Google

cationem ; affluentis ſc. Humoris averſionem, atque materiæ, quæ influxit, evacuationem. Et quoniam cauſarum remotio fluxionem inhibet, ſi propter totius corporis plenitudinem humor fluxerit, ipſam Venæſectione, ſi vires & aliæ indicatione permittant, item Cucurbitulis, Frictionibus, Balneis, Exercitatione, Inedia tollemus : Cacochymiam verò convenienti purgatione, ſive per alvum, ſive per *corp*oris habitum, ſive per alias vias, pro peccan*tis* humoris natura, evacuabimus.

XV. Altera indicatio, quæ evacuare docet, locum habet & in tumore qui adhuc fit, quatenus ejus aliquid jam factum eſt, & in eo qui omninò factus eſt. Etenim quod in loco aliquo præter naturam continetur, id ſui ablationem indicat ; quo fit, ut vacuatâ materiâ tumorem faciente, curetur tumor. Vacuationem vero duobus modis moliri debemus : priori quidem Repellentibus humorem ad alias partes transferendo ; in quorum uſu tamen aliquot caſus meritò excipiuntur, in quibus repellere non licet.

1. Si ad emunctoria fluxio fiat, in glandulas puta ſub axillis, in inguinibus, pone auriculas, in collo, repellendum non eſt ; quia humores excrementitios, quibus onuſta eſt, eo ablegare ſolet natura. Atque ex intempeſtivo uſus Repellentium ad emunctoria applicatorum mortis periculum aliquandò fuiſſe, memorabile affert exemplum Fabricius Hildanus *obſerv. Chirur.* 78. *Cent.* 3.

2. Repellentibus uti non licet, cum fluxionis materia ſit maligna, ut in Bubone gallico vel peſtilenti, Anthrace, in morſu canis rabidi, ſerpentis, ſcorpionis, aut alius cujuſdam animalis venenati.

3. Neque Repellendum ſi fluxio ſit critica, niſi fortè feratur ad partem nobilem, qui à naturæ benè

Digitized by Google

operanti motum contrarium moliri non oportet; & si sufficiens non sit is naturæ motus, eam potius juvare, & ad partem affectam propellere debemus. Huc referri possunt affectus cutanei, ut pruritus, scabies, impetigo, lepra varioiæ, morbilli; quia fiunt per modum crisis naturâ ex interioribus in corporis habitum onus deponente.

4. Quum à contusione, similive causa fluxio fiat, parti contusæ non admovendum Repellens, sed potius Defensivo supra partem affectam applicato, ea præmuniatur.

5. Cum humor multus sit, & crassus, abstinendum à Repellentibus, quia magis densaretur. Atquè hinc tumoribus, qui à congestione fiunt ea non conducunt, quod nulla fiat fluxio, peccansque humor crassus sit, & frigidus.

6. Abstinere debemus à Repellentibus, quando fluxio excitatur in corpore Plethorico, aut Cacochymico; sed Venæsectione Plenitudo prius imminuenda est, ac Cacochymia per convenientem Purgationem tollenda. Similiter quando fluxio fit juxta vel ad partem nobilem quemadmodum in inflammatione faciei, oculorum, &c, non adhibenda sunt repellentia.

XVI. Altero modo evacuamus materiam foras educendo digerentibus, Sucto, Sectione, Scarificatione, Cucurbitulis, & similibus. Sed in utraque evacuationis specie ad tumoris, ipsius materiei quantitatem & qualitatem, atque ad partis affectæ naturam attendere oportet: alio namque modo tractari debent tumores sanguine, alio modo ii, qui aut humoris bilioſi, aut pituitosi ac serosi, aut melancholici soboles sunt.

XVII. Igitur diversimodè, profluentis humoris natura, tumores curari debent. In fluxioni, Principio, non omissis Purgatione & Venæsectione,

Digitized by Google

si ob vias laciores videatur humor sæpius ad aliquam partem ruere, Defensivó intercipiatur fluxio. Eum in finem familiare est Cheirurgis Emplastrum defensivum: vel cum ovi albumine & oleo rosaceo agitant bolum armenum, aut sanguinem draconis, atque inde Cataplasma conficiunt, quod Defensivum vocant. Huic instituto satisfaciet itidem Unguentum album simplex, aut Unguentum Comitissæ: conducit etiam vulgare Oxycratum, vel Oxyrhodanum. *Si vero* intolerábilis cruciatus proritarit fluxionem, anodyno dolor mitigandus, impositó v. gr. cataplasmate ex mica panis albi in lacte dulci decocta, addito pulvere croci, vel simili.

XVIII. In Augmento equidem, cum manifestè pars intumuerit, ac symptomata, qualia sunt duricies, calor, dolor, pulsatio, febris, ingravescant, neque potuerit Revellentibus. Phlebotomia, neque Repellentibus, ut oxycrato, similibusve impediri tumoris incrementum, tentanda est Resolutio, si modo humor non admodum multus & crassus resolvi queat.

XIX. Sed quandò resolvi nequit humor, in pus ut vertatur necesse est, præcipuè quum in vigore & statu tumor existit. Pus vero fieri cognoscimus ex vehementia symptomatum antea commemoratorum. Juvatur autem puris generatio admotis suppurantibus.

XX. Facto pure mitescunt accidentia: remittit calor, dolor, tensio, febris. Adhæc prementibus sub digitis puris fluctuatio percipitur, pars albescit, & in acumen tendit pure crassiore subsidente, tenuiore in pyramidis formam ascendente. Aliquandò tamen Signis hisce difficillimè cognoscimus pus confectum esse, quando vel cutis valde dura est, vel pus in profundo delitescit.

XXI. Igitur cum certis colligere liceat indiciis

Digitized by Google

pus probè confectum esse, aperiendus abscessus, vel Ferro, vel Cauterio potentiali, quod optimum è fortissimo conficitur lixivio. Attendendæ vero, & considerandæ in apertione hæ conditiones.

1. Ut sectio eo loco fiat, ubi purulenta materia continetur.

2. Ut fiat in loco inferiori.

3. In musculis ut fiat secundum ductum fibrarum motricium.

4. Vitentur venæ, arteriæ, nervi, vasa lymphatica, quantum fieri potest.

5. Ut non omnis purulenta materia simul educatur, præsertim in magnis abscessibus, ne ex subita & nimia inanitione, ac Spirituum resolutione, virium sequatur prostratio.

6. Ut apertus abscessus blandius tractetur, & ne validè comprimatur.

7. ut facta apertione dolor imprimis leniatur, dein ulcus detergeatur, hinc carne impleatur, tandem ad cicatricem perducatur.

Non tamen suppuratio in malignis tumoribus semper expectanda, absque tardare in iis, ut in Bubone Venereo & pestilenti, sæpè periculosum est; sed aperiri plerumque debent, vix dum incipiente suppuratione, ne virulenta retrocedat sanies.

XXII. Ambrosius Paræus *Chir. lib. 7. cap. 5.* in Apostematum Curatione tria *inquit*, „ veniunt considerandæ Primum est, Essentia, Apostematis. Secundum, Qualitas humoris Apostema committentis. „ Tertium, Partis obsessæ temperie. Prima indicatio „ ab essentia, hoc est, tumoris magnitudine aut „ exilitate ducta, curandi rationem variat. Secunda „ itidem ab humoris natura ducta, curandi quoque „ consilia immutat: aliter namque Phlegmone, aliter Erysipelas curatur, & sic porrò. Tertia indicatio à natura partis, in qua tumor residet, sumi-

Digitized by Google

„ tur: alia namque remedia partibus carnosis, alia ner-
„ vosis conveniunt; alia Oculo, alia Gulæ aliaCollo,
„ alia Emunctoriis admoveri debent, &c.

CAPUT II.

De Phlegmone seu Inflammatione.

I. QUæ de Tumoribus præter naturam in genere superiori capite dicta sunt, singulis tumorum speciebus ac differentiis nunc accommodemus. Initium autem ab *Inflammatione* faciemus, quia hæc frequentissimè accidit, & pluribus aliis affectibus supervenire non raro consuevit.

II. Antiqui omnem calorem, naturæ modum excedentem appellabant Inflammationem, & hanc duplicem faciebant φλόγωσιν και φλεγμονὴν Igitur sicca illa Inflammatio, in qua citra ullius humoris defluxum calor parti insitus excitatur, φλόγωσις Græcis Latinis *Exarsio* appellatur, estque propriè incipiens Inflammatio. Sed *Phlegmone* dicitur, 1. de quovis tumore calido, & eo respectu est calidorum humorum defluxio, sanguinis nempè puri, volatilis, aut biliosi, tenuis, fervidi, ut complectantur Erysipelas, Herpes, & similes tumorum species. 2. de ea inflammationis specie, quæ nomine generis absolutè & usitatè Recentioribus dicta est *Phlegmone*; Tumore nimirum à sanguine puro, eoquè mediocri, seu temperato.

Phlegmonis definitio.

III. Est ergo PHLEGMONE seu INFLAMMATIO, rubescens, renitens, dolorificusquè Tumor. Vel potius dicatur, Tumor præter naturam è sanguine in cutem & subjectos musculos effuso, calorem, rubedinem, dolorem, pulsationem, & tensionem excitans.

IV. Distinguitur porro Phlegmone in exquisitam, & non exquisitam seu spuriam. Exquisita dicitur,

Digitized by Google

quando purus sanguis extra sua vasa in aliquod membrum effusus est, eique inhærens alteratur, & incenditur, Non exquisita appellatur, quæ fit ex sanguine minus puro, sed hoc vel illo humoris genere abundante, unde Phlegmone Erysipeladotes, Oedematodes, Scyrrhodes.

Phlegmonis causæ.

V. Ideoque Phlegmonis causa habita semper fuit, vel purus sanguis extra sua vasa effusus, vel permixtione aliûs humoris inquinatus, qui non solummodò in cutem, sed in subjectam quoquè carnem tandem confluxit. Quum enim venæ arteriæque majores immodicâ sanguinis copiâ distenduntur, gravatæ in minores quasi onus deponunt, atque hæ demum in minimas, tumque per minima illarum oscula sanguis, quæ cohiberi nequit, effluit, ac in vacua illabitur spatia, quæ inter fibras sunt primorum organorum præcipuè musculorum, arteriarum, venarum nervorum, atque membranarum. Quæ partes dum fluxione perfunduntur ac implentur, copiâ distentæ quasi divelluntur, ferventisquè sanguinis ardore incalescunt, ac dolorem excitant: Sanguinis quippè extra vasa collectus, nec liberè circulare potens, necessario putrescit, ac incenditur.

VI. Verum enim vero sanguinem licet veluti causam tumori huic enodando plerique assignent Auctores, tamen fiendi modum plurimi tacent; quem inter Veteres aliquatenus exprimit, Doctissimus Fernelius *lib. de exter. corpor. affect. cap.* 2. quando dolorem ex calore; hunc ex vehementi Inflammatione illam à sanguine non in solam cutem, sed & in subjectam carnem impacto, & ex venis eò confluente oriri contendit, &c. Hìc quamquam causam attribuat fluxioni vasa distendenti, quæ distentio à Plethora ad vasa oritur; equidem credendum non est, omnem omnino inflammationem à solâ sanguinis copia fieri, cui ratio & experientia quoque contrariantur. Enim-

Modus quo inflammatio fiat exponitur.

Digitized by Google

vero in plethora cruor tali modo vasa distendit, permeatque, ut suâ sponte carceres suos non perfringat, nisi aliud quid accedat, quod sanguinis motum retardet, quodque stagnationem, effusionem, atque adeo Inflammationem moliatur. Cl. Sylvius *Praxeos Medicæ lib. 1. cap.* 40. incendi sanguinem, & Inflammationem oriri arbitratur, quatenus ex ipso in vasis suis valdè distentis, & aliis quibusvis partibus subsistente, *hoc est*, stagnante mox incipiunt evanescere partes spirituosæ, magisque volatiles & subtiles, tum accidas, tum salinas temperare solitæ, unde utræque acriores factæ acrius in se mutuo insurgunt, efferveſcentiamque ob particulas sanguinis oleosas calidam excitant, quin paulatim sanguinem ità corrumpunt, ut in pus vertatur, & quidem pro sanguinis corrupti varietate planè varium ubi satis clarè acidum accusat minus temperatum, partibusquè spirituosis volatilibus illud temperantibus privatum.

VII. Ex dictis ità que constare videtur, sanguinis in minoribus vasis stagnationis, hinc ejus effusionis, indequè ortæ Inflammationis, primam esse causam. *Plethoram ad vasa*, vel ex obstructione vel compressione. Enimvero venæ cum nunc à sanguine, nunc à pituita in ipsis coagulatis ac concretis obstruuntur; vel ab aëris externi frigore, aut potenter adstringentibus medicamentis admotis constringuntur, tunc plus sanguinis per arterias influit; quam per venas nunc obstructas vel compressas refluere potest; hinc Cruor paulatim collectus, eadem vascula magis, magisquè distendit, & ità quidem, ut reseratis eorumdem osculis, exitus ipsi patefiat; unde tunc (quoniam sanguis ex arteriis in venas non per anastomoses, sed per intermediam partium substantiam, *hoc est*, carnium tubulos seu poros circulatur) is necessario extravasatur, ac in vicinarum

Digitized by Google

partium ſubſtantiam effunditur ; ubi copiâ mediocri ſaltem collectus, modo nunc expoſito, mox excindeſcit, & caloris ſenſum moleſtum in parte ſenſili producit, quæ mutatio *Inflammatio* vocatur.

Symptomata pleriſque inflammationis ſpeciebus ſupervenire ſolita.

VIII. Sequuntur nunc ordine Symptomata pluribus Tumoribus communia, qualia ſunt Dolor, Tenſio, Pulſatio, Rubedo, Febris perpendenda. Et ſanè Inflammationi plerumque conjunctus eſt *Dolor* propter peccans acidum acidius ac volatilius, efferveſcentiam inordinatam primo ſanguini, dein membranoſas partes vellicando dolorem inducens. Dolorem excipit *Tenſio* ab affluxu ſanguinis in partem ſubjectam, quem venæ recipere nequeunt, ſed potius continuo novum ſuppeditant, unde Tenſio oritur. Hanc ſequitur *Pulſatio* ab inteſtina cruoris efferveſcentia præternaturali, obſtructis vel compreſſis vaſis, incipiente tandemque ebullitione ſanguinem in pus præcipitante, quæ poſtmodum ceſſat. *Rubedo* oritur ab extravaſato & excandeſcente ſanguine per cutem ac cuticulam tranſparente: altius enim impreſſus per muſculos, cutemque vix tranſparet, ac minorem inducit ruborem, qui tamen pro ratione ebullitionis vel efferveſcentiæ ſanguinis vel accreſcit, vel decreſcit. Cæterum *Febris*, quæ non rarò adeſt, vel primaria eſt, vel ſymptomatica; Viz. à ſanguine acido, vel aliter depravato, atque hinc in parte Inflammata ſtagnante, unde motus ejus vitiatur, ac inordinatior fit.

Signa phlegmonis diagnoſtica.

IX. Signa porrò, quibus dignoſcitur hic affectus, ſunt membri inflatio, rubor, calor, dolor, profunda pulſatio, moleſtaque tenſio, & alia ejuſmodi, quæ ſanguinis abundantiam & extravaſationem apertè arguunt.

Prognoſtica.

X. Hæc verò partium externarum Inflammatio à multis morbis liberat partes internas, adeòque ſalutaris plerumquè; niſi extenſione Gangrænam produ-

Digitized by Google

xerit. Periculosa equidem & difficilis curationis est Inflammatio, quæ Oculos, Fauces, Penem, Muliebre pudendum, Articulosve occupat. In juvene & ætate brevius curatur, tardiùs in corpore pingui, quam macilento.

Quæ in phlegmonis curatione sunt observanda.

XI. Ut autem rectè perfectèque Phlegmone curetur duo imprimis sunt observanda: primum ut causæ antecedenti occurramus: secundum ut causam continentem evacuemus: quibus tertium adjungi potest, ut emendentur symptomata; quæ aliquandò tam sæva superveniunt, ut omnem Medentis curam ad se, neglecto etiam morbo, convertant.

XII. Repellimus ergò, & corrigimus causam antecedentem rectò rerum nonnaturalium usu, & humoris in partem influentis Revulsione.

Victus ratio in phlegmone.

XIII. Rectus rerum nonnaturalium usus in bona Diæta, seu debita accordinata illarum rerum dispensatione consistit. Aër eligatur serenus. Cibus Potusque modicè sumantur, iique refrigerantes, calida quævis, dulcia, Pinguia, ut Zinzibar, Piper, & similia nocent. Nocet etiam corporis motus, imprimis partis læsæ. Conducit somnus moderatus. Obsunt Alvi durities, Venus.

Venæ sectio.

XIV. Quod si bona Diæta, *hoc est*, recta rerum nonnaturalium dispensatio ad humorem, qui in partem affectam influit avertendum, nec satis idonea, nec satis valida fuerit, Venæsectio quamprimùm instituantur, utpote summoperè necessaria, vel ad evacuandum, vel ad revellendum, vel ad derivandum.

Purgatio.

Interim verò dum hæc fiunt, cum rarissimè corpus vitiosis non abundet humoribus etiam per Clysteres, atque Purgantia leviora ritè usurpata sæpè æquè ac Venæsectio iteranda, multùm efficere possumus.

XVI. Alterum autem Medici ac Cheirurgi de evacuanda conjuncta materia consilium versatur in recta Topicorum applicatione, & commoda adminis-

Digitized by Google

tione, *hoc est*, in debita ac tempestiva eorumdem ac partem affectam appositione, diligenter considerando quod sit tumoris initium, quæ progressio, &c.

Quæ topica in inflammationis principio admittenda.

XVII. Remedia igitur quibus in Inflammationis initio uti oportet, sint modicè repellentia, quibus aliquid discutientium admisceatur, ut influens materia arceatur, & quæ nunc influxit leviter interim resolvatur. Quem in finem conducunt Aqua Plantaginis, Solatri, Spermatis ranarum, Rosarum, Florum sambuci, Acetum rosarum, Sambuci, Vinum rubrum adstringens, Saccharum Saturni Camphora, & similia. Abstinendum verò à vehementer adstringentibus: Bolo sc. armeno, Sanguine Diaconis, Acacia, Gallis, Alumine, omnibusque oleosis & pinguinibus, utpote valdè noxiis. Quæ omnia poros obstruendo, adeoque difflationem prohibendo dolorem, calorem, hinc & Inflammationem augent.

XVIII. Sed quanquam incipienti Inflammationis fine imponenda Repellentia, ab iis tamen abstinendum, 1. ubi juxtà partes nobiles est Inflammatio, vel in grandulis, 2. Quandò humores maligni sunt. 3. Quandò criticè expelluntur. 4. Quum fit inflammatio in corpore Cacochymico, quumquè pars affecta debilis admodùm est.

Quæ in inflammationis incremento.

XIX. In incremento, *hoc est*, increscente Phlegmone, quoniam & repellere, & digerere tum oportet, habenda magis ratio humoris influentis, & ejus qui jam influxit. Sic nimirum repellentia admixtis resolventibus & lenientibus erunt temperanda, ut resolventia prævaleant. Fomentum ver. gr. Applicetur ex Malva, Althea, Violaria, Absinthio, Scordio, Ruta Floribus Camomilæ, Melitoti, Sambuci, Rosarum, rubrarum, Baccis juniperi, similibusve in aqua, vel Cerevisia tenui decoctis.

Quæ in statu & declinatione

XX. In statu vero resolventium pondus augeatur, admixtis una anodynis, si dolor molestus admodum sit.

Digitized by Google

sit. Cum autem ad declinationem vergat Inflammatio, vehementius discutere convenit, adeoquè sola discutientia & resolventia sunt imponenda. Quem in finem applicetur sequens, aut simile Cataplasma.

℞. fol. malvæ, althææ an. Mj *sum absynthii flor. camomillæ, meliloti an.* Mß.
Coq. in cerevisia tenui ad mollitiem, dein in mortario contundantur; contusis adde farinæ hordei, fænigraci an ℥iß.
olei anethini ℥ij. *pulv. croc.* ʒß. *M. F. Cataplasma.*

Cataplasmatis loco non minore cum fructu apponatur Fomentum ex suprascriptis discutientibus, additis & aliis, decoctum, cui vel Vinum Gallicum, vel Spiritus vini, prore nata, admisceri potest.

XXI. Quod si Inflammatio ægrè resolvatur, tendatquè in Suppurationem, promovenda erit & acceleranda puris confectio ac generatio. Hoc verò præstant omnia medicamenta Emollientia & Maturentia vulgò dicta, Radices puta & folia Althææ, Malvæ, Liliorum alborum, Branca ursina Flores Camomillæ, Melitoti, Farinæ Lini Fænigræci, Fabarum, Caricæ, Cæpæ sub cineribus assatæ, Unguentum Basilicon, Emplastrum Diachylum, & similia ex quibus commodissimè parari solent Cataplasmata. ex. gr.

Quæ in suppurationem tendente inflammatione.

℞. rad. liliorum albor. rec ent. ℥iij.
caparum sub cineribus assatar. ℥ij.
fol. malv. althææ flor. meliloti an. Mj
caricarum ping. consciss. N. x.
Coq in aqua pura vel cerevisia tenui ad mollitiem; tunc in mortario contusis adde
farinæ seminis lini, fænigraci an ℥iß.
unguenti basilici ℥ij.
M. F. cataplasma.

XXII. Si autem Ægris arrideant magis Unguenta vel Emplastra, nec, à pinguibus lædantur;

Digitized by Google

inungi poterit semel aut sæpius pars dolens litu, ex Unguento Agrippæ, Althææ simplici vel composito, Oleo lilorum alborum, similibusve parato; moxque ei imponi Emplastrum Diachylum cum gummi, ut & Mucaginum.

Confecto pure quæ observanda.

XXIII. Igitur ubi Calor, Febris, & alia accidentia remiserint, quando in mucronem tumor attollitur quum pressione digitorum fluctuantis velut humoris inundatio percipitur, tum intelligere licet pus confectum esse. Quare sine procrastinatione tumor aperiendus erit, ne pus diutius concluſum morâ reddatur acrius, idcòque nocentius, atque ab ipso partes vicinæ magis magisque corrumpantur, sicque ulcus majus sinuosum,& fistulosum fiat. Aperiendus autem est loco commodissimo,*hoc est*,in loco tumoris maximè molli & declivi. Fiat verò apertio aut Cauterio,aut Scalpro Equidem Scalprum Cauterio præferendum puto, præsertim quum tumori inest rubor, ardor, atque purulenta materies calida est.

XXIV. Sed patiens si admittere nolit apertionem, danda opera, ut versus corporis superficiem alliciatur pus quo citius ab ipso perforetur corrosa cutis. Cui usui Cl. Sylvius, *Prax. Medic. lib. 1. cap.* 40. §. 58. sequens emplastrum valdè extollit,

℞. *Mellis optimi farinæ fecaliginis an.* ℥ß.
vitellum unius ovi

Imponantur blando igni, & agitentur ad emplastri consistentiam.

Emplastrum hoc extendatur supra linteum densum, & applicetur parti affectæ, indies renovando.

Possunt etiam Ficus contundi, & Cataplasmatis modo calidæ applicari loco tumoris maximè molli & eminenti, quo sic facilitetur ac promoveatur abscessus apertio.

XXV. Ubi autem multum puris continetur in abscessu, sedulò cavendum, ne omne unâ vice edu-

Digitized by Google

catur, ſed partitim: quoniam Ægrorum vires aliàs non parum proſternuntur: ubiverò parum puris adeſt, nil nocet omne effluere, quod aptum eſt, paratumque ut effluat; omiſſâ preſſione forti & diutinâ multis Chirurgis familiari, à qua nunquam aliquid commodi Ægris evenit, at ſæpiùs multum incommodi.

XXVI. Cæterum factâ & apertâ puri viâ, ad ulceris mundationem & conſolidationem pergendum: in quem finem conducit Digeſtivum ex Therebinthina, melle, & Ovi Vitello, petiis impoſitum, vel applicetur unguentum baſilicum vel unguentum Aureum, vel ſi magis detergendum ſit.

℞. *Therebintinæ venet.* ℥ij. *Farinæ Hordei* ℥ij.
Mellis optimi vel Roſacei ℥i. *Thuris* ℈ ij.
Vitellum unius ovi. *M. F. S. A. Digeſtivum.*

Non nulli laudibus extollunt Deterſivum ex Apio, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. *Succ. apii, plantaginis, betonicæ an.* ℥j.
Mellis optimi, ℥v. *Therebinth. venet.* ℥iiij.
Farinæ Hordei, orobi an. ℥ij.
pulv. aloës, myrrhæ, iridis ſtorent. an. ℥j.
Coquatur mel cum ſuceis, quibus conſumptis addatur farina & pulveres, & omnia miſceantur ad formam Unguenti.

Sin adhuc validius detergere fuerit conſilium, utendum Unguento Apoſtolorum vel ſolo, vel Unguento Baſiliconi admixto.

XXVII. Ubi vero ſatis deterſum eſt ulcus, carne oppleatur, & cicatrice obducatur, adhibitis Medicamentis variis nunc expoſitis, & porro exponendis lib III. de Ulcerum curatione. Hunc tamen in finem vehementer laudat *Balſamum ſulphuris therebinthinatum* Cl. Sylvius *prax Medica lib.* 1. *caput* 40. §. 61. 62. cujus effectus mirabilis ac ferè incredibilis eſt, ſi ejus aliquid ulceri inſtilletur, aut

Digitized by Google

illinatur. „ Mox enim, *inquit*, novi puris generatio „ ità fuit inde diminuta, ut non raro hujus unius Bal„ lami ope intra paucos dies plenè curata fuerint, & „ in Mammis, & alibi excitata post Inflammationes „ Apostemata notabilia.

„ Ex hoc autem experimento, haud parvi pendendo, censui Ulcerum Apostemata consequentium „ Mundationem ac Consolidationem consistere in „ *Correctione puris acidi*, *rodentisque* ulceratæ parti „ adhærentis, atque sanguinem ipsi nutriendæ dica„ tum ex parte saltem corrumpentis, ac in novum „ pus vertentis: *Corrigi* vero illud *Pus* parti affectæ „ adhærens à *Sulphuris Balsamo* laudato, impri„ mis ratione *Olei aromatici* adeoque *sale volatili oleo„ so* abundantis; à quo Spiritus acidus in pure lu„ xurians, quin Sanguinem in pus indies corrumpens „ non tantum obtundatur, sed insuper mitigetur, „ emendeturque, ita ut affluens sanguis parte prius „ consumptas brevi reparet Consolidationem ulti„ mamexpediat.

Accidentium correctio.

XXVIII. Ultimus tandem Curandæ Inflammationis scopus est, ut Symptomata, illam nonnunquam comitantia placentur. Sunt autem ea ut plurimum quatuor, dolor, Durities, Gangræna, Febris. Inter hæc primum locum *Dolor* obtinet, in eoque sedando diligentem esse Medicum oportet. Nam præterquam quod vires prosternit, functionesque debilitat, etiam fluxione ciet, adeoque Inflammationem auget. Igitur imponatur Cataplasma ex mica panis albi & lacti dulci, addito croci pulvere, confectum. Vel

℞. *Flor. Camomillæ, Meliloti, Sambuci an.* Mj. *Coctis in lacte dulci, & in mortario contusis adde Farinæ seminis lini fœnigræci an* ℥ij.
Vitellos duorum ovorum Olei rosacei ℥iß.
M. F. Cataplasma.

Digitized by Google

Quod si Dolor perseveret, nec his cedat remediis, ad validiora confugiendum erit, usurpatis etiam Narcoticis; eâ tamen cautione, ne inde parti inferatur Necrosis. In hoc casu itaque Cataplasmati addantur Folia Hioscíami, Papaveris, Solani, &c.

Duritiei vel *Gangrena* quomodo curari debeant, suis locis sumus dicturi.

Ad curam *Febris* quod attinet, ea ad Medicum potius, quam Cheirurgum spectat: Tolli tamen ut plurimum solet Diæta, Venæsectione, & Medicamentis, quæ in Phlegmonis curatione observandâ modo docuimus.

CAPUT III.

De Furunculo.

FUrunculus latinis *Furunculus* Græcis, Nostratibus (*Een Bloet-vin*) est Tubernaculum in acumen protuberans, cum inflammatione, duritie, rubore, ac summo dolore, ovum columbinum magnitudine non excedens. Similiter C. Celsus *lib. 5. cap. 28.* Furunculum definit, quod sit Tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximèque ubi jam in pus vertitur. Furunculus quid.

II. Species autem Furunculi plures sunt: Alius enim benignus est, ac mitis: Alius malignus, ac vehementius dolens. Idem observavit Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 2.* sic inquiens: „ Furunculorum alius „ est clemens, alius maleficus: Clemens quidem „ cum in sola cute coierit; Maleficus autem, cura„ tuquè difficilis, cum altiùs radicibus actis in cutem „ erumpat. Furunculi species.

III. Fit vero Furunculus è crasso impuro, acidoacri, aliisve modis depravato sanguine, quem natura à reliquo puriore secernens, tanquam infensum & Causæ.

Digitized by Google

inutilem in corporis habitum criticè expellit.

Diagnosis. IV. Signa quibus cognoscitur hic affectus, sunt exigua inflammatio cum pustula, & vesicula sensim increscens, cum dolore, duritie, & rubore cum Statum attigerit, qui paucos intra dies absolvitur. Porro tuberculum in acutum tendit, & columbini ovi magnitudinem non excedit. C. Celsus aliud signum adjungit, dicens. „ Qui ubi adapertus est, & exit, „ super apparet pars carnis in pus versa, pars cor„ rupta subalbida, subrubra, quem ventriculum „ Quidam Furunculi nominant.

Prognosis. V. Idem Celsus *loco citato* docet, in Furunculo nullum esse periculum, etiam si nulla Curatio adhibeatur. Matureścere enim per se, atque erumpere. Sed dolorem efficere, ut potior Medicina sit, quæ maturius liberet.

Dicendum ergo Furunculum periculo vacare, nisi morbo grassante maligno in Anthracem degeneret. Sed quoniam Cacochimiæ soboles est Furunculus, hinc rarò fit quod solitarius erumpat, sed fere multis corpus scateat, atquè inquietur.

Curandi methodus. VI. In Curatione Furunculi, quum humor hujusmodi Tumorem efficiens crassus sit, impurus, acido-acris, & aliquando malignus, nunquam Repellentibus utendum est, sed ex sententia Galeni, & Pauli Æginetæ, Furunculus coquendus appositio Pane masticato, & in Cataplasmatis formam redacto; vel Diachylo cum gallinaceo adipe; vel ex C. Celsi præscripto, Gummi Galbano.

VII. Igitur aplicandum mox emplastrum Diachylum cum gummi, vel quid simile facilè confici potest ut Puris generatio promoveatur & acceleretur, v. gr.

℞. *Picis navalis, liquidæ an* ʒij. *Emplastri Diachylicum gummi* ℥ß. *Gummi Sagapæni* ʒß. *M. F. S. A. Emplastrum.*

Vel.

Digitized by Google

℔ rad. lilior. alb. rec. ℥ij.
caparum ſub cineribus aſſatar. ℥iß.
fol. althææ, flor. camomillæ, melilloti an Mj.
Coctis in aqua pura, vel cereviſia tenui ad molitiem, & in mortario contuſis add: mellis virginei an. ℥ij. *vitellos duorum ovorum* Farinæ Secaliginis unguenti Baſilicon ℥iß. M. F. S. A. *cataplaſma.*

Furunculo aperto, & expreſſo omni Pure, vix ulla ultrà Curatio neceſſaria eſt. Equidem Puris eductio ut facilius fiat, imponendum porrò Emplaſtrum Diachylum cum gummi, cum Unguento Baſilicone, alio quodam mundificativo poſtea Emplaſtrum Diachylum ſimplex, vel Diapalma.

VIII. Sed malignus ſi ſit Furunculus, & ex venenata materia excitatus, malignitas illa priuſquam applicentur remedia, foras trahetur ad motâ cucurbitulâ cum multâ flammâ.

IX. Cæterum ut præcaveatur, ne ſæpius hujuſmodi tubercula infeſtent, præcipiunt Multi, ut Nux Moſchata Mas veſtibus inſuatur. Sed qua vi & proprietate Amuletum hoc ab iſtis Satellitibus immune corpus reddere queat, Sagacioribus expendendum relinquo.

CAPUT IV.

De Epinyctide, & Termintho.

I. AD Furunculum haud ineptè referri poſſunt Epinyctis, & Terminthus EPINYCTIS, ex C. Cleſi, Pauli Æginaræ, & Aëtii ſententia, eſt puſtula peſſima, colore ſublivida, vel ſubnigra, vel rubicunda, vel alba, circa quam vehemens ſuboritur inflammatio cum ingenti dolore, noctu magis affligens, cumque aperta eſt, intus mucoſa

Epinyctis quid.

Digitized by Google

reperitur exulceratio. Color est humori suo similis, ab eaque cruenta emanat sanies, Dicta verò Græcis ὀπινύκτις quia fere semper noctuoritur. Arabes *Essere*, *Sere*, vel *Saire* appellarunt.

Epinyctidis causæ. II Epinyctis haud secus ac Furunculus, è sanguine impuro, acri, maligno, criticè in corporis superficiem expulso.

Diagnosis III. Signa verò quibus cognoscitur Epinyctis, sunt quod pustulæ hæ sua sponte proveniant, colore sint rubicundæ, vel sublividæ, vel albicantes, atqui gravius noctu quam interdiu affligant. Cæterum dolor in Epinyctide vehementior est, quam pro ejus magnitudine, fabâ major non sit: sponte exulceratur, & cùm rumpitur mucosam parit exulcerationem, unde subcruenta emanat sanies.

Prognosis IV. Équidem pustulæ hæ, ex C. Celsi sententia maximè eveniunt in puerili ætate, rarò in medio corpore, sæpè in eminentibus partibus, & verno tempore, suntque nullius periculi, nisi in curando error committatur, quamvis pravos humores in corpore redundare indicent.

Curatio. V. In curatione Epinyctidis, haud secus ac in Furunculo curando, procedendum; viz. Pustula maturanda, & Puris generatio acceleranda, appositis uvis passis contusis; vel imposito cataplasmate ex Uvis passis, carisis pinguibus, & Ruta viridi simul comminutis; vel Emplastro Diachylo cum gummi, cum Unguento Basilicone, vel, ut malignitas si quæ adsit corrigatur, tali Digestivo.

℞ *Unguent. Basilicon.* ℥i.	*Mellis virginei* ʒvj.
Therebinth. venet. ℥ß.	*Olei Scorpionum* ʒiij.
Theriacæ Andr. ʒij	*M. F. S. A: Digestivum.*

Postea ulcus mundetur Digestivo communis; Unguento Aureo vel Basilicone impleatur; atque imposito emplastro Diapalma, vel Styptico tandem cicatrice tegatur.

Digitized by Google

VI. TERMINTHUS autem Tuberculi ſpecies eſt, & Epinyctidi fere ſimilis cui ſuperne & inferne nigra puſtula incumbit, qua ruptâ infernè deſquammatio apparet: diſſecto autem tuberculo pus invenitur. Terminthus quid. &c.

Sed cum Terminthus ex eadem cauſa, qua Epinyctis, *hoc eſt*, ex aduſto, acri & venenato ſanguine fiat, eadem pars afficiatur; hinc eadem curatio ei convenit, idemque Prognoſticum, quod Epinyctidi.

CAPUT V.

De Eryſipelate.

TUmor, qui Græcis ERYSIPELAS, Latinis *Ignis Sacer*, ſeu *Roſa*, Noſtratibus (*De Rooſe*) nuncupatur, ab Auctoribus malè deſcribitur; quod ſit Tumor præter naturam ex Bile ferè in ſolam cutem, quandoque etiam in muſculos ſubjectos effuſa, dolorem, calorem, aliaque ſymptomata cauſante. Si namque ſola Bilis in cutem effunditur Herpes, non Eryſipelas oritur.

II. Sed quum vera Inflammatio, atque adeo Phlegmonis ſpecies ſit Eryſipelas, potius dicendum videtur, quod ſit Inflammatio valde ardens maximèque circa cutem conſiſtens, & aliquando ſubjectæ carnis aliquid occupans, orta ab effuſo, extravaſatoque bilioſo, tenuiore, & ſubtiliore ſanguine, cum tumore vel exiguo, vel ſæpè, quoad ſenſum, nullo; cujus color pallidior, aut magis flaveſcens eſt, quam Phlegmonis, & ſi tetigeris facilè ſanguis ſubterfugit, rurſuſque illabitur exquiſitè tenuis, aſpectuque rubens. Eryſipelatis Diſcriptio.

III. Eſt autem Eryſipelas duplex; verum ſeu legitimum, & non verum ſeu ſpurium. Verum Ery- Differentiæ.

Digitized by Google

ſipelas ſimplex eſt, ſimplici fervore & rubore affectum ſine ulla exulceratione, è ſanguine bilioſo, tenuiore, fervidiore, in quo Acidum volatile prædominatur, genitum. Non verum ſeu ſpurium Eryſipellas trium vulgò habetur generum: Unum quod oritur ex ſanguine bilioſo tenuiore at acri, pungente, & rodente, qui idcircò latam, & aliquandò profundam ſatis efficit exulcerationem: alterum Eryſipelas ſuperium eſt ſine partis affectæ exulceratione; in eo tamen exiguæ ſuccedunt puſtulæ & veſiculæ, quæ nonnihil inciſæ, perforatæque Saniei aliquantulum fundunt: Tertium genus eſt, quod fit quidem è ſanguine tenui, fervido, at ſimul vel copiâ peccante, vel ſerô abundante, vel terreſtribus, acido auſteris, ſimilibuſve particulis redundante, unde Eryſipelas dicitur vel Phelgmonodes, vel Oedematodes, vel Scyrrhodes.

Cauſæ. IV. Igitur verum ſeu legitimum Eryſipelas è ſanguine bilioſo, tenui, ſubtili, fervido, in quo Aciditas volatilis abundat, generatur; qui ex minutiſſimis capillaribus vaſculis exiliens, præ ſua tenuitate & ſubtilitate in interiore carne ſubſiſtere nequit, ſed per extremam cutem, parteſque ei vicinas diffunditur, atque ardentem ibidem excitat Inflammationem.

Eryſipelas à Phlegmone ſit diſtinguendum. V. Ardens autem illa cutis, partiumque proximè ei ſubjectarum Inflammatio, Eryſipelas dicta, à Phlegmone diſtinguitur, 1. Colore; eſt namque Inflammationis color ruber, Eryſipelatis ex rubro flaveſcens. 2. Pulſatione, quæ magna adeſt in Phlegmone, parva vel nulla in Eryſipelate, 3. Tumoris magnitudine; Etenim in inſignem tumorem Inflammatio partem attollit, cum & cutem & ſubjectos muſculos occupet; Eryſipelas verò partem affectam modicè elevat, adeo ut vix appareat tumor, cum cutaneas partes ſolummodo ardens hæc Inflam-

Digitized by Google

matio invadat. 4. Calore, qui major est in Erysipelate, quam in Phlegmone. 5. Dolore, qui in Erysipelate minor est at pungitivus; in Phlegmone tensivus, & gravativus, 6. Duritie & Mollitie; cum inflammatio tactui non cedat, sed renitatur; Erysipelas, verò si tangatur, tactui cedat. 7. Eo, quod rubedo, quæ in Erysipelate adest si digito prematur, statim abeat, & cutis sub digito alba evadat, deinde vero mox redeat eadem rubedo, ob tenuem subtilemque sanguinem, à quo fit Inflammatione verò hoc non accidat 8. Quod in Erysipelate nulla tensio, ut in Phlegmone appareat. 9. Loco affecto; Erysipelas namque loco dimovetur, serpit, & vicinas partes similiter afficit; Inflammatio autem in uno figitur loco, ab eoque nec discedit, nec dimovetur.

VI. Signa itaque, quibus hic affectus cognoscitur, sunt æstus ingens, dolor acris non valdè vehemens, rubedo ad flavedinem tendens, ad tactum ut facilè cedens, ita & facilè radiens, partis intumescentia, ac tensio levis, pulsatio minor; sitque invasio ejus plerumque cum Febre, nisi à causa externa oriatur. Signa Erysipelatis Diagnostica.

VII. Equidem rarò periculosus est affectus Erysipelas, nisi ab exterioribus ad interiora materies repellatur: periculosior verò, si circa oculos. fauces aliasve nobiles partes consistat; aut si vulneri ulceri, fracturæ, luxationi superveniat. Ut autem facilius tutiusque sanetur, resolutione, aut insensibili transpiratione, seu per diaphoresin terminari debet, non suppuratione, quæ in hoc affectu mala admodum est, difficiliisque curationis. Prognostica.

VIII. Ut verò Erysipelas rite curetur, 1. Conveniens instituenda Diæta, atque eadem sex rerum nonnaturalium dispensatio hic observanda, quæ in Phlegmone. Dein Antecedeñ Materia evacuanda Quæ in Erysipelaris Curatione observare oporteat.

Digitized by Google

Cholagogis blandioribus, Venæsectione, ac imp
mis Diaphoreticis iterandis, reiterandisque.

IX. Tertia Cura erit de Medicamentis Topic
Quæ in Principio minimè sint validè Repellenti
Exsiccantia, Adstringentia, quod illorum usu Ma
ria acrior intrò compulsa vicinas partes corrodat,
exulceret. Sed si exiguum fuerit Erysipelas, pars
fecta à nobilioribus remota, humoresque adhuc fl
xerint, applicentur modicè Repellentia, at Reso
ventibus mixta; ne occlusis nimium poris, hinc r
diente nativo calido ferè suffocato, Gangræna a
cedat.

X. Pessimè quoque ægris suis consulunt Chirurg
qui partem Erysipelate affectam inungunt Unguen
Nutrito, de Cerussa, Populeo, Rosaceo; Ole
Rosarum, violarum, similibusve pinguibus; ut po
quæ bilioſum, tenuem, fervidum, atque in part
cutaneas effusum, extravasatumque sanguinem exc
tant magis, incendunt, adeoque ardenti huic In
flammationi maximè adversantur, ut rectè mon
Galenus *lib. 5. de simpl. Med. Facult.* Et scrib
Fabricius Hildanus, *cent. 1. observ.* 82. se observass
Erysipelas ex Olei Rosacei inunctione in Gangræ
nam mutatum fuisse.

XI. Modicè ergò Repellentia, at Resolventi
bus Volatilibusque permixta, quæ simul Acidum vo
latile infringere ac mitigare possunt, hic sunt appo
nenda, v. gr.

℞. *Aquæ florum Sambuci* ℥viij. *Aceti Sam*
buci ℥ij *Spir. vini* ℥iß.
Saccari Saturni gr. xv. *camphoræ* ℈j.
Misceantur pro Epithemate.

Vel

℞. *Aquæ florum Sambuci* ℥viij *Vini albi Gal*
lici ℥iiij. *Misceantur.*

Vel

Digitized by Google

℞. *Aquæ florum Sambuci* ℥vj. *Spiritus vini* ℥j. *camphoræ* ℈j. *Troch. alb. Rhasis* ℈ij. *Misceantur.*

Vel

℞. *Col. Malvæ, althææ, Parietariæ, Salviæ, an,* Mj *Flor. Sambuci, camomillæ an* Mij *Rosarum Rubr.* Mj *coq. in aq. part. ac comm. & Vini albi Gallic. ad* ℥xxx *pro comento.*

Vel decoquantur Flores Sambuci in Lacte Dulci, vel Ebutyrato, & applicentur.

Vel fiat Saccnlus intersutus ex Floribus Sambuci, isque in Aqua Florum Sambuci, tantillo Aceti Sambucini addito, madefactus iterumque leviter expressus calidè parti affectæ applicetur, & sæpius renovetur.

Vel dissolvatur Sapo Venetus in Aqua Pluviali, vel Florum Sambuci, atque isto lixivio imbuantur panni lanei mundi, qui dein fortissimè exprimantur, & parti affectæ calidi applicentur, ac identidem permutentur.

Sunt qui Stercus ovillum in vino aut aceto decoctum usurpant.

Alii laudant cretam pulverisatam ope chartæ empotericæ parti impositam.

Nonnulli Spiritum Vini, in quo Theriaca dissoluta est, linteis duplicatis aut quadruplicatis imponunt.

XLII. Sed remediis hisce si Erysipelas curari nequeat, quin potius exulceretur, hoc vel simile illinatur Unguentum. Erysipelas quando exulceratur, quid agendum.

℞. *Troch. albor. Rhasis, Tutiæ præpar. an* ʒj *Lithargyri* ʒiß. *ceruss.* ʒij. *Flor. Sulphuris* ℈j. *camphoræ* ℈ß. *Olei Rosarum* ℥ij. *cera albæ q. s.*

Terantur diù, & exacte lavigentur in Mortario plumbeo, ac F. S. A. *unguentum.*

Digitized by Google

XIII. Sin vero in Facie fuerit Erysipelas, nulla apponenda sunt Repellentia vel Adstringentia, ne quidem Resolventibus mixta; ne materia ad Oculos: Fauces, aliasve partes nobiles pellatur. Sed imponatur Sacculus intersutus ex Floribus Sambuci, in calida Aqua Florum Sambuci, addito Vino albo Gallico, madefactus, leviterque expressus, qui identidem renovetur. Vel calidè applicetur Sacculus, subtilissimâ Tritici vel Hordei Farinâ repletus.

Si Caput occupet.

XIV. Atqui cum caput occupet Erysipelas, uti Mulieres aliquando experiuntur, nulla omnino humida sunt apponenda; sed lintea munda recenter lota, adeoque vapore Saponis perfusa, calida imponantur, sæpiusque permutentur. Vel calidè applicetur laudatus sacculus, subtilissimâ Tritici vel Hordei Farinâ repletus. Vel Lixivium fiat fortissimum ex Sapone Venero cum Aqua Florum Sambuci; eo imbuantur lintea munda, quæ dein exsiccata, & calidè appositа, identidemque renovata, mirum in modum Ardentem illam in capitis partibus cutaneis Inflammationem discutiunt, resolvuntque.

CAPUT VI.

De Oedemate.

OEdema apud Hippocratem, & plerosque Veteres Medicos generaliter denotat omnem Tumorem præter naturam. οἴδησις namque, seu οἴδημα nil aliud significat, nisi Eminentiam. Sed potius cum Neotericis *Oedema* nos appellabimus Tumorem ab humore pituitoso genitum.

II. Sit igitur OEDEMA Tumor frigidus, pituitosus, mollis, laxus, doloris, & caloris expers, plerumque albidi coloris. Vel dicatur, Tumor præ-

Digitized by Google

ter naturam ab humore seroso aut pituitoso ortum habens, albus, mollis, indolens, prementi digito cedens, per congestionem frequentius, quam per afluxum humorem productus.

Oedema quid sit.

III. Atqui distinguitur vulgo Oedema in duas species. Nimirum est Tumor hic, vel cum humore collecto cumulatus, certa circumscriptione definitus, isque genuinum & legitimum dici solet *Oedema*; vel est sine ulla circumscriptione, aut humoris in unum locum collectione, sed per partem diffusus & expansus ac rectè nũcupatur *Oedematosus Tumor*. Verum legitimumque Oedema fit ab humore subcruento, crudo, seroso-pituitoso, subacido, à sanguine in aliquam partem secreto, ibidemque congesto, atquè mollem, laxum, indolentem, certaquè circumscriptione definitum tumorem excitante. Tumor vero Oedematosus fit ab humore crudo, seroso-pituitoso, subacido, è Cruore itidem amandato, vel Lymphatico, per totam partem diffuso, diperspoquè, quam ita tumefacit ac distendit, ut cum digito prematur fovea quædam fiat, quæ remanet atquè sui vestigium servat, ut in Tabidis, cachecticis, autaliter male habitis indies observatur.

Oedematis Causæ.

IV. Causæ ergo Oedematis sunt humores crudi, serosopituitosi, subacidi, in sanguine redundantes, hinc in partem quandam effusi, in eaquè Tumorem hunc per congestionem potius quam per fluxionem excitantes. Procatarticæ vero, seu Primitivæ causæ esse possunt, casus, Percussio, Aër nimis frigidus & humidus, cibi viscini ac glutinosi, crapula, Somnus longior, Otium nimium, vita sedentaria, & similia, quæ sanguinem crudum, serosum, pituitosum, subacidum, producere valent.

Signa Diagnostica.

V. Signa autem quibus cognoscitur Oedema, sunt Albedo, Molities digitis cedens, ut fovea relinquatur, quod maximè proprium est Oedematis

Digitized by Google

signum. Minor quoquè adest Dolor, minorquè Pulsatio.

Prognostica.

VI. Solet præsertim Oedema generari hieme, & frequentius Senibus, corporibusquè phlegmaticis accidere. Terminatur vero pluribus modis, vel per resolutionem, vel per suppurationem, vel per Indurationem. Per Resolutionem seu Insensibilem Transpirationem sæpius terminatur, sæpè etiam Induratur, raro per Suppurationem solvitur, quia ex humore oritur frigidiore ac mitiore, qui haud facilè in pus vertitur: aliquando tamen hic Tumor Suppuratur, si in calidioribus fiat partibus. Atqui in Scyrrhum aut abscensum si abeat Oedema, difficilioris est curationis, Periculosum item si Pthisis aut Hydrops adfuerit.

Quæ in Oedematis Curatione sunt observanda.

VII. Oedematis curatio duplicem sibi scopum proponit: unum qui antecedenti materiæ se opponat: alterum qui causam conjunctam evacuet. Antecedens materies emendabitur recto ac legitimo rerum nonnaturalium usu, qui sanguinis, aliorumque humorum dyscrasiam immutare & corrigere queat.

Diæta.

Cibus & Potus, similiter ac Aër moderatè calefaciant, exsiccentquè. Caro assata præstat elixatâ. Nocent Fructus Horarii, Caseus, Pisces Marini. Nocet & quantitas Cibi Potusquè nimia.

Conducit Vinum, per se usurpatum, aut herbis calefacientibus alterarum. Exercitia prosunt moderata. Obest somnus longus, item Alvi durities, Quies; Tristitia, Venus.

VIII. Sed præter convenientem rerum nonnaturalium administrationem Antecedens Causa corrigetur insuper, ac educetur Remediis Generalibus, quæ crudos, seroso-pituitosos, subacidos humores emendare, ac evacuare solent. At quoniam affectus hujus causa antecedens in sanguine non fervido, sed vappido, seroso, ac aliter vitioso consistit, hinc *Venæsectio* nequaquam conducit. Atquè non

Venæ sectio non conducit.

nisi

Digitized by Google

nisi rarissimè in Oedemate curando instituitur. Et si aliquando sanguis sit mittendus, id non ratione morbi, aut causæ conjunctæ, sed ratione alicujus symptomatis, aut causæ antecedentis fieri solet.

Humores in Oedemate præparantia, accedentia.

IX. Frequentius vero locum habent quæ viscera roborant, obstructiones aperiunt, humores serosopituitosos attenuant, eosque tum Transpiratione auctâ Insensibili, promotisque tum Diapthoresi, tum Diuresi nec non per Alvum factâ Purgatione educunt. v. gr.

℞. *Rasur. Ligni guaiaci* ℥iij *Sassaphras* ℥ß *Infunde per noctem calidè in Aquæ puræ* ℥lxx. *Dein S. A. coq addendo. Rad. feniculi, Petroselini an.* ℥j. *Galangæ* ʒii. *Cor. med. Sambuci rec.* ℥ij. *herb. Calamenthæ, Chamapiteos an.* Mj. *Baccar. Juniperi* ℥iß. *Pulpæ Colocyntidis* ʒj *vel* ʒiv *Glycyrrhyzæ* ʒiij. *f. ex his S. A. Colatura* ℥xxxx.

X. Corpore sic purgato, utile erit Decoctum Diaphoreticum, simulque Diutericum, ex quo mane in lecto adhuc decumbens, & horâ à meridie circiter quartâ largiorem haustum calide sumat Æger, atque matutino tempore, quousque vires concedant inde sudores moveat.

℞. *Rasur. Ligni Guajaci* ℥iv. *Sassaphras* ℥vj. *Rad. chinæ* ℥j. *Infunde ut prius in Aquæ puræ* ℥lxx. *Dein coq. add. Rad. Bardanæ rec.* ℥iij. *Pataſitidis. Bac. Juniperi an* ℥iß. *Sem. Apii* ℥ß. F. *ex his S. A. Decoctio ad* ℥xxxx.

Quæ Topica Oedemati curando sunt imponenda.

XI. Alter Curationis Scopus est, humorem parti affectæ inhærentem evacuare Topicis admotis Medicamentis Sint autem Ea, Incidentia; attenuantia, Digerentia, exsiccantia, Resolventia. Tumoribus namque à congestione ortis repellentia nunquam sunt imponenda. Igitur acre sumatur lixivium, prout maiore aut minore resolutione opus est, cui admisceatur acetum, Sal gemmæ, aut alu-

Digitized by Google

men, vel Sal commune, idque cum nova ſpongia imponatur. v. gr.

℞. *Ciner Ligni Quercini. Stipitum fabarum Sarmentorum Vitis an. p. aq. per hos transfundatur Aqua fabrorum extinctionis ferri calida, adito aceti vini modico, idque toties fiat, donec efficatiam acquiſiverit lixivium. In cujus* ℔ iiij. *diſſolve ſalis nitri, alumini, an.* ʒiiß. *ſulphuris vivi* ʒ ij. *miſceantur pro fotu.*

Lixivii loco uſurpari poteſt fomentum.

℞. *Rad. Ebuli. Brioniæ an.* ℥iß. *cucumeris aſinini* ℥j. *Herb. Abſynthy, abrotani, ſalvia, calamenthæ an. M*j. *Flor. camomillæ* Mjß. *Roſar. Rubr.* Mß. *Sem. cumini* ʒvj. *coq. In S. Q. cereviſiæ tenuis ad* ℔iij.

Barbette *chir. part. 2. lib. 1. cap. 4.* Laudat ceratum,

℞. *Sulphuris crudi ciner ſarmentorum vitis ſalis gemmæ* ʒij. *farinæ fabarum* ℥ij. *Aceti* ℥j. *Olei nucum* ʒj. *therebinthinæ, & ceræ q. ſ. f. Ex his S. A. unguentum vel ceratum.*

Nonnulli olea & unguenta calida inungunt; ſed puto ea poros obſtruendo, adeoque tranſpirationem cohibendo, parum prodeſſe.

XII. In ſtatu & declinatione non malè applicatur hoc vel ſimile cataplaſma.

℞. *Rad. althææ rec.* ℥iß. *Bryoniæ, cucumer aſinini rec. an.* ℥j Fol. *ſalviæ, Rutæ.* Flor. *camomillæ an.* Mj. *coctis in cereviſia tenui ad mollitem, & in mortario minutim contuſis adde farinæ fabarum* ℥ij. *Ciner. Ligni Quercini, ſtercoris Vaccini an.* ℥j. *ſalis Nitri* ʒij. *Olei anethini* ℥ij. *M. F. S. cataplaſma.*

Alii haud abſque ratione imponunt *Stercus Vaccinum calidum*, quod reſpectu *ſalis volatilis* ac *nitroſi* in eo abundantis potenter poros aperit, ac Tumorem Oedematoſum reſolvit, diſcutit. Vel Ca-

Digitized by Google

taplasma conficiunt ex Stercore Vaccino, quod una cum Aceto frigunt, ac parum Aluminis & Sulphuris ei admiscent. ex gr.

℞. *Stercoris Bubuli* ℥iij
Fimi Columbini ℥ij.
Frigantur simul in sartagine cum Axungia, aut Butyro, aut quovis Oleo, vel bulliant in Oxycrato, atque Sulphure & Alumine additis,
F. S. A. *Cataplasma.*

Insuper Emplastra Resolventia utiliter imponi possunt, qualia sunt, de Meliloto, de ranis sine Mercurio, de Spermate Cœti, & similia, quibus pro re nata & alia Attenuantia, Resolventia addi possunt.

XIII. Scultetus *post Armamentarium Chirurgicum obs.* 72. refert, se multos Tumores Oedematosos discussisse *Calcis Aquâ* per aliquot dies usurpatâ. „ Sumitur autem, *inquit*, frustulum Calcis „ vivæ, ad quantitatem Nucis Juglandis & in A„ quam ferventem immittitur, donec dissolvatur „ quo facto Calx cum Aqua agitatur, & postea spon„ tè residere finitur. Hinc clarior Aqua, per inclina„ tionem in aliud vas transfunditur, in qua spongia „ nova exprimitur, calidèque parti affectæ superliga„ tur. Notandum verò, quod Pars Oleo Amygda„ larum dulcium, vel Axungia Porcina veteri de„ beat inungi: facilè enim fierit potest ut portio „ quædam Calcis, quæ est acerrima & corrosiva, „ in Aquam transfusam abjerit, quæ cum Spongia „ applicita erodere, partemquè mordicare posset.

Idem *Observation* 98. in Tumoribus Oedematosis, simulque Erysipelatosis curandis admodum extollit hoc Epithema,

℞. *Lixivii ex Cineribus sarmentorum vitis* ℔j.
Salis comm. ʒi. *Nitri* ʒiß.
Aceti vini optimi ℥j.
Fiat Mixtura, quæ spienio duplici tepidè excepta

Digitized by Google

applicetur, faciisque strictè loco affecto superligetur.

XIV. Cæterum pro Crure & Pede Oedematoso sequens aliquoties expertus sum summoperè conducere.

℞. *Spiritus Vini optimi*
Aceti Vini an. ℥vij. *in iis dissolve*
Salis comm. ʒiij. *aut circiter.*
Hic liquor cum panno immerso tepidè applicetur. Deinde pes & tibia universa faciâ lineâ longâ, digitos tres quatuorve latâ, à digitis pedum incipiendo, sursumque ad genu usquè procedendo, strictè ligetur, ita tamen ne pars effecta nimis comprimatur, & cavendo ne plicis aliqua in crus fiat impressio.

D. Si verò spernat hoc remedium Æger, vesperi cubitum iturus per semihoram pedibus insideat Balneo clido, (quod fiat ex *Semine Graminis exsiccati*, hoc est, *fœni*, *Cineribus Ligni Quercini*, & *Sale communi* in *Aqua pura* decoctis) & dein, pedibus mappâ calefactâ probè absterſis, in lectum se conferat, cruribusquè magis solitò elevatis decumbat manè autem fasciâ linea Pedes, Tibiæquè universæ dicto modo ligentur.

Attamen omnibus hisce ritè administratis Oedematosus Tumor si non discutiatur, consulendum ut *Termas Aquisgranenses*, *aliasve calidas* adeat Æger, quæ potenter humores seroso-pituitosos discutere, simulque interna viscera suâ caliditate roborare valent.

XV. Sed Suppurationem si minetur Oedema; quod rarò contingere observamus, Cataplasma imponatur cui addantur Herbæ Emollientes, Fermentum acre, Fimus Columbinus, Ungentum Basilicon, &c

Digitized by Google

℞. *Rad. Liliorum albor. recent.*
Caparum sub cineribus assat. an. ℥ij.
Fol. Malvæ, Althææ, Salviæ,
Flor. camomillæ an. Mj.
caricarum ping. No. x.
Coctis in Aqua pura ad mollitiem, & in mortario contusis adde farinæ fabarum ℥iiß. *fermenti acris fimi columbini an.* ℥iß. *Unguenti Basiliconis* ℥ij. *M. F. S. A. cataplasma.*

Cataplasmatis loco *emplastrum Diachylum cum gummi* applicantum suppurationem abundè promovet.

XVI. Quum igitur suppuratum, & ad maturitatem perductum sit Apostema, curandum ut id tum loco commodo, tum tempore opportuno aperiatur. Etenim lenta frigidaque materies nos fallit nonnarò, quod sua effecta extrinsecus rarius producat, quam intrinsecus, ubi partes interiores paulatim sine magno dolore corrodit, exeditque. Tutius autem hujusmodi frigidum Apostema Potentiali Cauterio, quam Scalpello aperiri solet; quod contrarium in calidis tumoribus observamus. Illud namque ad humorem illum frigidum, viscidum Pituitosum, maturandum, atquè ulterius coquendum non parum juvat.

Apostemate aperto, ulcus conveniente digestivo mundandum, & dein Sarcotico imposito unguento carne replendum.

Sin verò alicujus morbi symptoma sit Oedema, ut Pthiseos, Hydropis Cachexiæ, vel similis, morbus à quo provenit imprimis curandus.

CAPUT VII.

De Tumore Flatuoso.

1. TUmorem Oedematosum proximè excipit *flatuosus*, qui Græcis ἐμφύσημα *Inflatio* Flatuosus Tumor quid sit.

Digitized by Google

aut *Apostema ventosum* dicitur. Est autem TUMOR FLATUOSUS, qui ex flatibus intra membranosas alicujus membri partes, aut sub ipsa densiore cute, aut inter musculorum interstitia conclusis oritur. Vel *flatuosus tumor* nuncupatur, qui ex flatulendo spiritu in aliqua parte coacervato gignitur. Fiunt namque Tumores hi ex vapore & flatu, alias sub cute, alias sub membranis coërcito; hinc aliquandò sævissimi excitantes dolores, ob partium exquisito sensu præditarum distensionem, divulsionemque.

Tumor hic quomodo fiat.

II. Causa vero flatuosi tumoris est nativi in parte affecta caloris, vel spiritum radiantium partemque vivificantium imbecillitas, ac debilior motus, qui seroso pituitosum glutinosumque humorem, è quo facilè suscitantur flatus, resolvere & dissipare nequit. Enim verò quum crudi, pituitosi, viscidique humores in sanguine redundantes, hinc in partem quandam effusi, suâ glutinositate poros ejus obstruant, facilè datur intelligere, qua ratione tardior spirituum vitalium per eandem partem motus, debiliorque radiatio vitiosos illos humores resolvere, & ultrà promovere nequiens flatus gignat, qui membranosas intra partes concluси Tumorem hunc excitant.

Diagnosis.

III. Cognoscitur Tumor flatulentus, & ab aliis Tumoribus distinguitur, 1. quod compressus vestigium seu foveam non relinquat, ut Oedema. 2. Quum percutitur murmur, seu sonum quendam edat. 3. Addit Avicenna renitentiam manus comprimentis. 4. Ait Guido, lucidum quendam splendorem apparere in ejus summitate. 5. Non perpetuò, sed interdum dolor adest, ob nimiam distensionem. Interim Tumor hic nec rubet, nec calet, sed friget potius, albetque ut Oedema Articulos sæpè occupat, præsertim Genua.

Digitized by Google

IV. Magnus autem flatuosus Tumor periculosus est, ob sui magnitudinem, & partem affectam debili calore præditam. At parvi si sint hujusmodi Tumores, omnis periculi experites meritò censentur. Porro Hyeme frequentius, quam Æstate evenire solent. Prognosis.

V. In curatione generalibus circa diætam, & intus sumenda medicamina roborantia ac evacuantia præmissis, haud secus ac in Oedemate, partis læsæ meatus aperiendi, in eaque contenta flatulenta materies attenuanda, discutienda, resolvenda. Quem in finem conducunt calida, Siccantia, & Attenuantia, *carminativa* dicta, ut appertis membris læsi poris humores flatusque dissipari queant v. gr. Flatulenti. Tumoris Curatio.

℞. *Herb. Menthæ, Pulegii, Rutæ an.* Mj.
Flor. camomillæ Mjß.
Sum. Anethi, flor. Rosarum rubr. aā. Mj.
Sem. Cumini ℥j. *Bacc. Lauri* ʒvj.
Coq. in S. Q. cereveſia tenuis vel Æq. Pars.
Aq. puræ & Vini Albi ad ℔iij.
Colatura ſit pro fomento.

Egregios aliquandò vidimus successus in hujusmodi Tumore resolvendo solo *oleo cucumeris Asinini* illito. Potest tamen ejus loco fieri Linimentum. v. gr.

℞. *Olei cucumeris asinini* ʒvj.
Anethi, rutæ an ℥ß.
Nucis moschatæ express. ʒjß.
cumini stillat. gut. vj.
Misceantur.

Barbette *chirurg. part.* 2. *Libr.* 1. *cap.* 7. laudat hoc cataplasma.

℞. *Fol. Rutæ calamenthæ an.* Mß.
Farinæ fabarum ℥ij.
Sem. Anisi, cumini an. ℥ß.
Baccar. Lauri, salis comm. an. ʒiij.
Nitri, sulphuris an ʒj.

Digitized by Google

ſtercoris caprilli ʒvj.
Olei anethini, Nardini an. ʒj.
Vini albi gallici q. ſ.
Coq. ſimul S. A & contund. in formam cataplaſmatis.

Conducit quoquè *emplaſtrum de meliloto de ranis cum*, aut *ſine mercurio*. Vel.

℞. *Emplaſtri de meliloto.*
de Ranis ſine mercurio an ʒj.
Gummi Galbani in aceto ſaluti ʒiiß.
Pulv. caſtorei ℈ij.
Olei cumini ſtillat. gutt. vj.
Cera & therebentinæ q. ſ.
M. F. S. A. Emplaſtrum, extendendum in corio.

Sed notandum ejuſmodi medicamenta actu calida parti ægræ ſemper imponenda eſſe, caloremque conſervandum appoſitis linteis, lateribus, lagenis, ſimilibuſque rebus calendibus.

Genu inflatio quo modo curanda.

VI. Veruntamen Genu cum Flatuoſo tumore vehementer inflatum ſit, nonnulli ſequens commendant.

℞ *Fœcis cera novæ ex prælo* ℔iß.
Micæ panis furfuracei ℔ß.
Florum roſarum Rubr. ʒj.
Bulliant in vino albo, dein contundantur, & addendo piperis, cariophyllorum, Nuciſmoſcha. a, Zinziberis an ʒiiß. *ſem. cumini, aniſi, fœniculi, ammios an.* ʒß. *Olei chamamelini, anetini, Rutacei an.* ʒij. *M. F. S. A. cataplaſma.*

Platerus *obſerv. libr.* 3. tumorem in genu immenſum, mollem, laxum, & diuturnum diſcuſſum, ac penitus curatum ſcribit impoſito cataplaſmate ex *Radicibus Brioniæ, iridis*, & *liliorum* recentibus, ſimul contuſis, atquè in *vino*, additâ etiam *aqua vitæ* decoctis.

Vel fiat cataplaſma ex raſura *radicis raphani ruſ-*

Digitized by Google

tici cùm *aceto rosaceo*, quod calidè apponatur..

Magno quoquè cum levamine inflato & tumido admodum Genu aliquandò applicari jussi Vesicatorium magnum, ex *cantharidibus* & *fermento acri*, addito *aceto*, confectum.

CAP. VIII.

De Testudine, & Talpa sive *Topinaria.*

Testudo & Talpa quid sint.

I. ALtum inter veteres de tumoribus hisce fuit silentium atque illorumne ulla quidem ab illis unquam facta est mentio; Hæc tamen nomina à Recentioribus excogitata sunt.

Testudo, ut inquit Guido, est *abscessus magnus, humoralis, mollis, & latiori formâ in modum Testudinis* unde denominationem sumpsit. Alii tamen definiunt testudinem, quod sit *Tumor mollis, vel non valdè durus, satis autem magnus, in quo pinguis materia, tunicâ quadam inclusa continetur, quæ calvariæ ita inhæret, ut ipsam plerumque vitiet.* Talpa verò, sive topinaria Guidoni & aliis dicitur *Testudinis species*, & inquiunt esse *Testudinem ipsam in capite ortam.*

II. Igitur TESTUDO seu TALPA, sive TOPINARIA dicta est tumor in Capite, ortus ex impuris, viscidis, glutinosis, acri-salinis, necnon acido-acribus humoribus, è sanguine ibidem depositis, atque intra cranium & cutem corrumpentibus, testudinis seu talpæ formam referens, vel terræ à talpa egestæ similis. Sunt autem hujusmodi tumores vel cum, vel sine exulceratione, & cranii erosione; atque subsistunt plerumque cranium inter & cutem, aut nonnunquam inter binas cranii tabulas in diploë, hinc ad crassam usque menyngem totum cranium non rarò eroditur.

Digitized by Google

Causæ. III. Materia ergo tumorem hunc faciens est *humor viscidus, glutinosus, acri salinus, & acido acris, exedens*, calvariam non raro erodens, in eaque *cariem* excitans. Causæ vero antecedentes sunt dicti humores in corpore redundantes, qui in Capitis partes depositi exedunt, & ad subjectam usque membranam carie frequenter calvariam erodunt.

Diagnosis. IV. Signa quibus dignoscitur hic affectus sunt, tumor mollis & latus, testudinis vel talpæ similitudinem referens.

Prognosis. V. Est autem periculosus hic tumor, ne cranium erodat atque corrumpat. Qui tamen est absque cranii erosione & corruptione facilius curatur quam, qui calvariæ corruptionem seu cariem jam induxit; Et si magna adsit cranii corruptio, præstat patientem dimittere, atque curationem non aggredi: vel si suscipere curationem coacti simus, curâ tantum palliativâ uti oportet.

Testudinis Curatio. VI. Sed quanquam testudo seu talpa nonnunquam sit sine calvariæ erosione & carie, aliquando cum cranii carie & corruptione; utriusque tamen curandi ratio communia habet præcepta. Primum in universalibus consistit, *hoc est*, in causæ antecedentis correctione, ac eductione legitimo rerum nonnaturalium usu, remediisque usurpati, generalibus, haud secus ac de Oedemate curando diximus.

VII Secundum præceptum consistit in Materiæ intra Tumorem contentæ evacuatione, dein ulceris mundificatione, hinc partis affectæ consolidatione. Id assequi debemus, vel Resolventibus, vel Suppurantibus, vel Manuali Operatione.

VIII. Si ergò Tumor sit sine Calvariæ corruptione, aut Ulcere, Incidentibus & Resolventibus, Capitæ XI. de Scyrrho proponendis, inprimis tentanda Curatio. At Resolvi si nequeat, Suputatio promovenda impositio hoc vel simili Cataplasmate,

Digitized by Google

℞ *Rad. Liliorum alborum rec.* ℥iij.
Caparum ſub cineribus aſſatarum ℥ij.
Fol. Malvæ, althææ,
Flor. meliloti an Mj.
Caricarum pinguium No. xij.
Coctis in aquæ puræ ad mollitiem, & in mortario minutim contuſis, adde.
Farinæ fabarum ℥ iij.
Unguenti Baſiliconis ℥ij
Vitellos trium ovorum.
M. F. S. A. cataplaſma.

Equidem perfecta ſuppuratio expectanda non eſt, ſed eâ duntaxat incipiente, ne carie inficiatur cranium, profunda inciſione mox tumor aperiendus, ac porrò ex arte curandus.

IX. Atqui cum cranii corruptione ſi fuerit teſtudo, ſentit Guido palliativâ utendum eſſe curâ: Et ſanè ſi magna ſit cranii corruptio, ſolo utendum Prognoſtico, ægerquè ita dimittendus, vel cura ſit tantum fucata. Verum parva ſi inveniatur oſſis corruptio, curandus erit Affectus, ut fractura cranii; ſc. facta inciſione, cranium Trepano perforandum, oſquè corruptum modiolo tollendum, vel Scalpris radendum, deinde pars affecta detergenda, carne replenda, eademque tandem convenit curatio, quæ in vulneribus capitis cum Cranii Fractura.

CAPUT. IX.

De Atheromate, Steatomate, & Meliceride.

I. TUmores folliculis incluſi varii occurrunt, quorum præcipui ſunt *Atheroma*, *ſteatoma*, & *Meliceris*, atque materiæ contentæ ratione inter ſe differunt. Namque folliculo quum includitur

Digitized by Google

pituita pultis consistentiam habens, tumor *Atheroma* dicitur, ab ἀτέρω *pulticula*. Sed inclusa folliculo materies si similis sevo, quod στέαρ Græcis dicitur, *Steatoma* nuncupatur. At contentus intus humor quando colore & consistentia mel refert, *Meliceris* appellatur.

Atheroma quid sit.

II. Igitur ATHEROMA est Tumor indolens, cuti concolor, in membrana seu nervosa tunica humorem continens lentum, glutinosum, similem pulti, quæ ex farina in lacte cocta conficitur. Interdum tamen in atheromate juxta humorem pultaceum lapidosa quædam, duraquè corpuscula, & alia veluti sulphuris ramenta inveniuntur. Nonnunquam tanquam mansa essent gallinarum ossicula, sæpè etiam velut pili complicati tactui occurrunt. Vel dicatur *Atheroma*, Tumor præter naturam propriâ capsulâ comprehensus, ab humore pulti simili, sine dolore, simplicis coloris, nec digitis facilè sedens, nec iis remotis facilè iterum extuberans.

Quid Steatoma.

III. STEATOMA verò tumor est præter naturam proprio folliculo comprehensus, à materia sevo simili, ejusdem ubiquè coloris, mollis, ab exiguo principio augmentum sensim sumens, digitis difficulter cedens, iis tamen remotis ad priorem magnitudinem facilè rediens.

Quid Meliceris.

IV. At MELICERIS est tumor præter naturam dolore carens, rotundus, in quo inclusus folliculo humor reperitur tenuis, mellis substantiam repræsentans. Differt autem ab atheromate & steatomate meliceris figurâ & humoris substantiâ: Figurâ namquè & rotundior est, & humoris substantiâ tenuior. Proinde meliceris magis quam atheroma extenditur, digitorumquè pressione celerrimè cedit, atque remotis digitis ad pristinum situm pari celeritate redit.

V. Sed qua in parte hi folliculis inclusi tumores

Digitized by Google

potissimum eveniant exponit C. Celsus *lib 7. cap. 6.* Dicens, *atheroma, steatoma, & meliceridem evenire posse in qualibet corporis parte.* Si tamen materia pulti, sevo, melli, vel viscidiori ovi albumini similis folliculo inclusa circa articulos subsistat, *Ganglion*, nuncupatur.

Horum Tumorum Causa.

V I. Causa horum tumorum humor est pituitosus, viscidus, glutinosus, è cruore huc amandatus, atque in uno magis, in alio minus alteratus; qui folliculo inclusus diu paulatimque increscit, atque vel atheroma, vel steatoma, vel meliceridem tandem producit, prout materia tunicâ suâ inclusa pulti, sevo, aut melli similis est: raro namque aliud quid ei admixtum observatur.

Diagnostica.

V I I. Signa porro quibus dignoscuntur & ab aliis distinguntur hi tumores, ex descriptione illorum nunc tradita satis patent. In genere vero tumores cysti includi palam fit ex eo, quod mobiles sint, cutisque inter tractandum facilè separetur. Atqui fixi quum sint, carniquè adhærentes, nulla eos involvi membranulâ iudicium est.

Prognostica.

V I I I. Atheroma, steatoma; & meliceris, quandoquidem tumores sunt folliculis inclusi, vix nisi per manualem operationem curantur; siquè inter operandum contingat, quod membranula rumpatur, aut tota non auferatur, fistula fere, aut ulcus fædum remanet, quorum difficilis & tarda plerumque curatio.

Curandi Methodus.

I X. Curationis consilium tribus hisce abscessum generibus, atheromati viz. Steatomati, & meliceridi commune est, ut quod tunica illa continet discutiatur, aut medicamentis totum cum sua tunica exedatur, vel suppuratur, aut sectione auferatur. Triplici hac ratione curatur meliceris, utpote humorem continens liquidiorem. Sed atheroma, humorem continens glutinosiorem, vel sectione tolli-

Digitized by Google

tur, aut medicamentis exeditur seu suppuratur, atqui nunquam discutitur. Steatoma verò nec discuti, nec exedi aut suppurari potest; at solâ manus operâ, *hoc est*, sectione duntaxat curatur, quoniam sevo haud absimilis materies nec resolvi, nec suppurari aut exidi potest, semperque duriore includitur tunicâ.

X. Notandum quoquè hujusmodi folliculis inclusos tumores, si recentes sint ac molles, & resolvi, & suppurari posse, duros verò & inveteratos solâ cheirugiâ curari, Hinc diligenter in eo laborandum, ut singulæ differentiæ discernantur. *Steatoma* quippe durius est, resistitquè tangenti, & basin habet solidiorem. *Melicertis* è contrario facilè subsidet, cedit in se compressa, lentequè dissilit, ciò tamen revertitur. *atheroma* est veluti medium inter utrumquè extremum.

Folliculis inclusi Tumores quando & quomodo sint resolvendi.

XI. Igitur hujusmodi Tumor si mollis si, *Resolventibus* erit tentanda curatio impositio scilicet *Emplastro stiptico Paracelsi*, vel *è Ranis cum Mercurio*; vel manè diu fricetur Tumor digitis *salivâ hominis jejuni* identidem madefactis, Cui ratione salis volatilis & spiritum in eâ abundantium vis attenuandi resolvendiquè copiosa inest; vel post Tumoris diutinam frictionem illinatur *Balsamum Peruvianum*, quo solo scribit Barbette se aliquandò moliores hujusmodi Tumores curasse.

XII. Scultetus *post armament chir. observ. 66.* eum in finem valdè laudat *ceratum diasinapios*, quo duas Melicerides resolvisse scribit, alteram in Humero, alteram in Genu, ovum anserinum suâ magnitudine æquantem, quam tamen hoc solo Creato mensis spatio intergrè discussisse refert Ceratum Diasinapios aquapendens describit *c. de meliceride*, & à Spigelio correctum ita proponit Scultetus *Armam. chirug. Tab. 43.*

Digitized by Google

℞. *Salis gemmæ, ceruſſæ, lythargiri an.* ℥iiij. *ceræ, therebinthinæ an.* ʒij. *Galbani, opoponacis an.* ʒß. *Pulveris ſeminis ſinapi* ʒij. *olei veteris* ʒix. *Aceti acerrimi q. ſ. M. F. S. A. ceratum.*

Barbette hoc habet Emplaſtrum.

℞. *Gummi ſagapani, ammoniaci an.* ʒß. *Pulv. Euphorbii, rad. Pyrethri an.* ʒß. *Sulphuris* ʒiij. *Olei ſuccini* ʒj. *M F. S. A. Emplaſtrum.*

Alii laudant id quod ſequitur.

℞. *Paſſullarum majorum enucleatarum* ℔ß. *Contundantur minutim in mortario, & addendo Pulv. Sem. cumini.* ʒiij. *ſalis Nitri* ʒiß. *Simul ſubigantur, & adhibeantur.*

Quomodo Cauſticoexedantur, Vel Suppurentur.

XIII. Alterum curationis conſilium eſt, ut folliculi hi *cauſtico exedantur*: viz. Cauterium in medio imponatur potentiale; aut ſi magnus ſit tumor multa ſimul admoveantur cauteria, cumquè Cruſta deciderit immittantur penicilli *unguento ægyptiaco & apoſtolorum* illiti, aut *Melle* cum *Mercurio Præcipitato*. Joh. de vigo menſis intra ſpatium omnes excreſcentias idolenter erodit: Accipit *Linteorum uſu detritorum & decerptorum* ʒij. *Medullæ Panis albi* ʒiij *ſublimati, tenuiſſimè pulveriſati* ʒj. *aquæ roſarum & plantaginis an.* ℔j. *omnia ſimul coquit in vaſe aneo ad conſumptionem duarum aut trium partium; dein expreſſa linamenta exſiccat in furno mediocriter calido, quæ iterum diſcerpta ſevat in vaſe benè operto ad uſum*, qualem ipſe ita deſcribit. *Primum Defenſivo vicina partes muniantur; deinde ulcus quod fecit pyroticum prædictis linamentis impleatur ſupponatur unguentum de Tutio, vel de ceruſſa, atque ita perſiſtendum, donec viva appareat caro, tum ulcus melle roſaceo & therebinthina mundandum, &c.*

Nonnulli *arſenico* utuntur & *auripigmento*, ſed non niſi ſummo cum periculo ea uſurpantur, quia

Digitized by Google

actia nimis sunt parteſquè ſubjectas penitus erodunt.

Non deſunt quoquè qui parva hujuſmodi tubercula tranſverſim incidunt, moxque implent *alumine*, aut *vitriolo uſto*, quæ folliculum erodunt ſimul, & hæmorrhagiam ſiſtunt, vel *oleum* aut *ſpiritum vitrioli* cum plumaceolis applicant; magna verò cruciatim trajiciunt duplici ſetone, altero ſecundum longitudinem, altero per tranſverſum.

Sin ad *ſuppurationem* tendant hi tumores, quod tamen rarò contingit, naturam cheirurgus adjuvet maturantibus fortioribus.

Quomodo per Sectionem & Separationem Atheroma, Steatoma, & Meliceris auferri debeant.

XIV. At verò omnium tutiſſima curationis methodus eſt, *tumores hoſce per ſectionem & ſeparationem auferre*. Fit autem hoc modo: primò tum ad lumen illuſtre, tum ad cheirurgum quam commodiſſimè vel in ſella, vel in lecto collocandus eſt patiens; dein atramento ſignetur ſectionis longitudo, quæ ſit tanta, quanta eſt tumoris rotunditas, tum elevanda cutis, quæ incidenda vel ſimpliciter vel cruciatim, eaquè poſtea circumquaquè lato ſpecillo, aut ſcalpelli manubriolo, aut indice digito ſeperanda, donec integer folliculus appareat, qui tum citra pedunculum reſecandus eſt, ſimul cum vaſe tumori nutrimentum adferente, ne vel minima relinquatur folliculi portio, tumorque regeneretur. Quo in caſu nota Joh. van horne *in microtechne*, prius arctè vaſculum tumorem nutriens eſſe ligandum, antequam reſecetur. Hoc peracto, & folliculum poſtquam extraxit cheirurgus vulneris labia ſunt conjungenda linteolis Emplaſticis in cruappoſitis, &c.

Quod ſi folliculus jam ruptus ſit, aut per ſe, aut per cheirurgi negligentiam, tum neceſſe eſt, ut vel tumor revertatur, vel ulcus remaneat fœdum, & fermè incurabile, niſi cathæreticis abſumatur folliculus

Digitized by Google

folliculus. Plura de modo excidendi hujusmodi Tumores videri possunt apud Fabritium ab Aquapendente *operat. Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 16.* & sculletum *armament. cheirurg. Tab. 35.*

XV. Sed hujusmodi tumor si ingentis sit magnitudinis, magnisquè vasis, arteriis puta, venis, nervis, adhæreat, sinendus is est aut saltem magna in excidendo requiritur industria. Ita refert sculletus *observ. 88.* se in externa femoris parte Atheroma ovum gallinaceum magnitudine superant excisione curasse. Et scribi Petrus de Marchettis *observ. medico-cheirurg. 21.* se meliceridem majoris oculi anguli, ad pupillam usquè protensam, illæso oculo, cum folliculo extirpasse, atque *observ. 24. & 25.* duas non minus raras addit historias; alteram Atheromatis inferioris palpebræ, internâ parte, prope angulum majorem occuli, ab ortu geniti, avellanæ mole, in puella quinquè mensium, sectione extirpati & sanati; alteram meliceridis colli prope asperam arteriam, & venas jugulares externas, in cujus dissecto folliculo alius ejusdem generis tumor, sed minor delituit suâ & ipse membranulâ conclusus. Haud minus rarum fuit steatoma in torso circa finem vertebrarum colli, quod pondus librarum septem excedens, à Joanne Griffonio medico-chirurgo feliciter extirpatum fuit: uti videre est apud fabritium Hildanum *cent. 6. observ. 16.*

XVI. Cæterum tunicatis hisce tumoribus propè accedere videntur *propenduli*, qui non exciduntur, sed funditus amputantur; in pusillanimis filo ad stuporem partis constricto & relicto, donec tumor decidat; in animosis scalpello. Quod si post tumoris propenduli abscissionem, sanguis copiosè profluat, aut filum aliquid de radice relinquat, ne recidiva fiat locus candente ferro leviter tangatur, & escara ablata, cicatrice obducatur: vel id quod ex radice

Tumores Propenduli quo modo tollendi.

Digitized by Google

relictum est absumatur admotis cathæreticis, uti *alumine ustо* cum *mercurio præcipitato* insperso, vel *unguento basiliconi* admixto, sicquè imposito, &c.

CAPUT X.

De *Ganglio*, & *Lupia*.

Ganglion quid sit.

I. AD tumorum folliculis inclusorum numerum haud immeritò adjungi solent Ganglion & Lupia. Apparet autem *Ganglio* sæpè in Manuum carpis pedumquè malleolis, in summa cute, nec unquam profundius delitescit; estquè secundum Paulum Æginetam, *nervorum concretio ex percussu & labore proveniens*; & ex Aëtii sententia, *nervi nodosa concretio ac tumor ex plaga aut labore obortus, raroquè sponte proveniens*. Sed perfectior erit descriptio, si dicatur GANGLION tumor corpori concolor, renitens, doloriſquè expers, sed vehementer pressus obtusum quendam doloris sensum exhibens, circa articulos plerumquè, parteſquè illorum nervosas & tendinosas, ac sæpius in carpo existens; hinc Nostratibus non ineptè dicitur (*Een Pees knoop.*)

Partes Affectæ.

II. Partes igitur à Ganglio affectæ sunt pleræque corporis partes, præsertim verò motui dicatæ, ut articuli, manus, pedes, brachialia, malleoli: frequentius enim manuum juncturas ac talos occupat, rarius cubitum & caput, &c.

Ganglii Causæ.

III. Causa hujus tumoris est *tendinis* in articulo *Imbecillitas*, ex contorsione, extensione, ictu, labore, aliave simili causa contracta; cujus occasione fibræ motrices ita distorquentur, ut humores, inter circulandum per minimos porulos, multas obstructiones pro obstaculo offendentes, stagnent inter ten-

Digitized by Google

dinis debilitati motrices fibras, tandemque ab humoribus ultrà accedentibus propellantur usquè ad membranam, quæ tendinem investit ubi efformatâ sibi cavitate, colliguntur & concrescunt aliquatenus, particulæ viscosiores & glutinosiores, ovi albumen suâ consistentiâ referentes, tenuioribus interim abeuntibus, & ita oritur tumor hic folliculo incluſus, qui *ganglion* nuncupatur.

IV. Equidem alii malunt ganglion oriri ex lympha in partibus articulorum nervosis ac tendinosis ita debilitatis & contorsis extravasata, ac in hujusmodi lentum, viscidum, glutinosumque humorem concreta, quæ folliculo inclusa, atquè in articulo hærens *ganglion* excitat.

V. Signa verò quibus cognoscitur & ab aliis tumoribus distinguitur ganglion sunt quod hujusmodi tumor parvus sit, cuti concolor, inæqualis, tactui renitens dolore vacans; si tamen violenter præmatur, quendam exhibet torporis sensum; non altè, sed sub ipsa oritur cute, atque ad latera tantum movetur, prorsum & retrorsum nequaquam, etiamsi violenter adigas. Differt à meliceride & atheromate tumoris inæqualitate, & renixu, & quod non orbiculatim velut illa transfertur, sed dextorsum solum & sinistrorsum pro situ tendius affecti flectitur. Signa Diagnostica.

VI. Ganglion porrò cheirurgia *hoc est*, excisione rarò curatur, præsertim si in quodam manus pedisve articulo situm sit: est namque, monente Paulo Ægineta *lib. 6. cap. 39.* periculum si quid illic excidatur, mutilum reddi illud membrum. Prognostica.

VII. Sed Ganglion ut tollatur, imponenda sunt molliendi, attenuandi, & discutiendi vim habentia medicamenta- v. gr. Methodus curandi.

℞. *Emplastri de meliloto, oxycrocei, de mu-*

Digitized by Google

cilaginibus an. Part. Æq. Olei Petræ tantillum. M. F. S. A. Emplastrum, extendendum in corio

vel

℞. Gummi galbani, ammoniaci, sagapani in aceto solut. an. ʒß. Emplastri è ranis cum duplicato mercurio ℥ß. M. F. S. A. Emplastrum

Vel

℞. Gummi ammoniaci, sagapani in aceto solut. an. ʒß. Liquefiant, hinc addendo sulphuris vini pulveris sati ʒij. M. F. S. A. *Emplastrum.*

Eundem in finem conducit *gummi ammoniacum*, vel *galbanum in spiritu vini dissolutum*, atque Emplastri modo impositum. Vel imponatur *emplastrum de ranis cum mercurio*, & *stricta satis ligatura*, quæ impediat, ne viscosi denuò humores affluere, cum aliis concrescere, sicquè ganglion augere queant.

Felix Platerus laudat hoc cataplasma, quo ganglion pugni magnitudine in utroque genu curavit, ut refert *lib.* 3. *Observationum.*

℞. Red. brioniæ, iridis nostrat. rec an. ℔ß. *Liliorum alborum rec.* ʒij. *cuctis in aceto fortissimo ad mollitiem, & in mortario minutim contusis, adde. Olei liliorum alborum* ʒij. *gummi ammoniaci in spiritu vini soluti* ʒiij. *Pulv. Rad. Iridis florent.* ʒij *M. & S. A. Rediganur in formam amplastri seu cataplasmatis.*

VIII. Cum igitur remediis hisce emollitus sit tumor, atterendus tantisper, quoad sub digito cystis frangatur; mox *lamina plumbea argento vivo illita* fortiter ipsi apprimatur, & advinciatur, quæ quod supereſt tumoris tabefacere & consumere queat. Etiam crebra tantummodo tumoris frictione, humorisque hac illuc distractione non rarò sanatur Ganglion. Et scribit Antonius Chalmeteus *in Enchiridio chirurgico*, se Ganglia in carpo existentia frequenti cum Saliva frictione sæpius curasse, absq-

Digitized by Google

què aliorum medicamentorum usu.

Reinerus Solenander *consil. Medicin.* 24. sequens commendat emplastrum.

℞. Emplastri Oxycrocei ℥j Gummi ammoniaci. Bdellii dissol. an. ʒij. Pulv. Rad. Iridis florent. ℈j. Lumbricos terrestres vino lotos & dissolutos No. iij *commixtis omnibus cum pauco Oleo therebintinæ & cera nova F. S. A. ceratum, quod extendatur in corio, applicetur tumori, & fasciâ arctè constringatur.*

Tumore autem cerati ope quodammodo emollito, *addit*; singulis quatuor quinque, sexve diebus solutâ fasciâ, & ablato cerato, tumorem debere suffumigari suffitu aceti acerrimi, cui satureia, origanum, vel similia incocta sunt, affusi pyritidi, vel lapidum molarium fractis candentibus; deinde abstersо sudore, compressо attritoquè satis tumori rursus ceratum imponi. Tandem hisce aliquoties factis præcipit, ut tenuis plumbi lamina arctè Ganglio illigetur, qua ulterius consumatur.

IX. Sin vero his modis Ganglion non cesserit, nonnulli volunt ferro resecandum & extirpandum esse. Quorum sententiæ tamen minimè subscribimus, si in manus pedisve articulo existat, ob tendines aliasquè partes nervosas ibidem facilè læsuras. Sed potius sectione tumor aperiatur, atque viscoso educto humore, impositoquè *Balsamo peruviano*, aut *Balsamo sulphuris therebinthinato*, Ulcus porrò curetur.

X. Jobus MeKeranus *observ. chirurg. cap.* 60. prolixe docet, quomodo Ganglion in carpo existens *contusione* curari queat. Viz. manus plana mensæ imponatur, hinc Cheirurgus manu in pugnum contracta bis terve tumorem vehementer contundat, donec cystis findatur, humorque contentus effundatur, qui dein continuo articuli motu, accedente

Digitized by Google

insuper crebra partis affectæ frictione, facilè resolvitur; præsertim si hoc vel simile linimentum frequenter inungatur.

℞. *Olei ceræ, terebinthinæ an.* ʒij. *Philosophorum* ʒvj *Vitellum unius ovi. M. F. S. A. Linimentum.*

Lupia quid sit.

XI. Ganglio affinis est tumor mollis, rotundus, fermè lupini figurâ, sæpius in junctûris sedem figens, qui LUPIA, nostratibus (*Een Vven*) dicitur. Non differt autem tumor hic à Ganglio, eandemque agnoscit causam. Sed cum manus pedisve articulum occupet, *Ganglion* appellatur; atqui circa aliarum partium articulos quum emergat, *Lupia* dicitur.

Lupiarum Species.

XII. Lupiarum species variæ occurrunt: sunt nimirum maximæ, mediocres, parvæ. Aliæ porrò existunt in partibus nervosis, nec procul ab artubus. Quædam oriuntur sub poplite, in brachii flexura, & ejusmodi locis: in omnibus namque proveniunt corporis partibus. Insuper nonnullæ basi latâ sunt, quædam angustâ, aliæ mediocri; omnes tamen in membrana conclusæ.

Lupiæ Curatio.

XIII. Ad curationem vero quod attinet. Materia hæc nec resolutioni, nec veræ suppurationi facile cedit; sed ut humor evacuetur; tumor hic aperiendus est. Quod ut tuto ac feliciter fiat, tumoris magnitudo, situs, latitudo seu densitas, denique & basi seu fundamentum considerentur.

Si igitur magnus sit tumor, vasis majoribus, partibusve nervosis ac tendinosis proximus, sinendus is est ob periculum, quod ex apertione facile consequitur.

At si parvus sit, in quacunque parte fuerit, sæpe resolvitur comprimendo, digitis saliva madefactis identidem fricando, frangendo tamen cystim seu folliculum, quo includitur, ut hinc illinc effusus

Digitized by Google

humor dispergatur, & dein naturæ ipsius beneficio discutiatur, resolvaturque.

Quod si Lupia eo in loco sit, in quo validam compressionem facere non liceat, ut in facie, thorace, ventre, gutture, similibusve locis, emplastrum aliquod in ganglii curatione præscriptum apponatur, quod resolvendi vim habeat.

Scribit Riverius *in observ. Communicatis à Dionisio Pomaret*, Lupias resolutione curatas fuisse *foliis acetosæ charta madida involutis, & sub cineribus coctis*, quæ postmodum cum cineribus per cribrum trajectis incorporabantur in formam cataplasmatis, calide applicandi.

Sin Lupia mediocris sit, neque in articulo existat, tollatur excisione, ut atheroma, steatoma, vel meliceris.

Quod si basin habeat angustiorem, infima illius pars ligetur, non aperiatur. Neque secetur; atque singulis diebus ligatura constringatur, donec alimentum ei omnino detrahatur, sicque Lupia sponte decidat.

CAPUT XI.

De Scirrho.

I. SCIRRHUS græcis & latinis ita dictus, arabibus *sephiros*, hoc est, *lapidosum apostema*, Aliis *durus tumor* vocatur. Estque tumor durus, renitens, doloris expers, cum sensu aut exiguo, aut prorsus nullo, ex crasso, viscido, lento & austero humore genitus. Scirrhus quisit.

II. Hunc autem tumorem ab humore melancholico, aut pituitoso, aut simul ab utroque originem habere, non sine ratione censuerunt veteres. *Humorem* namque *austerum*, sanguinem facilè in Scirrhi Causæ.

Digitized by Google

aliqua parte fundentem, simulque lympham vehementer coagulantem, *præcipuam* existimamus *Scirrhi Causam.*

III. *Austerum*, hoc est, *acidum potentius* ac *validius* nos accusamus, sive in cruoris massa genitum, & ad partem aliquam propulsum, in eaque collectum & concretum; sive relictum ex alio tumore nimis tardè, negligenter, vel malè curato, quapropter facilè in magis austerum desinere potest scirrhus, ac in cancrum degenerare, qui tandem ob summam & pertinacem austeritatem vim corrosivam nactus exulceratur, atquè incurabilis redditur.

IV. Igitur scirrhus aliquando est primarius, sitquè à principio, nullo præternaturali tumore præcedente; quum nimirum humor ille austerus, sanguinem fundens, limphamquè coagulans, in aliqua parte congeritur, minimisquè ejusdem meatibus inhærens tumorem hunc excitat. Congeritur autem humor crassus, viscidus, austerus in partibus, vel propter malam victus rationem, vel ob hepatis, lienis, aliûsve visceris discrasiam, vel ob hæmorrhoidum aut mensium suppressionem, adjuncta partis affectæ imbecillitate, qua vitiosi hujusmodi humores in sanguine redundantes facilè suscipiuntur.

V. Sed nonnunquam symptomaticus est scirrhus; viz. qui malæ phlegmonis, erysipelatis, aliorumve tumorum curationi succedit, uti non rarò fit cheirurgi imperitiâ, quod præter modum usus fuerit narcoticis, aut nimium refrigerantibus, vel immodicè resolventibus, quibus tenuiores humorum particulæ discutiuntur, solis crassioribus viscidioribusquè remanentibus, atque in parte induratis.

VI. Haud ineptè ergò scirrhus dividitur 1. in

Digitized by Google

primarium, verum, exquisitum, & symptomaticum, illegitimum, spurium; qui magis propriè *tumor scirrhosus* nominatur. 2. In purum, & impurum; qui fit, quum humori viscido, crasso, austero, scirrhum facienti admisceatur alius humor, unde *scirrhus* dicitur *phlegmonodes*, *œdematodes*, *erysipelatodes*.

VII. Distinguitur porrò scirrhus ab aliis tumoribus hisce signis. A phlegmone, dolore & erysipelate, duritie & calore. Ab œdemate, tactus renitentiâ. A tumoribus aquosis & flatuosis, quod hi percussi sonitum edant, scirrhus verò minimè. A struma, ganglio, lupia, aliisque folliculis inclusis tumoribus, sua immobilitate. Deniquè à cancro, quod in cancro dolor adsit pungitivûs, scirrhus autem dolore caret; dein cancer citius augetur scirrho, quia Materia ejus est magis mobilis. Diagnosis.

Atqui deprehenditur scirrhus ex duritie summa, immobilitate, omnisquè doloris absentia. Et ejusmodi scirrhosi tumores non tantum in partibus consistunt externis, sed internis quoque, ut in hepate, liene, pancreate, utero, aliisve.

VIII. Cæterum Exquisiti scirrhi nullam admittunt curationem, atque remediis quandoquè ita efferuntur, ut in cancrum transmutentur. Verum scirrhosi tumores, in quibus aliquis, etsi valdè obscurus, supereſt sensus, aliquando, licet admodum difficulter, Curationem suscipiunt. Sed lividi coloris scirrhus valde periculosus est, & sæpius in cancrum degenerat. Prognosis

IX. In curatione haud neglecta legitima rerum nonnaturalium dispensatione, usurpatisque humores crassos, viscidos, austeros præparantibus ac expurgantibus remediis, applicentur leviter emollientia, attenuantia, incidentia resolventia. Fugiantur tamen nimis vehementer emollientia, Indicationes curativæ.

Digitized by Google

ne tumor in ulcus cancrosum abeat. Vid. Fabric. Hildan. *cent.* 1. *observ.* 89. Immodicè quoque discutientia caveantur, ne crassiore tantum humoris substantia remanente discussa tenuiore, tumor reddatur incurabilis. Validioribus namque adhibitis digerentibus, primis diebus cura procedere videtur: sed quod remanet, id insanabile omnino evadit, quod resoluto tenuiore, crassum restitet lapidosum. Leviter igitur emollientia & resolventia, nec non austerum humorem mitigantia tumori applicentur, quale est *emplastrum de ranis cum* aut *sine Mercurio*. Idem efficiunt *gummi in aceto soluta*, quæ emolliunt simul, & resolvunt vel.

℞ *Gummi ammoniaci, galbani, sagapœni in aceto solut.*
Styracis liquidæ an. ʒiß.
Emplastri de meliloto, de Mucilaginibus an. ʒij.
M. F. S. A. Emplastrum.

Barbette commendat emplastrum, & cataplasma.

℞ *Gummi galbani, ammoniaci, opponacis in acet. Sol. an.* ℥j.
Flor. sulphuris, myrrhæ rubræ an ℥ß.
Camphoræ ʒj.
Olei liliorum albor., axungiæ amatis an. ʒvj.
Ceræ q. s. M. F. S. A. emplastrum.

℞. *Rad. althæa rec.* ʒiij.
Iridis ʒj.
Fol. brassicæ, parietariæ, malvæ,
flor. camomillæ, meliloti an. Mj.
seminis lini ʒij.
Coctis in aqua pura ad mollitiem, & minutim contusis, adde
stercoris Caballini rec. ʒij. *caparum coctarum* ℥ß.
Axungiæ porci, olei chamæmelini an. ʒj.
M. F. S. A. cataplasma.

X. Sed priusquam admoveatur emplastrum vel

Digitized by Google

cataplasma, non nulli scirrhum foveri volunt decocto aliquo emolliente. Alii desiderant Suffitum ex aceto forti & spiritu vini super lapidem molarem, pyritem aut laterem candentem effusis: sic namque viscidum crassumque humorem incidi, attenuari, & resolvi censent. Mox per intervalla repeti volunt emollientia, hisquè succedant resolventia ad reliquam portionem, quæ simul evacuari non potuit, absumendam; atque sic cercilii filio scirrhum sanavit Galenus. Verum enim vero etsi acetum crassos humores dissolvat, excicetque, quoniam equidem *austerum*, hoc est, *acidum potentius & validius* hic peccat, videtur mihi frequentem nimis aceti usum hunc affectum augere posse, adeoquè usus ejus ut mediocris sit, necesse est, id quoque monente Fabritio Hildano *cent. 6. observ. 75.*

XI. Itaquè inter remedia scirrho imponenda præstant *leviter emollientia*, & *resolventia*, nec non *austerum humorem mitigantia*, ita tamen ut toto curationis decursu conjungantur, modo unius, modo alterius quantitatem augendo. *suppurantibus* verò nunquam, utendum quoniam quæ exulcerationem, vel etiam minimam tumoris excorationem promovent, facilè tumorem scirrhosum in ulsus malignum & cancrosum degenerare faciunt.

XII. Sunt qui *exscissionem* vel *inustionem* tentant, sed nimis audacter, nisi proprio contineatur folliculo, tuncque scirrhi nomen talis tumor minimè meretur. At quam periculosa sit scirrhosi tumoris exsciscio docet Fabritius Hildanus *cent. 3. observ. 28.* exemplo cujusdem, qui, cum ipsi excidendus esset tumor scirrhosus ex interna femoris parte, inter operandum animam DEO reddidit. Insuper docet idem *cent. 2. observ. 80.* quomodo incipiens mammarum scirrhus ex lacte coagulato fuerit sanatus. Et *cent. 3. observ. 79.* scirrhi gra-

Digitized by Google

vissimi in carpo curationem tradit. Quemadmodum *cent. 2. observ. 49.* scirrhi lienis compendiosam describit curationem.

CAPUT XII.

De Tumore Aquoso.

Aquosus Tumor quid sit.

I. MArcus Aurelius Severinus *synopsi. cheirurg. l. 1. p. 48. aquosum tumorem* definit, quod sit *serosi & aquosi humoris in aliqua corporis parte præter naturam collectio, cum ejusdem partis secundum quantitatem excessu.* Sed potius dicatur TUMOR AQUOSUS aut SEROSUS, humoris aquosi seu serosi in aliquo corporis membro collectio, mollis, sine dolore, digitis facile cedens; at illicò resiliens.

Quomodo fiat.

II. Redundantia igitur serosæ humiditatis in corpore hujusmodi tumoris causa est, orta ob læsam sanguificationem, quâ loco laudabilis, dulcis, ac balsamici sanguinis, cruor generatur vitiosus, vappidus, aquosus; qui crudas, quibus scatet, humiditates in aliquam corporis partem effundit, in qua ea tumorem hunc per congestionem excitant.

Diagnosis

III. Distinguitur vero tumor aquosus 1. ab Oedemate, quoniam dum comprimitur comprimentis vestigium ac fovea in eo non relinquitur, ut in Oedemate. 2. à tumore flatuoso, quod percussus sonum non edat, veluti flatuosus tumor. 3. A phlegmone & erysipelate, quia istis in tumoribus dolor adest, minime autem in tumore aquoso. 4. A scirrho, quoniam tacui non renititur, veluti scirrhus.

IV. Signa porro quibus cognoscuntur aquosi tumores sunt, quod ii legitimo ac exquisito oedemate sint laxiores, molliores, minusque tactui renitentes, quamvis prementis digiti vestigium non re-

Digitized by Google

maneat, ſicut in oedemate. Inſuper ſi percutiantur vel premantur aquoſi tumores, inſtar murmurantis aquæ ſonitum reddunt. Cæterum minus turbidi ſunt oedemate, & ſi quis ad lucem ipſos intueatur, perlucentes & ſplendidi apparent. Denique perculiare hujuſmodi tumorum ſignum eſt, quod cum pruritu fiant; ob ſalſedinem ſcilicet; quæ ſeroſæ adeſt humiditati.

V. Tumores aquoſi, qui ob viſcerum quorundam dyſcraſiam, atque adeo læſam ſanguificationem fiunt, periculoſi ſunt, non ratione tumoris, ſed ratione principum partium affectarum: ii autem qui à nullo viſcerum vitio foventur, periculoſi non ſunt. Difficulter tamen curantur omnes aquoſi tumores, inprimis circa articulos, & in illis. Prognoſis

V I. Curatio aquoſi tumoris eadem fere eſt ac œdematis, & tumoris flatulenti. Conſiſtit nimirum in ablatione cauſarum. Eſt autem cauſa humiditas tum univerſalis, in toto corpore redundans; tum particularis, quæ ipſum parit tumorem. Hinc duplicem quoque ſibi ſcopum proponit curandi methodus: unum qui ſeroſitatibus in toto redundantibus leſe opponat: alterum, qui humiditatem tumorem facientem evacuet. Seroſitates in toto redundantes amoventur rectâ & legitimâ rerum nonnaturalium diſpenſatione, nec non generalibus uſurpatis remediis, quæ antecedentem hanc materiam emendare ac evacuare poſſint, haud ſecus ac de œdemate curando diximus. Scopi Curativi.

V I I. Equidem conjuncta cauſa è parte affecta evacuabitur topicis admotis digerentibus, exſiccantibus, reſolventibus. v. gr.

℞. *Emplaſtri de meliloto, de cumino de mucilaginibus, an.* ℥ß. *Pulv. Caſtorei* ʒß. *M. F. S. A. Emplaſtrum, extendendum in corio.*

Barbette eundem in finem ſequentia commendat.

Digitized by Google

℞. *Thuris, maſtichis, myrrhæ an.* ʒß. *Stercoris caprilli* ʒiß. *Sulphuris vivi, ſalis communis, Sem, Cumini an.* ʒiij. *Camphoræ* ʒß, *Therebinthinæ & ceræ q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.*

℞. *Stercoris vaccini* ʒß. *Columbini* ʒi. *Sulphuris vivi* ʒß. *Salis Nitri* ʒij. *Mellis, aceti an.* ʒiß. *Farinæ fabarum* ʒij. *Baccar. Lauri, ſem. Cumini an.* ʒß. *Olei anethini, nardini an.* ʒj. *vini albi gallici q. ſ. M. F. S. A. cataplaſma.*

Alii laudant ea quæ ſequuntur

℞. *Salis nitri* ʒx. *Piperis, baccar. Lauri an.* ℥j. *Olei Laurini* ʒvj. *ceræ q. ſ. M. F. S. A. Linimentum.*

℞. *Sem. Sinapi, urticæ, ſulphuris vivi, ſpumæ maris, Bdellii. Rad. Ariſtolochiæ rot. an.* ʒj. *Gummi ammoniaci, olei veteris an.* ʒij. *M. F. S. A. ceratum.*

Sed præter deſcripta nunc medicamenta, omnia illa quæ in œdemate & tumore flatuoſo curandis expoſuimus, huc quoque referri poſſunt.

VIII. Quod ſi nec ita tumor aquoſus cedat, aperiendus eſt ſcalpro, ſeu potius potentiali cauterio, ut de oedemate docuimus.

Inſuper ad aquoſos tumores curandos, conſulendum ſæpè ut *thermas calidas* adeant Ægri, *aquiſgranenſes* puta, *aliaſve ſulphureas & aluminoſas*, quæ humiditates potenter diſcutere, ſuâque caliditate debilitata viſcera ſimul roborare queant.

CAPUT XIII.

De Hidrocephalo.

I. AD aquoſos tumores quum abſcribi ſoleant hydrocephalus, hydromphalus, & hydrocele, tumores ſcilicet manu quoquè Cheirurgi curandi,

Digitized by Google

de iis ut in ſpecie quædam dicamus ordo poſtulare videtur.

Hydrocephalus igitur *aquoſum capitis apoſtema*, ſeu *aquoſitas quæ in capite reperitur* dici conſuevit. „ Congregatur autem interdum, inquit manardus „ *Epiſtol. Med. lib. 7. Epiſt. 2.* „ in capitibus præ- „ ſertim puerorum aqua in medio aut cutis, aut pe- „ ricranii, aut hujus & oſſis, quam ὑδροκέφαλόν Græci vocant. Pariter Galenus aquam in capite extra cranium interdum eſſe admittit, tuncque mollem apparere tumorem; aut quandoquè ſub cranio exiſtere, neque tum foris conſpici; vel nonnunquam utrobiquè ineſſe. Aſſerunt porro nonnulli, ejuſmodi morbum nequaquam fieri, neque inchoari, niſi in recens natis puerulis, idque ex morbi hujus cauſis ritè penſiculatis conſtare putant, nihilominus tamen obſervatum fuit, pueros ſeptem, octo, decem, duodecim annorum hoc affectu laboraſſe. Hydrocephalus quid ſit.

II. Eſt autem HYDROCEPHALUS tumor aquoſus, vel totam exteriorem capitis partem, vel majorem ejus portionem occupans; hinc quibuſdam haud immeritò *Hydrops capitis* appellatur.

III. Cauſa itaque hujus affectus eſt humor aquoſus in toto corpore redundans, hinc in capitis partes, exteriores plurimum, effuſus qui, nonnunquam ſeroſus, aliquando pituitoſus & ſubcruentus, ſemper verò lentus ac ſubviſcidus exiſtit. Hydrocephali Cauſa.

IV. Cæterum quatuor hujus affectus enumerari ſolent differentiæ deſumptæ ex ſede diverſa. Aliquando namque aquoſus humor inter cutem conſiſtit & pericranium, tuncque mollis eſt tumor, doloris expers, eique impreſſa digitorum inhærent veſtigia. Nonnunquam pericranium inter & cranium humor colligitur, eſtque tumor magno cum dolore, neque tam facilè tactui cedit. Aut inter cranium & craſſam menyngem; Vel ſub menyngibus in ipſius Partes affectæ, &c.

Digitized by Google

cerebri ventriculis humor continetur, atque tum foris nulla tumoris mollities est, sed futurarum cranii dehiscentia sentitur, quemadmodum visum fuit in bienni puella, cujus meminit Andræas Vesalius, intra cujus cerebri ventriculos novem propè aquæ libræ deprehensæ fuerunt; uti refert *Humani corp. Fabric. lib.* 1. *c.* 5.

Prognosis. V. Equidem aquosus humor si extra cranium hæreat, hydrocephalus aliquando curatur, nisi ob tenellam patientis ætatem remedia adhiberi nequeant. Sed sub cranio, vel ipso in cerebro si humor collectus sit, lethalis est affectus: hinc rectè ait J. C. arantius *lib. de tumor pr. nat. caput.* 1. eorum, qui ab interna causa Hydrocephalo corripiuntur, & præcipuè altius latitante malo, neminem evasisse vidi. Si apoplexia aut lethargus accedat, mors præ foribus est.

Hydrocephali Curatio: VI. Ut autem tollatur hic affectus, antecedentes causæ primo sunt removendæ. Quem in finem circa victum, resquè cæteras nonnaturales, & circa Remedia universalia, si ægrotans adultus si, eadem conveniunt, quæ pro œdemate curando propositimus. Sin vero infans sit, nutrix parcè tenuitequè vivat, & siccantibus utatur, humectantia fugiat, ac parum bibat; dein curandum ut tum infanti tum nutrici alvus semper libera sit.

VII. Sed ad continentem causam ex parte læsa tollendam, duplex occurit curationis methodus. Altera est, quæ topicis convenientibus absquè manuali operatione omnem humiditatem absumit. Altera vel unicâ incisione, vel pluribus scarificationibus aquosam materiem educit. Prima curationis methodus sanè tutior est, in puerulis præsertim natu minoribus; atquè poros cutaneos aperientibus, materiamquè conjunctam attenuantibus & resolventibus

Prima Curationis methodus.

Digitized by Google

solventibus perficitur, sub quacunquè formâ capiti applicentur. ex. gr.

℞ *Rad. calami aromat.* ʒiij.
Fol. Betonicæ, majoranæ, salviæ, rosmarini,
Summ. anethi an. Mj.
Flor. stœchados arab. Mjß.
Bacc. Juniperi. ʒß.
Sem. cumini. ʒiij.
Cerevisiæ tenuis vel *Vini albi gallici* ℔iiij.
Coq. S. A. in diplomate pro fotu.

Hoc fomentum cum pannis laneis capiti calidè admoveatur, ac identidem renovetur, exactè interim cavendo, ne unquam refrigeretur. Et quia sæpe id prohiberi nequit, hinc fomenti loco capiti imponatur *cucupha* ex *foliis majoranæ, Betonicæ, salviæ, calamenthæ, floribus stœchados, lavendulæ, rosis rubris, nuce moschata, &c.* quæ sæpius permutetur.

VIII. Malunt alii totum caput linimento inungere,

℞ *Olei cucumeris asnini.* ʒj.
Rutæ anethini an. ʒß.
Absynthii stillat. gut. xv.
M. F. *Linimentum.*

Eiquè inunctione factâ mappam probè calefactam, vel modo laudatam cucuphan imponere.

In adultioribus haud inutiliter *spiritu vini calido* caput fricari solet, quod tamen non temerè in infantibus tentandum.

J. B. Cortesius laudat unguentum à Foresto descriptum & probatum, quo spatio trium dierum, in puero quindecim dies nato hydrocephalum se curasse refert,

℞ *Pulv. absynthii,*
Flor. camomillæ aut *meliloti an.* ʒij.
Butyri recent.

Digitized by Google

Olei camomille aut *anethini an.* ℥iiij.
Ceræ parum q. s.
M. F. *S. A. Unguentum.*

Alii cataplasma ex cephalicis in vino coctis compositum, & capiti applicatum multum laudant.

Cataplasma ex *cochleis cum decocto cephalico minutim contusis* extollit avicenna, eoque ægram se sanasse refert Carolus Piso.

Altera Curationis Methodus, quæ Manuali operatione peragitur.

IX. Sed remediis hisce si morbus non cedat, ad alteram curationis partem, cheirurgiam puta, deveniendum est, quæ proponitur ab Ætio & „ Paulo Ægineta, dicendo: quod ubi aquosa „ materia inter cutem & pericranium, vel inter „ pericranium & cranium continetur, & quando „ tumor parvus est, apex ipsius unica incisione „ per diametron à parte postica ad anteriorem „ ducta incidendus. Si vero materia inter peri„ cranium & cranium contineatur, & tumor ma„ jor sit, duas per medium se mutuo secantes, „ crucis instar incisiones moliemur vel triangula„ ris formæ. Sin grandior adhuc sit tumor, ter„ nas literæ H figuram æmulantes, aut etiam „ plures juxta tumoris magnitudinis proportionem.

X. Equidem curatio hæc, quæ per incisionem fit, quamvis à gravissimis descripta sit auctoribus, cum vix tuta sit, mihi non probatur; atque de periculosa illa hidrocephali apertione testatur Fabritius Hildanus *cent.* 3. *obs.* 17. imprudenter illos agere, qui in hydrocephalis multa promittunt, sectionemque tentant. Si tamen per imposita exsicantia & resolventia medicamenta aquosus humor absumi nequeat, atque adeò cheirurgia requiratur, præstat in pluribus capitis locis maximè tumidis (cavendo à musculis temporalibus) cum phlebotomo parvas facere incisuras, quales in venæsectione, aut partis post appositas cucurbitulas scarificatione fieri solent: Deinde mappæ siccæ ac probè calefactæ im-

Digitized by Google

ponantur, quæ identidem, quoties à susceptо humore serosо madefactæ sunt, permutentur, usque dum omnis aquositas ablata, & hydrocephalus sanatus sit.

XI. Alii causticis capitis cutem aperire, vel actuali cauterio inurere, quinque, sex, pluribusve in locis suadent: sed videtur talis cheirurgia meritò suspecta, & ob cerebri vicinitatem admodum periculosa. Atqui potius usu venirent vesicatoria, fonticuli, setacea.

XII. Si sub cranio, viz. crassam menyngem inter & cranium, vel sub menyngibus ipso in cerebro hæreat aquosus humor, nulla tentanda cheirurgica operatio, sed per sola topica est procedendum, & reliquum opus naturæ committendum: rectè namque inquit Ambrosius Pareus *cheir. lib. 7. cap. 1.* ex tumore & humore intus sub cranio contento neminem convaluisse vidi. At de variis, nec non monstrosis hydrocephalis videantur schenKius *obs. medic. libr. 1. p. m. 10. 11. 12.* fabritius hildanus *cent. 1. obs. 10. cent. 3. obs. 17. 18. 19. cent 4. obs. 10.*

CAPUT XIV.

De Hydromphalo, & Hydrocele.

Hydromphalus.

I. HYDROMPHALUS seu AQUOSUS UMBILICI TUMOR est tumor ille, qui ob aquosæ materiæ intra umbilicum collectionem oritur ac fit, & à Nonnullis *Umbilici procidentia* nominatur.

Ejus Causæ, Signa &c.

II. Quæ verò sit hujusmodi tumoris causa, indicare videtur Aëtius, dicens: „ procidunt pueris umbilici, dum aut in diuturno ejulatu, & „ multum distenduntur, aut explaga, aut casu. Sed „ fit tumor hic, ex aquoso humore peritonæum inter & rugosam umbilici cutem collecto, hinc umbilicum ita distendente.

Digitized by Google

III. Signa verò quibus dignoscitur hic tumor sunt manifesta, quoniam umbilicus turgidus & prominens apparet, talisquè tumor laxus est, & si prematur, quædam aquæ fluctuatio persentitur, atque ad digitorum compressionem neque minuitur, neque increscit, neque occultatur, appositoque lumine perspicuus apparet.

IV. In puerulis hujusmodi tumor facilè curari solet, estque ferè sine periculo. Topica imponantur, quæ exsiccandi & resolvendi vim habent, quæque in aquosi tumoris curatione modo proposuimus, ac in aquosæ herniæ tractatione porro proponemus

Hydrocele.

V. HYDROCELE autem tumor est aquosus, qui scrotum replet, dilatat, distendit; unde & *aquosa hernia* dici consuevit.

Ubi aquosa materia colligitur.

VI. Colligitur aquosa hæc materies non fluctuans in scroto, inter darton, tunicam & cutem, neque darton inter & erythroidem membranam; sed inter erythroidem seu vaginalem & albugineam seu nerveam membranam, tanquam intra sacculum concluditur.

& quomodo.

VII. Accidit hic tumor frequenter cum hydrope ascite, serositatibus ex abdominis cavitate per peritonæi processus solitò laxiores in scrotum affluentibus, & spatium illud, quod tunicam vaginalem inter & albugineam est, replentibus ac distendentibus, hinc ut testiculi in aquis fluctuare videantur. Aliquando etiam fit hydrocele sine hydrope ascite, quando aquosa materies ob læsam sanguificationem toto in corpore redundans, tum per vasa sanguinea, tum per lymphæductus intra proximas testiculorum membranas deponitur, quæ ibidem congesta scrotum sensum distendit, atque tumorem hunc efficit.

Diagnosis

VIII. Facilè verò dignoscitur, & ab aliis tumo-

Digitized by Google

tum generibus distinguitur hydrocele. Sensim namque sine magno dolore augetur tumor, gravis est, seu ponderosus, vitreâ fere claritate pellucidus, quod oppositio candelæ lumine facilè cognoscitur: presso quocunque modo scroto aqua undique movetur, nisi forte nimia copia universi scroti capacitatem distendat & occupet. Rarissime tamen in abdomen compelli potest, uti omentum, vel intestinum; quia tumor scroti aquosus sæpius oritur peritonæi processu recte sese habente & minime relaxato: alioquin enim in abdominis cavitatem facile compelli posset aqua, uti cernitur si accidit hydrocele cum hydrope ascite.

IX. Differt igitur aquosus scroti tumor ab hernia intestinali, quoniam in hernia aquosa tumor fere semper ejusdem magnitudinis est, & nunquam ex toto remittit, quod contrarium accidit in intestinali. Differt etiam ab hernia omentali, quoniam inguen in hydrocele plerumque secundum naturam sese habet, quod non evenit in omentali. Distinguitur itidem ab hernia ventosa, *hoc est*, scroti tumore flatuoso, quoniam in eo tanta non cernitur pelluciditas, quam in tumore aquoso, & subito fit.

X. Hydrocele porro pro causarum varietate nunc magis nunc minus periculosa est; quæ enim cum hydrope conjungitur, non curatur, nisi sanato prius hydrope, ejusdemque causâ albatâ. Nam licet aquosus humor vel discutiatur, vel scroti apertione evacuetur, novus tamen rursus affluit. Si vero causa aquam generans minus gravis sit, facilius curatur. Equidem inveterata hydrocele, ne testes corrumpantur, haud in merito suspecta est. Prognosis

XI. In curatione autem herniæ aquosæ, universalibus ad tollendas causas antecedentes haud neglectis, ut de oedemate, nec non de tumore tum flatulento, tum aquoso curandis dictum fuit; vel Medendi Methodus

Digitized by Google

topica scroto prætumido applicentur calida, siccantia, resolventia, digerentia, contentam adeo in eo aquositatem absumentia; vel scroti quocunque modo apertione aquosa materies educatur.

XII. Fallopius *tom. 2. tract. de tumor. p. n. cap. 34.* haud abs re duplicem statuit herniam aquosam; unam, in qua dilatato nimium peritonæi processu, aqua ex abdominis cavitate in scrotum descendit, adeoque fluere & refluere potest: hæc autem non curatur, nisi prius ex abdomine omnis educatur aqua.

Altera herniæ aquosæ species est, in qua nimium non aperto peritonæi processu, aquosa materies per extrema tum sanguineorum, tum lymphaticorum vasculorum oscula in scrotum, vaginalem inter & albugineam testiculi tunicam, effunditur. Atque in hac specie topica medicamenta calida, resolventia, & digerentia adhibita multum prosunt, eaque semper experiri oportet, priusquam ad scroti apertionem veniamus. v. gr.

℞. *Rad. cucumeris asinini* ℥j. *fol. calamenthæ, abrotoni, rutæ, Sum. Anethi, flor. camomillæ, Rosar. rubr. a.* Mj. *Sem. cumini* ʒvj *coq. in aquæ puræ & vini albi an. p. æq. ad* ℥xxx. *colatura sit pro fomento.*

Magnæ quoque efficaciæ talia dicuntur medicamenta, si *aceto* inquoquantur.

℞. *Rad. cucumeris asinini bacc. Lauri sem. cumini, agni casti an.* ℥ß. *fol. Lauri, rutæ, rosmarini an.* Mj. *Decoq. in aceto ad* ℥xxx. *colaturâ pars affecta cum spongia foveatur.*

Vel fomentum fiat ex *lixivio cinerum sarmentorum viti*, in quo similia cocta sint, nec non *sal, sulphur*, aut *alumen* liquatum fuerit.

Etiam litus hîc multum prosunt. ex. gr.

℞. *Olei cucumeris asinini* ℥j. *Rutæ, laurini an* ℥ß. *Cumini stillat. Gutt.* x. *Misceatur pro linimento.*

Digitized by Google

Laudant alii cataplasma ex *stercore vaccino* mixtis *cineribus Plantarum digerentium*, aut *seminibus rutæ, viticis cumini, baccis lauri, juniperi*, similibus.

Nonnulli imponi volunt *emplastrum de meliloto*, *de cumino*, vel simile.

Scoltzius *consil. Medecin.* 131. Vehementer laudat id, quod sequitur.

℞. *Rad. cucumer. Asin. rec. contus. & in aceto scyll. macer.* ℔j. *Mellis despumati* ℔ij. *Misceantur, & bulliant in cerati consistentiam, addendo in fine sem. cumini subt. pulv.* ℥iiij. *M.* F. S. A. *Emplastrum.*

XIII. Sin his, similibusve remediis tumor resolvi nequeat, ad Cheirurgiam, *hoc est*, scroti apertionem veniendum. Quo modo autem & ordine scroti apertio instituenda sit, docent Paulus Ægineta *lib. 6. cap. 62.* & C. Celsus *lib. 7. cap. 18.*

Nonnulli scalpello scrotum aperire solent, cui tamen methodo vix assentimur, quoniam id ex collecta aqua distentum admodum, & flaccidum difficulter consolidatur; atque non raro ob partis affectæ porositates obstructas, spiritumque per eam radiationem valde imminutam gangrena accedit.

Alii hanc apertionem causticо, vel ignitis ferramentis efficiunt, atque apertum diu servant foramen cannulâ immissâ argenteâ vel plumbeâ.

Quidam scrotum aperiunt, acum filum duplicatum vel quadruplicatum ducentem setacei in modum trajiciendo, & quotidie bis terve protrahendo.

Avicenna in inguinis regione candentibus ferramentis inurit, ut pars corrugetur, ne aqua iterum descendere possit.

Sed potius scrotum aperiatur acu perforatâ barbetianâ, vel blocKianâ, sicque aquosa educatur materies. Atque hac methodo sæpius hydrocelen curavimus, eduximusque aliquando ex scroto tres,

Digitized by Google

aliquando quatuor aquæ libras. Etiam nunc inter mortales versatur Vir septuagenarius, cui singulo præter propter biennio scrotum perforatâ acu aperiri solet, ad collectam in eo aquam evacuandam. Similiter Fabritius Hildanus *cent. 4. obs. 66.* scribit, se novisse Virum sexagenarium, cui ob herniam aquosam singulis annis scrotum ex inferiore parte perforabatur, & serosus humor evacuabatur, ac postea ad cicatricem ulcus perducebatur: additque hominem illum ad summam perveniisse senectutem. Equidem circa scroti apertionem utiles quasdam admonitiones & observationes proponit idem hildanus *cent. 4. obs. 65. 66. 67. 68.*

CAPUT XV.

De Bubone.

I. HIppocrates magnas in emunctoriis sitas glandulas vocat *bubones*, traducto nomine ab affecta parte, quandoquidem illarum inflammatio *bubo* nuncupari solet. Ita Galenus *lib. 2. ad glauconem cap. 1.* & *de differ. febr. lib. 1. cap. 5.* inquit, *bubo est glandularum seu glandulosarum partium inflammatio.* Et *lib. 11. de meth. med.* ait, *bubonem esse affectionem corporis glandosi, & quandoque pestiferæ febri associari.*

Bubo quid sit.

II. Est igitur BUBO inflammatio, seu potius tumor præter naturam glandularum rubicundus, dolens, renitens, ex impuro sanguine criticè in illas expulso ortus. Hinc pars affecta in bubonibus sunt plerumquè glandulæ pone auriculas, sub axillis, aut in inguinibus sitæ: aliis namque in glandulis vix unquam aut saltem raro bubones fiunt.

Buborum Differentiæ.

III. Hujusmodi verò glandularum tumoris quædam dantur differentiæ. Enimvero minor si sit tumor, minusque dolens, facilè tamen suppuretur *phyma*

Digitized by Google

dici consuevit. Sin ad erysipelatis naturam magis accedat, neque facilè suppuretur, quin potius discutiatur, *phygetion* appellatur. Si sub maxilla existat *panus*; atqui post auriculas *parotis* nominatur.

IV. Insuper bubones alii critici sunt, alii symptomatici, & horum alii contagiosi, alii non contagiosi. Qui contagiosi alii pestilentes sunt, quia pestilentes sequuntur febres, atque vulgo *bubones maligni* seu *pestilentiales*, belgis (*Pest Buplen*) nuncupantur. Alii non sunt pestilentes, qui *venerei* seu *gallici bubones*, nostratibus (*Clap-Ooren*) appellantur, cum à gallica lue proveniant.

V. Generalis ergo bubonum causa est sanguis vitiosus, acescens, dictas in glandulas naturæ robore expulsus; qui illic hærens, cum propter abundans *acidum* sanguinis formam amiserit, atque suppuretur, tumorem hunc excitat. Causæ.

VI. Causa vero efficiens est partium internarum robur, quæ in glandulas, seu vera emunctoria, vitiosos ablegant humores. Sed quod in glandulis tantum bubones contingant, ratio est, non quod destinatione quadam naturæ cruoris recrementa has in partes deferuntur; at cum vitiosæ particulæ ubique passim in sanguine scatent, in glandulis, seu partibus laxioribus, velut in communi foco promptius aggeruntur, præsertim quem sanguis illic ad arteriolarum extrema delatus, difficulter & non ita promptè suscipitur, ac refertur à venis: atque hoc circa glandulas fieri experientiâ, & hodiernorum anatomicorum observationibus liquidò constare putamus: quare cum in locos glanduloſos vitiosi in toto corpore scatentes humores promptius, quam alias in partes deponuntur, impuritatis velut nidus ibidem conflatur. Cur Bubones in Glandulis contingant.

VII. Ita *pestilens bubo* fit, quando particulæ venenatæ & malignæ in glandulas pone aures, aut Bubo pestilens.

Digitized by Google

ſub alis, aut in inguinibus, aut in colloſitas, naturæ robore expelluntur.

Bubo Venereus.

VIII. Atqui *venereus bubo* plerumque in inguine fit eſtque tumor, qui nec ſponte, intimoque vitio, nec ullo ſimplici attactu, congreſſuve, aut corrupti aëris inductione, ſed impuro duntaxat concubitu contrahitur: atque adeo efficiens ejus cauſa haud in merito cenſetur maligna & venenata quædam labes, quæ coitu in penè primum accepta, nonnunquam puſtulis, tuberculis, & ulceribus ipſum conſpurcat, & ſeſe manifeſto prodit, antequam partium continuatione altius in corpus propagetur: nonnunquam verò, penè adhuc integro, clanculum penitius ſeſe inſinuans, inteſtinas partes primum afficit, fædatque, nullis adhuc notis extrinſecus conſpicua. Quæ ſi exigua infirmiorque eſt, corpus verò ſanum & firmum, humorum vitium atque corruptela parva conſequitur, quam natura ſuis facultatibus tanquam copiis nixa, in partes externas, inguinum puta glandulas deponit, unde *bubonem venereum* naſci contigit.

Signa diagnoſtica.

IX. Equidem varia hæc bubonum genera facile dignoſcuntur, & ſignis à ſe invicem diſtinguuntur. Ita ſymptomatici, non tamen contagioſi bubones cognoſcuntur ex tumore, rubore, dolore, calore, tenſione, renitentia, pulſatione, quibus ſæpe febris adeſt. In critico bubone eadem adſunt ſigna; ſed inſuper adjungitur præcedens morbus, per erumpentem bubonem morbi ſublevatio, & dein ab eodem morbo liberatio.

Peſtilentis bubonis ſigna ſunt quod conjuncta ſit febris maligna, peſtilens, malignis ſymptomatibus, ut nauſeâ, vomitu, cordis oppreſſione, animi deliquio, & ſimilibus, quæ in peſte obſervari ſolent, comitata: inſuper ſi Ægrotans verſatus fuerit in aëre peſtilenti, aut in loco, in quo plures peſte ſunt correpti.

Digitized by Google

Venerei bubonis signa sunt, non solum modo tumor, dolor, rubor, calor, & alia proposita; sed coitus cum persona gallica lue infecta: nonnunquam & alia adsunt luis venereæ signa, ut penis ulcera, virulenta gonorrhæa, dolores vagantes & noctu magis affligentes, pilorum defluvium, &c.

X. Cæterum benigni bubones periculosi non sunt, nisi tarde dissipentur aut suppurentur. Nam quamvis ex sua natura non sint periculosi, facile tamen, si diutius protrahantur, in fistulas abeunt; quæ non solum sunt difficiles curatu, sed sæpe periculosæ. Prognostica.

In genere bubones citius maturantur sub axillis, quam in inguinibus, & hic citius quam post aures.

Malignus seu pestilens bubo subitaneæ mortis non raro prodromus est; minus tamen periculosus est, qui præcedit febrem pestilentialem, quam qui eandem sequitur. Qui in inguine apparet, minus habet periculi, quam pone aures, aut sub alis. Etiam talis bubo quo minor est, eo periculosior.

Venereus bubo lethalis non est, sed difficilis curationis, idque non bubonis sed venereæ infectionis ratione: est equidem salubris, eo namque mediante brevi sæpe curatur venerea lues.

XI. Cum igitur bubonum species hoc modo distinxerimus, proponenda erunt unicuique propria & accommodata remedia, sic in *bubonibus*, *benignis*, *ortis per modum expulsionis*, antecedens causa primo est evacuanda. Quem in finem lenis *purgatio* sæpe admodum necessaria est. *Venæsectio*, nisi febris gravior aut plethora exegerit, ne instituatur, quippe quæ sanguinem perturbare, atque adeo naturam in opere expulsionis impedire possit. Verum *sudoris provocatio* in omni bubone valde prodest. Quæ in Bubonum curatione sunt observanda. Bubo Benignus. quomodo curandus.

XII. Deinde ad conjunctæ materiæ correctionem & evacuationem, nec non symptomatum mitigationem conducunt resolventia, imo & attrahen-

Digitized by Google

tia, ac maturantia foris impoſita: repellentia vero ne admoveantur, quæ vitioſos robuſto naturæ conatu expulſos humores cohibere, adeoque interiora verſus repellere ſolent, unde gravia oriuntur ſymptomata, atque non raro pallida mors ſuccedit; ita hildanus *cent. 3. obſerv.* ſe obſervaſſe ſcribit, ex intempeſtivo repellentium ad emunctoria applicatorum uſu mortis periculum ſequutum fuiſſe.

Sed in dolorifico Bubone neceſſarium omninò eſt *dolorem ſedare* antequàm ulla alia imponantur remedia, admoto hoc vel ſimili Cataplaſmate.

℞. *Fol. Malvæ, althææ an.* Miß.
Coctis in aqua puræ ad mollitiem, & minutim contuſis adde
Farinæ Hordei, althææ, fænigraci an. ℥iß.
Vitellos Ovorum No. ij. *croci pulver.* ʒj.
Butyri rec. ℥iß.
M. F. cataplaſma.

Sedato pauliſper dolore Attrahentia & Suppurantia admovenda ſunt. v. gr.

℞. *Rad. Lilior. Albor. rec.* ℥iiij.
Caparum ſub cinerib. aſſat. ℥ij
Fol. Malvæ, althææ.
Flor. Melilloti an. Mj.
Caricar. ping. conciſſ. No. x.
Coctis in aqua pura ad Mollitiem, & minutim contuſis adde
Farinæ Sem. Lini, fænigraci an ℥ij.
Olei Lilior. alb. ℥iß.
Unguenti Baſilici ℥j.
M. F. cataplaſma.

Suppuratus Bubo quam citiſſimè aperiatur, Ferro potiùs quam Cauſtico, atque apertus ſervetur, donec omnis materia fuerit evacuata, & dein aliorum ulcerum ad inſtar curetur: viz. *Emplaſtrum Diachylum cum Gummi*, aut *de Mucilaginibus* ap-

Digitized by Google

plicetur. *Solo* ſæpè *Oleo Olivarum*, *Raparum*, *camomillæ*, vel *Liliorum Alborum* curatur.

XIII. In *Venereo* autem ſeu *Gallico* Bubone nec Repellentibus utendum eſt, nec Reſolventibus; verùm omni operâ curandum, ut quamprimùm fiat Maturatio & Suppuratio, cum indies videamus, Bubones hi ſint matureſcant, & ad ſuppurationem deveniant, ſæpiſſimè à Lue Venerea evadere Ægrotantes. E contrariò in Gallicam Luem facilè illos incidere, in quibus vel Repellentibus, vel Reſolventibus Bubones curare conamur. Hinc nec Venam ſecare, nec corpus purgare licet, quamdiù ulla ſpes eſt Topicis Medicamentis eos curari poſſe. Curatio bubonis venerei.

XIV. Igitur ad malignorum humorum perfectam expulſionem ſi tardior ac imbecidior videatur natura, Attrahentibus adjuvanda eſt, imponendumque Cataplaſma. v. g.

℞. *Caparum ſub cineribus aſſat.* ℥ij. *Saponis nigri*, *Emplaſtri Diachyli cum Gummi an.* ℥iß.
Unguenti Baſiliconis an. ℥iß.
Fiat ex his S. A. cataplaſma.

Vel

℞. *Rad. liliorum albor. ſub cinerib. coct.* ℥iij.
Caparum pari modo coctarum ℥iiij.
Axungiæ Porci ℥ij. *croci pulv.* ʒj.
Vitellos duorum Ovorum,
M. F. S. A. *cataplaſma.*

verum tamen quum talis Bubo pertinax ſit, nonnunquam *cucurbitula cum magna flamma* imponi ſolet.

Botallus *lib. de lue Venerea cap.* 10. ad Gallicos Bubones maturandos *frictiones* & *cucurbitulas Ventoſas* valdè commendat, nihilque his citiùs vel meliùs ſuppurationem accelerare ait. Fricentur autem digitis ſimpliciter, vel recenti Butyro illitis, uſque dum tumentes; & Phlegmone obſiti tactum ampliùs ferre nequeant; quo tempore ſuppurantia imponenda.

Digitized by Google

Fallopius *libr. de Morbo Gallico cap.* 91. commendat motum, & mandat ut ludant gl dio, vel pillâ parvâ, ut ſaliant, & motu iſto fiat fluxio, ac promoveatur ſuppuratio.

XV. Supuratus hujuſmodi Bubo mox aperiatur, ferro potiùs quàm cauſtico; etiam *ſemicoctâ exiſtente materiâ*. Enimverò tardius facta apertura ſæpè noxia eſt, quod ampliorem, quam par eſt, ſibi ſedem efficiat venereum venenum, vicinas partes inficiat, peſſimaque ſymptomata inducat, ut exemplo demonſtrat Hildanus *cent. 5. obſ. 65.*

Hiſce tamen omnibus nihil efficientibus, univerſâ tum ſanguinis tum lymphæ maſſâ infectâ, curatio porrò inſtituatur ut in Lue venerea.

In bubone peſtilenti quid agendum.

XVI. Similiter *in peſtilenti Bubone* nec Venæſectio, nec Purgatio (quidquid etiam contra adferant Adverſarii) locum habet; ſufficiunt ſudorifera & Alexipharmaca, ut in generali peſtis curatione.

Extrinſecùs nonnulli ſuadent Bubonibus hiſce imponere Diſcutientia, quos inter eſt Cl. Sylvius, qui *prax. medic. lib. 5. Tract. 2.* laudat Peſtilentes Bubones in principio diſcutere litu *olei cornu cervini*. Sed cum modus hic periculoſus ſit & incertus, ei non ſubſcribimus; verùm præſtat per Attrahentia & ſuppurantia curationem inſtituere.

XVII. Quum ergo peſte correpti duritiem cum dolore ſentiunt pone aures, in collo, ſub Axillis, vel in inguinibus, mox ei applicetur *veſicatorium ex cantharidibus & fermento acri*, ut venenata materies naturæ robore expulſâ foras ulteriùs protrahatur. Altero die admoveatur cataplaſma attrahens, & vehementer maturans. ex. gr.

℞. *Rad. liliorum albor. rec.* ℥ij.
Fol. Rutæ, Malvæ, althææ ſcabioſæ an. Mj.
Caricarum ping. conſciſſ. No. x.

Digitized by Google

Omnia in aqua pura cocta in mortario contundantur, additis tribus bulbis cæparum sub cineribus assatis, &

Farinæ althææ, Tritici an. ʒvj.
Fimi columbini ʒiiß. *Fermenti acris* ʒjß
Mellis ʒj. *Unguenti Basiliconis* ʒiß.
Butyri rec. ʒij.
M. F. S. A. *cataplasma.*

Equidem in secundo Cataplasmate *fimus columbinus, fermentum acre, & cæpa possunt omitti.*

Vel

℞. *Rad. alibææ, cæparum sub ciner. assat. an.* ʒiß.
Fol. scabiosæ, malvæ ruta an. Mj.

Coctis in aqua communi ad mollitiem, & contusis adde
Emplastri Diachyli cum Gummi ʒiß.
Olei scorpionum
Mithridatii an. ʒß. *croci pulver.* ʒj.
M. F. S. A. *cataplasma.*

Vel

℞. *Cepam unam, quæ excavetur, & cavitas impleatur Theriacâ vel Mithridatio; dein chartâ involutâ sub cineribus calidis coquatur, hinc teratur cum oleo scorpionum, & fiat* S. A. *cataplasma.* Cui nonnunquam *fermentum acre* addi solet.

Vel solæ *cæpæ sub cineribus assatæ*, contusæ, & cum pauxillo, *Theriaces & Butyri insulsi* mixtæ, Cataplasmatis formâ per biduum aut triduum imponantur.

Barbette hoc in casu vehementer laudat emplastrum.

℞. *Emplastri Diachyli cum Gummi*
de Mucilaginibus ℔ß.
Unguenti Basiliconis an. ʒiiij.
Sem. sinapi pulver. ʒiij.
M. F. S. A. *Emplastrum.*

Nonnulli Gallinam aut Ranam viventem atque discissam parti affectæ applicant, sæpiùs eandem reno-

Digitized by Google

vando. Alii Gallinæ aut Columbæ viventis podicem deplumatum admovent. Quidam totum Bubonem sectione auferre conantur, quod periculosum valdè, & nequaquam permittendum. Neque etiam Cucurbitulæ vel infrà Bubonem, vel ipsi buboni appositæ conducunt, quoniam in peste, & pestilenti bubone eæ admodum damnosæ sunt.

XVIII. Tumor verò maturus mox scalpello incidendus, ut puri exitus detur: & quidem aperiendus est, priusquàm omninò matureſcat ut de Bubone Venereo dictum fuit, cum citissimè Venenum sit educendum. Atque hujusmodi Bubo aliquandiù, quantùm fieri potest, apertus servandus; dein ab omni sorde mundificandus, & aliorum ulcerum adinstar porrò tractandus: quem in finem summoperè conducit. *Digestivum* ex *Unguento Basilicone*, *Melle*, *Theriaca*, & *Balsamo Sulphuris Therebintinato*.

CAPUT XVI.

De Carbunculo seu Anthrace.

Nomina, &c.

BUbonem sequitur Carbunculus seu *Carbo*, ità dictus, quia extinctum Carbonem refert; vel (ut alii volunt) quia illius color in ambitu instar carbunculi lapidis obscuro rubore splendescit. Nominatur etiam *Anthrax*, ab *ἀνθρακόω in carbonem* muto, quia occurrit Affecta Pars extincta quasi, & in Carbonem mutata; hinc Nostratibus (*Ein Koole*) appellatur. Arabibus *Ignis Persicus* & *Pruna* nuncupatur, quia non malè refert exustionem cum Pruna ignita factam, vel ut mavult Galenus; quia vicinæ partes vehementer inflammantur, & quasi uruntur.

II. Nonnulli inter anthracem, Carbunculum, & ignem persicum, aliquam statuunt differentiam, cum

Digitized by Google

cum tamen reipsà nihil differant, neque veteribus ullum discrimen fuerit cognitum: Et Avicenna in curatione ignis persici eadem præscribit medicamenta, quæ Galenus in carbunculi curatione commendat. Verum nulla alia hic obtinet differentia, quam quod modò major, modò minor, quandòque magis, quandoque minùs malignus sit carbunculus.

III. In cognitione autem carbunculi gravitet hallucinatum est inter Medicos Galenus namque ulcerum ordini Anthracem annumerans in *Comm. ad Hipp. Aphor.* 45. *Sect.* 6. ait: *Anthrax est Ulcus crustosum cui conjungitur multus partium circumstantium fervor.* Et alibi; *Carbunculus est Ulcus crustam citò cum valida Phlegmone circumstantium partium inducens.* Hanc Galeni definitionem sequitur Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 25. Cui plerique posteriores Medici subscripserunt. Verumenim verò si carbunculi essentiam curiosius indagemus, observabimus has definitiones ipsi non satis propiè accommodari: etenim carbunculus non est partis alicujus exulceratio, sed potiùs ejusdem Necrosis seu Sideratio à particulis acri-salinis lixivialibus inducta. Est igitur *Carbunculus* partis alicujus Gangræna, dum in fieri est; vel ejusdem Sphacelus, dum in facto est, quorum neutrum ulceribus annumerari potest. Sphacelum esse, & non ulcus, indè liquet, quia nullâ naturæ vi edomari & in pus converti potest carbunculus, quod posset si ulcus esset; sed in eget à vicinis partibus separatur. Carbunculus seu Anthrax quid sit, & unde oriatur.

IV. Præterea in *causis carbunculi* adhuc gravius erratum est. Galenus *lib. de Tumor. pr. nat.* dicit, *carbunculos excitari cum sanguis tanquam fervens & inflammatione propinquus cutem exurit.* Haud secus aquapendens *Oper. Chirurg. part.* 2. *lib.* 1. *cap* 27. scribit, *carbunculum fieri à fluxione ferventissimi sanguinis ad partem. Paulus Ægineta lib.* 4. *cap.* 17. &

Digitized by Google

Mercurialis *de peste cap.* 18. putant *illum causari à crassis & adustis humoribus.* Actuarius *Meth. Med. lib.* 2. *cap.* 12. credit *eum oriri à sanguine melancholico fervente.* Fernelius *crassum torridumque sanguinem* Forestus *sanguinem corruptum, fervidum cum succho melancholico vel atrabile, carbunculi causam* statuunt sed à veritate longissimè aberrant, & illi, & quotquot hactenùs illorum sententiis subscripserunt Medici, namque Carbunculus seu Antrax est partis alicujus vel incipiens, vel perfecta mortificatio aut corruptio, à particulis acri-salinis lixivialibus ac venenatis, criticè in illam expulsis, orta, undè excitatur tumor maximè adurens, & nigram crustam habens.

Carbunculi Definitio.

V. Ut plurimum autem ab exili pustula, in ambitu inflammata, ac dolente; interdum à pluribus parvis pustulis, quæ postea in unam vesiculam coëunt; aliquando sine pustula incipit anthrax. Dein pars affecta dolorem sentit, pungitivum, & quasi constringitur, hinc paulatim magis magisque corrumpitur, ac nigrum vel cinereum acquirit colorem: partes, quæ proximè carbunculum circumstant, alterantur, haud secus ac in gangræna fieri solet; etiam valdè inflammantur, acriterque dolent, quas natura, antequam mortificationis labes in illas quoque proserpat, suppurat, atquè hac mediante suppuratione corruptam & emortuam particulam, viz. Carbunculum, à sanis separat, ejicitque.

Signa Diagnostica.

VI. Omnis anthrax suâ naturâ periculosus est, præsertim tempore; pestilenti, quique niger est, parti principi vicinus, magnus, & subito evanescens. Minus vero lethalis est carbunculus, qui primum ruber, dien citrinus apparet, qui livescit aut nigricat, neminem fere non jugulat.

Prognostica.

VII. In curando carbunculo *purgantia* valde mihi suspecta sunt imo suspecta magis *venæsectio*,

Carbunculi seu Anthracis Curatio.

Digitized by Google

Sed *sudoriferis* & *alexipharmacis* solum modo insistendum, quibus particulæ venenatæ acri-salinæ dumentur & per habitum corporis expellantur. *Topica* vero *medicamenta ne repellant, sed potius foras trahant.* Itaquè locus affectus altè scarificetur, atque ne sanguis corruptus concrescat, liberiusque ut effluat, foveatur *spiritu vini in quo dissoluta theriaca*; dein superponatur cataplasma.

℞. *Farinæ seminis lini* ℥iß.
Coq. cum s. q. lactis dulcis recentis & addendo Croci pulver. ʒß. *Vitellam unius ovi.*
Mellis q. s. F. S. A. Cataplasma.

Sed quoniam anthracis curatio exigit, ut quamprimum *promoveatur suppuratio*, & *exitiosa mali inhibeatur propagatio* præstans remedium sæpè est, ut *candente ferro pars affecta inuratur.* Neque enim dolor metuendus, quia caro emortua non sentit, finisque adurendi est, dum omni ex parte sensus doloris adsit. Sunt tamen qui eo horrendo nimis (ut dicunt) præsidio abjecto, *cauterium potentiale* aut *vesicatorium* eligunt; quod utrumque etiam conducit, quoties aut fortia satis videntur, aut alio medio uti non licet: sæpius namquè multisciorum adstantium voluntati obtemperare cogitur medicus, etiam cum damno Ægrotantis.

Hoc in casu vigerius *chir. lib. 1. cap. 9.* ad malignitatem & virulentiam carbunculi corrigendam, istud laudat remedium.

℞. *Calcis vivæ & non extinctæ.* ℥j.
saponis mollis q. s.
Formentur in formam unguenti solidi, & fiat emplastrum, quod carbunculo applicetur per duas treſve horas.

Cl. Sylvius *praxeos medica lib. 4. tract. 2. §. 690.* testatur, nihil „ se hactenus noviſſe, quod potenſ „ tius, ac certius, citiusque serpentem carbunculo-

„ rum mortificationem ſiſtat, quam *butyrum antimo-*
„ *nii*, ſi circumcirca illinatur parti affectæ; ad mi-
„ raculum enim tunc ſiſtitur partium omnium cor-
„ ruptio ſerpens, ac omnia depaſcens.

At verò eſcaræ ſeparationem promovet inunctum *unguentum baſilicon* vel *butyrum recens*, vel id quod ſequitur,

℞. *Butyri inſulſi* ℥iß. *Unguenti baſiliconis* ℥ß.
Theriaces ʒj. *Vitellum unius ovi.*
M. F. S. A. Linimentum.

Barbette ad cruſtæ ſeparationem commendat emplaſtrum,

℞. *Theriaces, mitridatii an.* ℥ß.
Therebinthinæ, fermenti acris an. ℥ij
Mellis roſarum ℥iß. *Butyri rec.* ℥ij
Vitrioli albi ℥j. *ſuliginis* ℥ ijß.
Saponis nigri ℥iij. *Croci pulver.* ʒiij
Vitellos trium ovorum.
M. F. S. A. Emplaſtrum.

VIII. Nonnulli in principio curationis, omiſſâ ſcarificatione, carbunculo imponunt *folium braſſicæ rubræ aſſatum, oleo raparum inunctum*; ac poſtea hanc vel ſimilem applicant pulticulam, ſæpius eam permutando,

℞. *Rad. Conſolidæ maj. pulver.*
Fol. Scordii pulver. an. ʒij
Farinæ althææ, lini, tritici an. ℥ß.
Coq. paulatim in aqua purâ, ut mucilagines ſolvantur, & compoſitio ad pulticulæ craſſioris conſiſtentiam deveniat, cui adde
Mellis, therebinthinæ unguenti apoſtolorum an. ʒiij. *Picis liquidæ, unguenti baſiliconis an.* ʒij *Crocì pulveriſiti* ℈j. *Vitellum unius ovi. Miſceantur.*

Vel *Pix navalis & liquida æqualibus partibus mixta*, formâ emplaſtri imponatur, aut *emplaſtrum diachylum cum gummi.*

Digitized by Google

IX. Carbone separato & exempto, ulcus aliorum ulcerum instar curetur, diligenter sc. abstergendo; quem in finem admodum conducit *mundificativum apio*, cujus hæc est descriptio,

℞. *Succi foliorum apii depurati* ℔j.

Vel ejus loco

Absinthii, plantaginis crassulæ an. ℥iiij

Thuris, mirrhæ, mastichis an. ℥j.

Therebinthinæ ℥iiij.

Farinæ hordei, fabarum, orobi an. ℥iiß

Mellis optimi ℔iß.

Coq. simul S. A. ad spissitudinem mellis, & sit usui.

Vel loco hujus mundificativi,

℞. *Fol. scordii pulv.* ʒij. *Vitellum unius ovi*

Mellis therebinthinæ, unguenti apostolorum an. ℥ß. *misceantur.*

Potest quoquè hîc usurpari *unguentum fuscum felicis Wurtzii.* Sed notandum ulcera hæc nimis citò occludenda non esse, quin potius aliquamdiu aperta servanda, ut venenata materies probè expurgetur.

CAPUT XVII.

De Gangrena, & Sphacelo.

I. *Gangræna & sphacelus* nec tumores sunt, nec ulcera; imo nec morbus *sphacelus* est, sed partis affectæ νέκρωσις & mortificatio: *gangræna* verò via ad mortificationem tendens, quæ nonnunquam sine tumore invadit: quia tamen frequentissimè tumores subsequitur, inflammationes præsertim graviores, pleriquè inter tumores de affectibus hisce agere consueverunt; quorum ductum nos sequentes de iis hoc loco etiam sumus dicturi.

II. GANGRÆNA igitur, quam vulgò (*het* Gangræ-
næ

Digitized by Google

Sphaceli Descriptio.

heete Duer, ofte den Hoffen-brand,) & *ignem S. Antonii vel Marcelli* nominant, incipiens est partis mortificatio aut corruptio ad νέκρωσιν seu mortificationem tendens, cui nisi celerrimè succurratur, membrum plane emoritur, omnemque sensum & vitam amittit nihilquè seu secetur seu uratur percipit, quæ νέκρωσις ità perfectè latinis SIDERATIO, Græcis σφάκελος, nostratibus (*het Koude Duer*) nuncupatur, adeo ut duo hi affectus non nisi gradu differant. In sphacelo namque pars omni sensu & vitâ destituta est, planequè emortua: in gangræna verò perfecta partis corruptio nondum adest. Et cum in gangræna nondum sit tanta corruptio, neque perfecta mortificatio, molliores partes solummodo invadit: sphacelus verò, utpote qui est perfecta ac integra partis corruptio, non solum partes molliores, cutem puta, carnem, venas, arterias, nervos invadit, sed & ipsa ossa intacta non relinquit.

III. Hinc multi gangrænam definiunt, quod sit *incipiens mortificatio partium corporis mollium, ferè inflammationem gravem, aut malè curatam insequens.* Galenus *lib. de tumoribus præter naturam*, videtur definire, quod sit *initium mortificationis in parte ægra, quæ paulatim sic invadit & occupat partes vicinas & adjacentes, ut nisi adferatur remedium, Perfecta subsequatur mortificatio.* Et alibi inquit *gangrænam esse dispositionem mediam inter summas inflammationes & sphacelum, eamque inflammationibus esse tanto deteriorem, quo mitior est gangræna sphacelo.* Alii aliam dant gangrænæ definitionem. Sed omnes omnium definitiones aut descriptiones adferre infinitum foret, sufficit si dicamus, GANGRÆNAM esse incipientem & imperfectam partium mollium, cutis sc. musculorum, venarum, arteriarum, nervorumque mortificationem. SPHACELUM verò plenam, perfectam, & absolutam mortifica-

Digitized by Google

tionem, non ſolum ſupradictarum partium, ſed & oſſium quoquè aliarumque plus minus ſolidarum. Vel GANGRÆNAM eſſe partis fientem mortificationem, SPHACELUM verò jam factam & deploratam.

IV. Cum itaque uterquè affectus, gangræna nempe & ſphacelus, ſit mortificatio, hic quidem perfecta, illa autem imperfecta, adeoque nec differant niſi gradu, ideo utriuſque *Eadem* erunt *cauſæ*. *Affectuum horum cauſæ.*

V. Gangrænæ & Sphaceli cauſa eſt, quum Pars Spiritibus, quibus foveri & vivificari ſolebat, deſtituitur. Spiritibus pars deſtituitur, vel quia in iſta parte ſuffocantur, vel quia in eam transferri non poſſunt. Suffocantur & oprimuntur Spiritus aut nimia inflammatione; aut aquoſo humore in partibus collecto; aut nutrimenti defectu, aut animalis venenati punctione ſeu morſu, aut nimio æſtu externo ex ambuſtione aut magnâ partis contuſione; aut ſcorbuto. In partem perferri nequeunt Spiritus, quum nimiâ vaſorum & pororum obſtructione via intercluſa & obturata eſt.

VI. Namque gangræna haud rarò oritur, quandò naturalis vivificans calor ex impedita tranſpiratione ſuffocatur, uti evenit in mannis inflammationibus; præſertim ubi temerè iis adhibentur. Frigida, adſtrigentia, & Emplaſtica medicamenta, Bolus viz. Armenus cum Ovi Albumine, ſimiliave, quibus ſpiritus influentes, ipſumque nutrimentum arcentur & repelluntur quaſi à parte affecta: ipſiſque adeo vaſculis capillaribus, poriſque cutaneis eorundem medicamentorum uſu conſtrictis, empyreumata per inſenſibilem tranſpirationem evacuari ſolita parti impinguntur valdè, ac veluti inculcantur; atque ita obruitur, ſuffocaturque quantulumcunque ineſt calidi innati, *hoc eſt*, ſpiritus radiantis ac partem vivificantis. *Gangræna Cauſa Prima.*

Digitized by Google

Secunda VII. Insuper ab ingenti frigore externo sæpè oritur gangræna, atque non rarò observatur hyeme per nives & glaciem iter facientibus extrema pedum, manuum, aures, nasum, emori ob externi frigoris vehementiam. Sed priusquam extremæ hæ partes planè emoriantur, primò acutus & pungens oritur dolor, quo cessante Gangræna, hinc & Sphacelus adest. Enimvero quum tardius in extremitatibus sanguis circulatur, facilè, vasculis capillaribus porositatibusque externis vehementi frigore constrictis, ibidem stagnat & condensatur; interim affluens cruor ultrà moveri nequiens itidem subsistit, concrescitque: qui, postquàm Spirituosæ & Salinæ volatiles particulæ evanuere, per fluorem salinarum particularum acrior factus nervosas, tendinosas, aliasve membranosas fibrillas vehementius rodit & lancinat, adeoquè acutum pungentemquè dolorem excitat. Atqui corrupto magis sanguine, vasculisque capillaribus exesis, cessat dolor, cessat spiritus vivificantis radiatio, suffocatur nativus calor, hinc incipiens primò dein perfecta accedit partis mortificatio; cujus color rubicundus in lividum ac nigricantem protinus mutatur.

Tertia. VIII. Etiam gangrænæ causa quandoque est humor aquosus in partibus inferioribus, cruribus, puta, pedibus, ac scroto collectus; quo partes hæ nimis distenduntur, porositates obstruuntur, insensibilis impeditur transpiratio, hinc (recrementis per eam exhalare consuetis in partibus retentis) vivificantium spirituum radians motus imminuitur, tandemquè aboletur, atque adeo innatus calor extinguitur, oriturquè gangræna.

Quarta. IX Cæterum alimenti, sanguinis scilicet, spirituque influentis defectu nonnunquam oritur gangræna. Cum enim radians vivificansquè spiritus perpetuo nutrimento, seu flamma oleo, indigeat; id si denegetur, suffocatur & extinguitur, ut flamma

Digitized by Google

in lãpade deficiente oleo. Et hoc modo extremis corporis partibus accidit interdum gangrænain atrophia, tabe, ſimilibuſve affectibus chronicis; præſertim in ſenibus, in quibus, præ ſiccitate plus debito occluſis corporis poris, motus humorum retardatur nimis, tandemque ſiſtitur, ut adeo nativus calor ſuffocetur, parſque hæc vel illa emoriatur. Eadem de cauſa, ſi luxatus articulus non benè reponatur, luxatum os vicina comprimit vaſa, ſanguiniſque ac ſpirituum tranſitum impedit, unde partis extenuatio, ac nonnunquam mortificatio accedit. Simili plane modo fit gangræna, ſi pars quæpiam nimis arctè & diu vinculis conſtringatur: atquè gangrænam paralyticorum ex interceptione ſpirituum animalium ita oriri nonnulli volunt.

X. Adhæc è mala febrium, præſertim malignarum, criſi oritur aliquando gangrena & ſphacelus; viz. Cum humores acri-ſalini ad partem quampiam debilem, per quam evacuari nequeunt, ruunt, atque ibidem ageſti ſanguinis ſpirituſquè motum intercipiunt, nec non vitalem radiationem, *id eſt*, innatum calidum ſuffocant, extinguunt. Sic refert Hildadanusde puella peſte afflictâ, cui, cum ſanata videretur, & liberata ab omnibus ſymptomatibus, ſubitò tantus exortus eſt dolor in utriuſque pedis digitis, ut ſiderati illico fuerint, adeoque ad ultimam uſquè articulationem amputandi: quo facto, & adhibitis remediis tandem convaluit. Memini quoquè, me ſimile quid vidiſſe ante octodecim annos, cum in hoc athenæo ſub auſpiciis cl. DiemerbroecKii ſtudiis medicis operam darem, in virgine triginta præter propter annorum, decumbente in xenodochio noſtro, atque menſium, ſuppreſſione laborante; cui naſi, auricularum, vulvæ labiorum, denique & manuum ac pedum digitorum extremitates emoriebantur, quibus omnibus ſeparatis, Obſervatioprima

Digitized by Google

Secunda. pristinam illa recuperavit sanitatem. Alterum succurrit exemplum, quod nobis videre contigit ante sexdecim circiter annos in quodam Medicinæ Doctore, cui, cum curatus omninò videretur à febre tunc temporis in hac urbe epidemica, ecce inopinatò mane evigilanti crus sinistrum jacebat planè immotum ac torpidum, doloribus tamen acutis & pungentibus per intervalla genu infra supraque affligentibus; id quod paucos eis dies planè corruptum & emortuum observavimus. Et quoniam indies deficiebat magis natura, partiumque corruptio & mortificatio longius proserpebat, etsi variis in locis magnæ seperatæ fuerint portiones, ivit unde redire negant quemquam.

Causa Quinta. XI. Porrò ex ictu aut morsu animalis venenati fit aliquandò gangræna, quatenus acri-salinum valdè, ex saliva istiusmodi animalis, venenum læsæ vel per morsum contusæ parti communicatur, in qua humores & spiritus condensando, ac corrumpendo, illorumque motum & radiationem inhibendo, innatum calidum extinguit. Idem præstant Medicamenta septica quæ carnem exedendi & corrumpendi vim habent, non satis prudenter adhibita, in locis præsertim calidis & humidis, uti emunctoriis, pudendis, similibusve.

Sexta. XII. Enormes ustiones interdum excipit gangræna, vel etiam sphacelus; quoniam ustione vasa corrugantur & constringuntur, sic ut tum sanguis affluens, tum spiritus influentes liberè permeare, ac per partem affectam radiare, eamque vivificare nequeant; hinc suffocato, extinctoque nativo calore pars emoritur, corrumpitur. Præterea tum empyreuma, tum cutis corrugatio summum accendit dolorem ac proinde humorum excitat affluxum, quibus in parte ægra incalescentibus, & inflammationem concipientibus, extinguitur

Digitized by Google

ſpiritus vitalis radiatio ; ipſumque adeo innatum partis calidum ſuffocatur.

XIII. Deniquè ex partis alicujus magna contuſione nonnunquam oritur gangræna, quandoquidem læſis apertiſque per contuſionem vaſculis humores effluunt ; qui extravaſati, condenſati & in parte contuſa ageſti peroſitates obſtruunt, inſenſibilemque impediunt tranſpirationem, ac proinde incaleſcentes inflammationemque concipientes, ſuffocant tandem, extinguuntque vivificantium ſpirituum radiationem. Septima.

XIV. Scorbutus quoquè non rarò gangrænæ cauſa eſt, & partes quaſdam emori facit, crura præſertim, nec non gingivas, aliaſve oris internas ; ex eo ſcilicet, quod ſanguis acri-ſalinis, lixivis, ac auſteris particulis abundans tardius per vaſa moveatur, atquè alicubi aggeſtus & ſtagnans, nec non inſenſibilem tranſpirationem prohibens, exulcerationes primum excitet, ac dein vivificantium ſpirituum radiantem motum perimat, extinguat. Octava.

XV. Cognoſcitur verò gangræna ex eo, quod pars affecta liveſcere ac pallere, & color illius verè naturalis imminui incipiat, tanquam ſi proximum ſui interritum perſentiſceret : floridi namque coloris extinctio denotat, alteratum eſſe ſpiritum ſanguiniſque in partem affluxum, eſtque floridi coloris cauſa radians per partes ſanguis. Dein ægra pars molleſcit, flacceſcit, marceſcit, ac cuticula non rarò ſeparatur. Tandem magis magiſquè ſedatur dolor, pulſus ceſſat, febriſque accedit continua, maligna. Signa Diagnoſtica.

XVI. Variant tamen gangrænæ ſigna pro cauſarum varietate. Quæ namquè ingentes ſequitur inflammationes inde dignoſcitur, quod color ille floridus, qui ſolet adeſſe inflammationibus, in pallidum & lividum mutatur ; dolor pulſans, qui

Digitized by Google

prius infestabat, cessat; partis affectæ sensus hebetatur; pustulæ oriuntur glandiores, ichore carnium loturæ simili plenæ.

Eadem hæc signa plerumque apparent, ubi ab enormi combustione ortum habet gangræna.

XVII. In gangræna, quæ à frigore externo ortum ducit, subitò acutus & pungens oritur dolor, rubor in parte affecta apparet, qui paulò post in lividum & nigrum mutatur colorem, calor partis extinguitur, ac frigus & stupor cum horrore percipitur.

XVIII. Sin ictum aut morsum venenati animalis excipiat gangræna, dolores & febres continuò affligunt, syncopes adsunt frequentes, quandoquè deliria, pustula hic oritur, sub qua nigra est macula, quæ dein per partem dispergitur. Talis namquè gangrena in partibus sese manifestat extremis, ut manus pedisve digito, atque in totum brachium, totamve tibiam subito sæpè derivatur.

XIX. Ob defectum verò alimenti si partem gangræna corripiat, nullus adest dolor, nullus tumor, nulla inflammatio; sed macies potius, corpusque statim refrigeratur, & accidit plerumque in extremitatibus, ubi pustulæ tandem oriuntur, ac naturalis color in lividum mutatur.

XX. Si autem ex constrictione ac ligatura eveniat gangræna, pars ægra tumet & distinditur, exoriunturquè pustulæ majores, ichore carnis loturæ simili plenæ. Præterea pars ingravescit, fitquè immobilis, atquè impressi digiti vestigium in ipsa remanet, & cutis à partibus subjectis diduci videtur.

XXI. Ex scorbuto si oriatur gangræna ferè à pollice pedis initium sumit, maculisve ac lineis subnigris exterius sese manifestat, quæ in crustam siccam degenerant, quam sequitur partis affectæ stupor, & tandem ipsa mortificatio, sine ullo fœtore. Dolor

Digitized by Google

quandoquè nullus adeſt, aliquando intenſiſſimus. Cauſas equidem evidentes ab Ægris facilè expiſcari poſſumus, ex iiſque intelligere, è quonam præcedente affectu eveniat gangræna.

XXII. Ad ſphacelum verò quod attinet; ſigna ejus intenſiora ſunt ſignis gangrænæ: cum enim uterquè affectus ſit mortificatio, nequè differant niſi gradu, ideo utriuſque eadem ſunt cauſæ, & eadem ſigna. Partis ſideratæ color niger eſt, eaquè ſi pungatur aut ſecetur, non ſentit. Membrum inſuper cadaveroſum ſpirat fœtorem, ſitque molle & putridum, atque impreſſi digiti veſtigium in eo remanet. Cutis ſi attollatur, facilè à carne ſubjecta ſeparatur, quia deeſt ſpirituum per partem radiatio. Sed hoc potiſſimum ſigno affectus hi diſtingui poſſunt: ſi pars ægra ſecetur, pungatur, vel adduratur, nihilque prorſus ſentiat, dicitur *ſphacelus*; quia ſphacelus ſeu ſideratio eſt omnimoda ſanguinis circulantis, ſpirituumque radiantium extinctio, tum partis corruptio: ſin vero ſenſus aliquis adeſt, *gangræna* nuncupatur.

XXIII. Probè cognitis gangrænâ & ſphacelo, priuſquam curam ſuſcipiat cheirurgus, proſpicere debet, quis morbi futurus ſit eventus, utrumne ſanabilis ſit, nec ne; gangrænam namque periculoſum eſſe affectum, cuivis facilè patet. Enimverò niſi citiſſimè adferatur auxilium, in ſphacelum brevi degenerat, parſque affecta planè emoritur. Qua de cauſa nullus hic cunctationi locus, ſed ſtatim ſuppetiæ ferendæ; quod non ita difficulter fiet in vegeto adhuc & juvenili corpore, ubi ſpiritus ſunt robuſtiores, eorumque radiatio nondum magnopere læſa eſt. Prognoſtica.

XXIV. Sed gangræna quæ ſit ex humorum affluxu, multo difficilius curatur, quam quæ ſit ſine eo. Difficulter quoque hic affectus curatur in ore,

Digitized by Google

palato pudendis, alliisve partibus humidis; uti & in hydropicis. Pernitiosa quoquè est gangræna partium nervosarum & tendinosarum.

Gangræna à pede aut tibia orta, indequè genu transcendens, in sphacelum sæpius mutatur, & lethalis est.

Ex defectu nutrimenti quæ oritur gangræna, ut plurimum lethalis.

Sed gangræna ex prohibitis ac interceptis spiritibus, ac potissimum quæ à luxationibus malè restitutis provenit, ut & quæ à vasis transversim dissectis proficiscitur, dificillimè sanatur; in sphacelum verò degenerans lethalis.

Ex scorbuto quæ est gangræna ad multos menses protrahi potest, & raro perfectè curatur.

At vero sphacelus longè periculosius malum est. Nec enim pars sphacelo correpta restitui potest; sed mox ea exscindenda, & à viva separanda est.

Quâ methodo gangræna curari debeat.

XXV. Atqui gangræna ut curetur, prudenter prognosticatione factâ, nec *purgatio*, nec *venæsectio* locum habet. *Sudorifera* tamen & *alexipharmaca* apprimè conducunt, ut æquabilis sanguinis motus, spirituumque per partes radiatio, quantum quidem possibile, servari possint. Itaque.

℞. R*ad. Scorsoneræ rec.* ℥ij.
Contrayervæ ʒiij.
Fol. scordii Miß.
Rasuræ cornu cervini ℥ß.
Coq. S. A. in aqua puræ ad ℥xxiv.

Ex hoc decocto bibat patiens ter quaterve de die haustum; & interim quotidie bis sumat pulverem ex ʒß. *Oculorum cancrorum*. Horum loco etiam cochleatim exhiberi potest mixtura. ex. gr.

℞. *Aq. cardui bened.* ℥ij. *Melissæ* ʒiß.
Theriacalis simpl. ʒvj.
Confect. hiacinthor. ʒj.

Digitized by Google

Pulv. oculor. cancror. ℈ij.
Syr. Limonum ʒvj
Miſceantur.

Utile quoquè eſt veſperi ſub hora ſomni exhibere ʒj. *Theriaces* aut *mithridatii*, cum *hauſtu vini*. Etenim febris, ſi adſit, ut maligna curari debet.

XXVI. Igitur generalibus niſce non neglectis, ipſius membri affecti cura aggredienda, quæ conſiſtit in ſpirituum, qui ei deſunt, reſtauratione; nec non ſtagnantis ac putreſcentis in parte ægra humoris correctione, ejuſdemquè motus imminuti aut penè aboliti reſtitutione.

XXVII. Hæc ſpirituum ad partem revocatio, atque ſtagnantis & putreſcentis in ea humoris correctio, ejuſque motus propemodum aboliti reſtitutio, abſolvitur per topica Medicamenta calefacientia, incitantia, detergentia, & putredinem tollentia; quæ tamen varianda ſunt pro cauſaram, è quibus oritur gangræna, diverſitate.

XXVIII. Et ad ſpecialem gangrænæ curationem ut accedamus, primò *qua ratione gangræna, qua magnas inflammationes ſubſequitur, curari debeat* indagabimus. Quo in caſu *Affecta pars ſcarificanda* multis inciſuris, iiſquè ſatis profundis, ut ſtagnantes & in parte ægra corrupti humores evacuari queant, hinc & applicita Medicamenta penitius penetrare. Sed in magnitudine & profunditate ſcarificationum reſpiciendum ad ipſius affectus magnitudinem; viz. intuſne gangræna, & in membri fundo inceperit, an verò tantùm foris ſit, & in exteriore ejus parte. Enimverò partem externam ſi duntaxat comprehenderit, levibus ac ſuperficiariis ſcarificationibus cutis incidenda. Sin autem profundas atquè internas membri partes occupet, indeque ſenſus aut amiſſus planè, aut multum ſaltem fuerit imminutus, pars profundioribus inciſuris

Gangræ-næ, quæ magnas Inflam-mationes ſequitur, Curatio.

Digitized by Google

ſcarificanda, uſquè dum ſanguis effluat, & vitæ ſenſuſque indicia ſeſe prodant.

XXIX. Factâ ſcarificatione pars abluatur *Spiritu vini in quo theriaca diſſoluta eſt*, vel *aquâ contra gangrænam cum theriaca.*

Thomas Bartholinus *in miſcellaneis curioſis medico-phyſicis*, ſeu *ephemerid. Germanor. Anni ſecundi obſerv.* 2. admodum extollit *aquam marinam, cui abſynthium incoctum eſt.*

Alii ſcarificatam partem abluunt *ſpiritu vini in quo diſſolutus lapis alchymiæ* vel *ſpiritu vini cum unguento ægyptiaco* eiquè *ægyptiacum* cum *unguento apoſtolorum* & *baſilicone* poſtmodum imponunt. Cui tamen methodo non ſubſcribimus quoniam, auſtera & vehementer exſiccantia (qualia ſunt lapis alchymiæ & unguentum ægyptiacum) poros nimium conſtringendo ſuppurationem, hinc & ſeparationem prohibent.

XXX. Facta Ablutione parti circumjiciatur fomentum calefaciens & aperiens, quod ſæpius renovetur.

℞. *Herb. malvæ, ſcordii, abſinthii, Rutæ, artemiſiæ an.* Miß.
Fol. Dictamni cretici,
Flor. camomillæ, ſambuci an. Mj.
Coq. inſ. q. cereviſiæ tenuis ad ℔iij. *pro fomento.*

Vel

℞. *Herb. ſcordii, abſinthii, rutæ artemiſiæ,*
Fol. Dictamni cretici an. Mj.
Vini albi gallici ℔ij.
Coq. S. A. in diplomate, dein coletur: & colaturæ addendo theriaces. ʒiij.
Miſceantur pro fomento.

Jobus Neekeranus *obſerv. chirurg. cap.* 62. Fomenti loco hoc imponit cataplaſma.

℞. *Micæ panis albi inveterati* ℔ij.

Fol.

Digitized by Google

Col. *scordii*, *rutæ an.* ℥iß.

Summ. absinthii ℥j.

Fiat omnium pulvis, qui misceatur cum vino albo gallico, & post levem ebullitionem sit cataplasma, quod calidè applicetur.

Barbette *chirurgiæ part. 2. lib. 1. cap.* 14. id quod sequitur, commendat,

℞. *Summ. absinthii*,

Flor. camomillæ, sambuci an. Mß.

Herb. scordii Miß. *Rutæ* Mß.

Micæ panis similaginei ℥vij

Fimi caballini ℥iij.

Coq. in aqua muriatica & sub finem addendo

Atramenti ℥ij.

Spiritus vini ℥iij.

F. *S. A. cataplasma.*

Etiam laudibus suis meretur famosum illud,

℞. *Cicutariæ aquaticæ*, hoc est, *phellandrii* Mv.

Absinthii, scordii salviæ an. Mj.

Micæ panis albi. q. s.

Fiat omnium pulvis, qui coq. s. a in s. q. vini albi, & addendo spiritus vini quantum admisceri potest,

F. S. *A. cataplasma.*

Alii cataplasmatis aut fomenti loco applicant *flores cerevisiæ*, nostratibus (*gist.*)

Haud inutile quoque erit medicamentis gangrænæ applicandis, sive cataplasmatibus, sive fomentis, admiscere *tincturam castorei*, aut *assæ fœtidæ*, aut *camphoræ*, aliave *balsamica*, & *sale volatili oleoso abundantia*; quibus porositates aperiantur, stagnantes putrescentesque humores corrigantur, hinc & spirituum per partem radiatio imminuta valdè, & propemodum abolita restituatur.

XXXI. Sed priusquam circumjiciatur fomentum aut applicetur cataplasma, partis scarificatæ

Digitized by Google

cum petiis imponatur *unguentum basilicon*, vel *basilicon cum theriaca & unguento apostolorum*, vel *digestivum vulgare cum basilicone*, vel id quod sequitur.

℞. *Mellis comm.* ℥iiij.
Therebinthinæ venet. ℥ij.
Farinæ hordei ʒx.
pulv. aloes, mirrhæ an. ʒiiß.
Croci ℈j.
Vitellos duorum ovorum,
Spiritus vini ℥ij.
Mel & therebinthina simul coquantur continuo agitando, addendoque in fine farinam hordei, & post levem ebullitionem remove ab igne, ac adde aloën & myrrham, cumque aliquantulum refrixerit ovorum vitellos, tandem crocum spiritui vini permixtum, & F. S. A. *Digestivum.*

Jobus MeeKeranus *in observationibus chirurgicis, loco citato* hoc commendat separatorium,

℞. *Digestivi comm.* ℥iij.
Unguenti basiliconis ℥iß.
Pulv. mirrhæ ʒij.
Mercurii præcipitati ʒiß.
Spiritus absinthii gutt. xxij.
M. S. A.

Cheirurgus verò quoties ad ægrum accedit, remediis hisce factæ escaræ summam partem tollere conetur, aut scalpelli acie incidat ad partem usque sanam, ut imposita penetrare queant medicamenta ad corrigendum quidquid corruptum est; nec aliâ procedat methodo, donec videat morbum superatum.

XXXII. Insuper ad serpentem gangrænam sistendam summoperè conducit *butyrum antimonii* in circumferentiæ circulo inter partem sanam & ægram illitum, ut de carbunculo dictum fuit.

Digitized by Google

XXXIII. Factam esse separationem partis ægræ à sana ex eo cognoscitur, quod latius malum non serpat, atquè appareat circulus exactè rubens, exquisitè sensus, in quo spissa & alba reperitur materia.

Inducta verò quovis modo crusta tollatur iisdem medicamentis, quæ de anthrace cum in finem proposuimus.

Cura Gangrænæ à nimio frigore externo.

XXXIV. Atqui *à nimio frigore externo aut congelatione si fiat gangræna*, accuratè perpendendum, incipiatne affectus, an jam aliquantisper adfuerit; id quod ab ægro, & adstantibus, nec non ex indiciis hisce promptum erit intelligere. Namque morbus duntaxat incipiens est, si eximio rubore affecta pars scintillet dolor sit vehementissimus, punctorius, exurens. Sin verò inveteratus sit pars livida erit, & frigida.

XXXV. Igitur si incipiens sit, morbus non statim pars affecta igni admovenda, aut calida quælibet ei apponenda; quin potius *aquâ frigidissimâ* membrum irrigandum, aut *nive* perfricandum, unde sensim incalescere, & pristinum calorem recuperare solet. Hoc ipsum quilibet facilè hyeme experitur, si manus frigore propemodum congelatas fricet *nive* aut *aquâ gelidâ*: sic enim subitò incalescunt; at igni admotæ magnum sensiant dolorem, eumquè pungitivum. Enimverò cum præ nimio frigore tardius in extremis corporis partibus sanguis circuletur, & fermè subsistat, si patiens propius igni admoveatur, particulæ igneæ poro, vehementer intrantes rapidissimo suo motu stagnantes, condensatosquè humores dissolvere ulterius hinc & corrumpere, partiumque interitum & mortificationem causare facilè possunt. Sed *nive* si membra ex nimio frigore congelata fricentur, aut *frigidissima aquâ* irrigentur,

Digitized by Google

ſubtilis materia leniter ac placidè admodùm per poros intrans congelatos humores nec non ſuffocatos ferè vitales ſpiritus excitat blandè, eorumdemque radiationem, adeoque & nativum calorem plerumquè reſtituit. Et hæc ratio eſt, quod regionum ſeptentrionalium incolæ homines valdè refrigeratos, rigidos, & penè emortuos aquæ Frigidæ primò ſoleant immergere, & manus, pedes, naſum, aliaque refrigerata membra, priuſquam hoſpitium ingrediantur nive fricare, & gelidâ aquâ abluere. Cujus rei memorabile exemplum refert fabritius hildanus, *libr. de gangræna & ſphacelo cap.* 13. quod ita habet:

Obſervatio ſingularis.

„Vir generoſus & pius narravit, ſe, cum regiones ſeptentrionales peragraret, incidiſſe in „viatorem frigore rigidum, ac penè emortuum: „quem plauſtro ſuo impoſitum, cum deduxiſſet „in diverſorium, hoſpes illicò demerſit in frigi„dam: quo facto undiquaque erupit gelu, ut ipſius „corpus glacie contectum conſpiceretur. Tum „quoque propinatum illi, aïebat cyathum am„pliorem hydromelitis, addito pulvere cinamomi; „caryophillorum, & macis, unde ſudor in lecto „provocatus eſt; atquè ita ægrum ad ſe rediiſſe, „& convaluiſſe, amiſſis duntaxat manuum, pe„dumquè extremis articulis.

XXXVI. Conjiciens autem cheirurgus ex ſedato pungente dolore, ipſam quoquè congelationem magna ex parte mitigatam & correctam, miſſam faciat aquam frigidam, aut nivem; at *lenes* adhibeat *frictiones*: dein fotus ex *Lacte dulci, cui baccæ lauri, folia roriſmarini, ſalviæ, flores lavendulæ*, & ſimilia calida incocta fuerint, applicetur. *Raparum decotio* aut *rapæ coctæ, & cum recenti butyro, oleo roſaceo, & ovi vitello in mortario contuſæ*, plurimum juvant, teſte Johanne de vigo *chirurg. lib.* 4. *cap.* 3.

Digitized by Google

Vel pars affecta (non neglectâ interim, si necesse sit, scarificatione) fricetur hoc, vel simili,

℞. *Spiritus Juniperini* ℥j.
Tinctura castorei ℥ß.
Olei therebinthinæ ʒij.
Camphoræ ϑij.
Misceantur S. A.

BIBLIOTECA

Dein calidè applicetur fomentum, quod identidem renovetur.

℞. *Herb Rutæ, salviæ, rosmarini, absinthii an.* Mj. *fol. nicotianæ* ℥iß.
Sem. sinapi cumini,
Rad. bryoniæ an. ℥j.
Coq. in vini gallici, & urinæ hominis adulti an. p. æq. an ℥xxx. *pro fomento; cui & spiritus vini addi potest.*

Barbette in curatione gangrænæ ex nimio frigore, sequens præscribit,

℞. *Herbar. scordii* Miß.
Vincetoxici Mj. *Rutæ* Mß.
Sem. nasturtii, urticæ rom. an. ʒiij.
Coq. in s. q. vinigallici ad ℔ iij. *colat. addendo:*
Spir. vini ℥ij. *M. pro frotu.*

Insuper conducunt, tum fomenta tum cataplasmata, tum alia medicamenta superius præscripta.

Gangrænæ si fiat ab humore seroso nimium in partibus collecto, quid agendum.

XXXVII. Hisce peractis componatur Æger in lecto, probequè tegatur, eique exibeatur *cum vino colido theriaca, mithridatium*, vel simile sudoriferum & alaxipharmacum; quo diaphoresis promoveatur, atque adeo æquabilis humorum motus, ac spirituum corpus vivificantium ordinata radiatio servetur.

XXXVIII. Sin *ex humore seroso in partibus extremis, cruribus puta & scroto, collecto eveniat gangræna*, universalibus haud neglectis *Pars affecta scarificanda*, sive altius, sive superficietenus, pro-

Digitized by Google

ut malum magis minusve altas radices egerit ; dein sequenti fotu abluenda & fovenda.

℞. *Rad bryoniæ siccat.* ʒij.
Herb. scordii, rutæ, absinthii an. Mj.
Pulpæ colocynthidis,
Salis tartari an. ʒij
Muriæ limonum ʒxv. *Aquæ puræ* ʒxxvj.
Coquantur S. A. & colaturæ addendo
Spiritus vini, in quo ʒiß.
Camphoræ sit soluta, ʒiij
Pulv. aloës, mirrhæ an. ʒij.
Misceantur pro lavamento & fomento, quod fervidè parti applicetur.

Potest quoque parti affectæ imponi cataplasma. v. gr.

℞. *Rad. vincetoxici, angelicæ an.* ʒiß.
Herb. phellandrii Miij.
Absinthii rutæ, scordii an. Mj.
Baccar. juniperi ʒij
Sem. sinapi ʒj.
Coq. in vino albo & urina hominis adulti ad mollitiem, dein in mortario contund. & addendo farinæ fabarum ʒiij.
Salis armoniaci ʒiij.
M. F. S. A. cataplasma.

Pars sic curata in lecto est continenda, nec non arena probè calefacta sacculisque inclusa ei circumponenda, ut in perpetuo calore membrum servetur. XXXIX. Cheirurgus interim dum removet fomentum vel cataplasma, conetur acie scalpelli escaram separare ; dein abluat denuò partem affectam præscripto fotu, admoveatque idem vel fomentum, vel cataplasma : nec aliter se gerat, donec sisti malum animadvertat tandem separare nitatur escaram pharmacis ante commemoratis : imponendumque interea vel fomentum, vel cataplasma, quod putrefactioni resistit.

Digitized by Google

XL. In gangræna, *quæ ex alimenti defectu, & atrophia evenire solet*, atque ut plurimum in partibus excitari extremis, quavis ratione corpus humectandum & reficiendum, tum commodo victu, tum quibusvis, quæ pro præsenti causa convenire videntur, ritè usurpatis. Gangræna ex Alimenti defectu quo modo tractanda.

XLI. Quoad partem affectam; indagandum prius. Num atrophia velut causa futuræ gangrænæ solummodo adsit; an vero gangræna ipsa jam invaserit; si nihil præter metum gangrænæ ex atrophia adsit, quavis ratione humectanda ac reficienda pars affecta, pori aperiendi, sanguinis spiritumque in ea motus restituendus, hinc & alimentum alliciendum. Quem in finem pars fovenda *jure tepido intestinorum capitis, & pedum vervecis*; cui nonnunquam *lumbrici terrestres* incoqui solent. Postquam verò aliquamdiu fota fuit ægra pars, *ventosæ* applicentur *cucurbitulæ*, usque dum rubescere incipiat; tunc autem demendæ, & sequenti linimento pars ungenda, diuque fricanda,

℞. *Olei laurini* ℥j. *aluminis plumosi* ℈j.
Guajaci ʒiij *Misceantur exactè pro litu.*

Alii laudant partem affectam inungere *succo lumbricorum terrestrium*, qui potenter calefacit, humectat, nec non pororum ac vasculorum obstructiones aperit, ut spiritus, aliique humores liberius permeare queant; atque ex præscripto Johannis Wieri *in tractatu de scorbuto*, ita præparatur.

„ Sumit ille lumbricos cæmeterii pinguissimos, „ quos aqua primum deinde vino exacte lotos mi- „ nutim incidit, & phialæ immittit pastâ obvo- „ lutæ: hanc furno inserit cum alio pane, hocquè „ cocto phialam pastâ obvolutam quoque eximit, „ ac ubi refrixerit mergit in aqua, hinc, pastâ mol- „ lescente ac phialam deserente, lumbrici in li- „ quorem resoluti sese offerunt. Percolatus liquor

Digitized by Google

„ ſervetur uſui ; ſed alterno quoquè die renovandus,
„ cito namque corrumpitur, tempore præſertim
„ æſtivo.

XLII. At vero ſi jam invaſerit gangræna, *ſcarificatio hic non facienda, niſi urgente neceſſitate.* Sed pars affecta foveatur tali fotu.

℞. *Rad. brioniæ ſicc.* ℥ij.
Herb. pſellandrii, naſturtii aquat. an. Mij.
Rutæ, ſcordii, ſalviæ an. Mj.
Baccar. lauri ℥iß. *Sem. ſinapi* ℥ij.
Stercoris columbini ℥iij.
Coq. S. A. in vino albo & urina hominis adulti ad ℔iij. *pro fomento.*

Poſtquam aliquandiu pars ita fota eſt, ad luculentum ignem moderatè fricetur, & fricando inungatur ſequens; quo poroſitates aperiantur, & ſanguinis ſpirituumque radians motus reſtituatur,

℞. *Spiritus cochleariæ* ℥iß.
Juniperini ℥j.
Tinct. caſtorei ʒiij.
Camphor. ℈ij.
Miſceantur.

Poſt frictionem & inunctionem imponendum denuò fomentum, vel ejus loco cataplaſma pag. 68. præſcriptum; vel

℞. *Herb. ſalviæ rutæ, ſabinæ an* Miß.
Sem. ſinapi, bacc. lauri an. ℥iß.
Coq. S. A. in vino albo & urina hominis adulti ad mollitiem, dein in mortario contundantur, & addendo
Stercoris bubuli rec. ℥ iij.
Camphoræ in ℥iij. *ſpiritus vini ſolutæ* ʒiß.
F. *S. A. cataplaſma.*

Sedatâ gangrænâ, mundificandum & incarnandum eſt ulcus, hinc cicatrice obducendum. Atqui ubi nulla ſpes apparet, membrum conſervari poſſe,

Digitized by Google

amputandum id est. Sed antequam hic amputetur pars emortua, necesse est, ut Cheirurgus ventura pericula prædicat, eaque palam commemoret apud ægri amicos & adstantes. Nam etsi amputetur altius pars affecta, in ipsa quoque carne viva, malum equidem ut plurimum truncum iterum invadit, atque occupat, estque omnis gangræna ex alimenti defectu plerumque lethalis.

Gangræna ex Mala Febrium Crisi.

XLIII. Ad hanc gangrænæ speciem curandam proximè & illa accedit gangræna *quæ ex mala febrium, præsertim malignarum crisi ortum ducit* & quoniam illa magnam cum anthrace habet similitudinem, eodem ferè modo ac carbunculus curari debet.

Cura Gangrenæ ex Ictu aut Morsu Animalis Venenati.

XLIV. Cum vero gangræna oriatur *ex ictus aut morsu animalis venenati*, periculum in mora est, atque ideo *affecta pars cauterio actuali mox inurenda*, & absumendum subito, quidquid ejus malignitatis particeps est. Aut ejus loco pars altè *scarificetur*, & abluatur *spiritu vini* vel *simplici*, vel *aromatico*, vel *aqua contra gangrænam in qua dissoluta camphora & theriaca* dein hoc vel simile imponatur cataplasma.

℞. *Herb. ruta, salvia, rosmarini an.* Mj.
Sem. cumini ℥j. *Nuc. moschata* ziij.
Coq. in s. q. vini gallici ad mollitiem, dein in mortario minutim contund: & addendo
Farina lupinorum ℥ij.
Theriaces ʒvj. *pulv. croci* ℈ij.
Spir. vini in quo ʒj. *caphura sit soluta* ℥iß.
F. *S. A. cataplasma: fervide imponendum.*

Vigierius *chir. lib.* 1. *cap.* 11. hoc proponit emplastrum ex Hildano,

℞. *Fermenti acris, farinæ lupinorum*
Aliorum sub prunis coctor. an. ℥ij.
Fol. ruta, scordii, dictamni cretici an. Mß.

Digitized by Google

Pulv. rad. angelicæ, vincetoxici an. ℥ß.
Theriaces, mithridatii an. ℥j
M. cum ſ. q. decocti ſcordii, & F. S. A. emplaſtrum vel *cataplaſma.*

XLV. Interea exhibeatur *theriaca cum vino calido*, vel cochleatim utatur patiens ſequenti mixtura diaphoretica & alexipharmaca,

℞. *Aq. corduibened. meliſſæ an.* ℥iß.
Theriacal. ſimpl. ʒvj.
Theriaces ʒj.
Salis abſinthii ℈ij.
Camphoræ gr. iv.
Syrupi limonum ℥ß.
Miſceantur.

Sedatâ gangrænâ mundificetur, incarnetur, & cicatriſetur ulcus, ut in carbunculo.

Gangræna, *quæ è medicamento ſeptico corpori admoto evenit*, eodem fere modo curetur.

Quid agendum, ſi ex Scorbuto originem duxerit Gangræna.

XLVI. Non prætereunda hic gangræna, *quæ è ſcorbuto originem ducit*, & plerumque partes extremas, crura præſertim, afficit; nec non partes oris internas, gingivas puta, palatum, genas, linguam, aut fauces non raro occupat, imprimis in infantibus. In iſtiuſmodi gangræna curanda remedia interna omnia, quæ in ſcorbuti curatione conducunt, minimè ſunt omittenda, quæ tamen non enumerabimus quoniam alterius ſunt loci.

Equidem patiens continuò utatur tali mixtura,

℞. *Aq. meliſſæ, antiſcorbuticæ an.* ℥iij.
Spir. cochleariæ perſe deſtillat. ʒiij.
Salis volatilis cornu cervi gr. xv.
Syrupi limonum. ʒvj.
Miſceantur.

Interim crus affectum, præmiſſis ſcarificatione & ablutione cum ſpiritu vini, &c. foveatur hoc vel ſimili fomento.

Digitized by Google

℞. *Raſuræ ligni guajaci, ſaſſaphras a.* ℥j.
Rad. angelicæ, chelidonii majo. an. ʒvj.
Fol. cochleariæ, naſturtii aquat. an. Miß.
Seminis fœniculi ʒvj.
Inciſa & contuſa digerantur per noctem calidè in vaſe clauſo in ſpiritus vini ℥xxviij. *mane fiat colatura, quæ ſit pro fotu.*

Vel loco fomenti applicetur cataplaſma,

℞. *Herb. phellandrii* Mij.
Rutæ, ſalviæ abſynthii an. Mj.
Baccar. lauri, juniperi an. ℥j.
Seminis fœniculi ʒv.
Coq. in vino gallico ad mollitiem, dein minutim contund. & add. farinæ fabarum ℥ij.
Pulv. aloës, mirrhæ an. ʒij.
Spiritus cochleariæ cum ſpir. vini diſtill. ℥ij.
F. S. A. *cataplaſma calidè applicandum, identidem renovandum.*

Cæterum ulterius procedendum, ut de gangrænæ, quæ magnas ſequitur inflammationes, curatione dictum fuit.

XLVII. Sed hujuſmodi gangræna ſi in partibus oris internis, gingivis viz. Palato, genis, lingua, faucibus, fiat; atque affectæ partes corruptæ, nigricantes, ac omnino putridæ ſint, peſſimumque emittant fœtorem, generalibus haud neglectis, conducit mixtura, qua partes hæ labe ſcorbuticâ infectæ, hinc & corruptæ, frequenter laventur & fricentur. v. gr.

℞. *Muriæ limonum,*
Aquæ antiſcorbuticæ an. ℥vj.
Spir. vini ℥iß.
Theriacæ ʒj. *ſalis abſinthii* ℈ij.
Pulv. myrrhæ ʒß. *aluminis crudi* ℈iv.
Mellis roſacei ℥iß.
Miſceantur pro oris collutione

Digitized by Google

Interim tamen si durities quædam in gena appareat, foris applicetur cataplasma ad tumorem emolliendum, & citiorem promovendam separationem.

℞. *Herb. salviæ* Miß.
Rutæ absinthii an. Mß.
Nucis moschatæ ʒiij.
Aloës, mirrhæ an. ʒij.
Farinæ fabarum tostar. ʒij.
Pulver. & cum s. q. spiritus vini leviter ebulliant in formam pultis, eique addendo
Gum. ammoniaci in aceto soluti ʒß.
F. S. A. *cataplasma calide applicandum, & sæpius permutandum.*

Cum vero curari incipiat affectus, oris collutio mitigetur, donec perfecta sequatur sanatio. v. gr.

℞. *Aq. antiscorbuticæ, plantaginis,*
Salviæ an. ʒiß.
Vini albi gallici ʒij.
Elixir. proprietatis sine acido ʒij.
Salis absinthii ʒj
Aluminis crudi ℈iv.
Mellis rosacei ʒj.
Misceantur.

Cura Gangrænæ, quæ Combustionem sequitur.

XLVIII. Succedit nunc *quæ ex combustione oritur gangræna*, ad cujus curationem tradendam haud abre foret, prolixam de ambustione, & ambustionis cura materiam hic exponere; sed quoniam de ea libr. 3. fusius sumus dicturi, sufficiet hoc loco tantum monere, quod si magna combustio curam ritè non suscipiat, quin potius in gangrænam vergere incipiat, conducere sequens medicamentum, quod parti affectæ, prius scarificatæ, cum linteo carpto calide applicetur, ac identidem renovetur,

℞. *Spir. vini* ʒij.
Tinct. castorei ʒiij.
Camphoræ ℈ij.

Digitized by Google

M. S. A.

Dein ſuperponatur cataplaſma,

℞. *Herb. phellandrii* Mij.
Rutæ, ſcordii, ſalviæ an. Mj.
Caparum crudar. ℥ij.
Baccar. juniperi ℥iß.
Coq. in vino albo ad mollitiem, dein minutim contund. & addendo
Farinæ fabarum ℥iij.
Pulv. Nuciſmoſchatæ ʒiij.
Aloes, Myrrhæ in ſpiritu vini ſolut. an. ʒij.
Unguenti baſiliconis ℥ij.
F. *S. A. cataplaſma, fervidè applicandum, & ſæpius renovandum.*

Hinc ulterius procedendum pro re nata, ut ſuperius expoſuimus.

XLIX. *A ſpirituum in partem imterceptione ſi eveniat gangræna*, pro morbi ratione & Ægrotantis viribus, diligenter indaganda cauſa, ob quam ſpiritus arcentur à parte affecta, eaquè ſi fieri poſſit ſtatim tollenda. Hinc ſi arctior ſit ligatura, laxanda eſt. Dein admovenda pharmaca calefacientia, aperientia, reſolventia. Quæ à ſpirituum in partem interceptione evenit.

Eum in finem hildanus proponit hoc cataplaſma,

℞. *Farinæ lupinorum, fabarum, lentium an.* ℥ij.
Pulv. ſcordii, Abſyntii, florum camomillæ an. ℥ß.
Cum oxymelite, aut ſirupo de acetoſa,
F. *S. A. cataplaſma.*

Sin invaleſcat nihilominus malum, *Locus affectus ſcarificandus*, & abluendus *ſpiritu vini vel ſimplici, vel cum theriaca*, ac portò in curatione procedendum, ut in gangræna ex nimia inflammatione.

L. Verumenimvero quum gangræna, remediis nunc ſatis propoſitis licet commodè adhibitis, ulterius poſerpat, magiſquè ac magis invaleſcat Cura ſphacelî.

Digitized by Google

non amplius *gangræna* est, sed *sideratio*, hoc est, *spirituum radiantium omnimoda extinctio*, *totaquè partis corruptio & mortificatio*, hinc & curati non potest, cum pars planè emortua ad vitam revocari nequeat. Sed unicum tunc, ut patiens servetur, restat remedium; viz. *membrum corruptum rescindere & extirpare*, quo quamvis dubio, gravi, & violento utendum tamen, moxquè sideratum membrum amputandum, ne pars sincera trahatur, crudelem siquidem Medicum necessitas facit; nam crudele malum crudeli remedio expugnandum, atquè nihil interest, an satis tutum sit præsidium, quod est unicum: satius est anceps auxilium experiri, quam nullum: melior est dubia spes, quam desperata salus: satius est motum alicujus partis perire, quam totum hominem. Nam, ut ait Hippocrates, extremis morbis extrema conducunt remedia: item, quod non sanat medicamentum, sanat ignis; quod non sanat ignis, sanat ferrum; nec illa dura videtur curatio, cujus est salutaris effectus.

LI. Cum igitur sphacelus sit perfecta partis mortificatio, ideo cura ejus non consistit in medicamentorum facultatibus; sed in unico, coquè ultimo & extremo remedio, quod est partis sphacelo affectæ, infectequè, & corruptæ extirpatio; nam quod à naturæ regimine non amplius pendet, exscindendum & amputandum est. Atquè ità omnibus diligenter consideratis, ubi Cheirurgo de ægrotantis voluntate, dequè ejus viribus planè constiterit, tum ad munus suum ritè præstandum sese accingat, omnibusque ante operationem, in operatione, & post operationem necessariis instructus patientem in opposito, commodoquè situ collocet, extirpationemque agrediatur. Sed cum partis corruptæ extirpatio variis modis à

Digitized by Google

variis auctoribus tradi soleat, haud gravabor quorundam de ea proferre sententias.

LII. Nonnulli scarificationi profundiori inter partem sanam & mortuam, inspergunt pulverem ex arsenico; vel imponunt unguentum Ægyptiacum, cui admixtum arsenicum.

Modi quidam extirpandi partem mortuam traduntur.

Alter modus extirpandi quod corruptum est, fit actuali cauterio, dum uritur quidquid infectum & emortuum, ac removetur escara.

Tertius modus est, novaculâ simul resecare quidquid corruptum & emortuum; dein actuali cauterio vulnus inurere, tum ut sanguinis fluxus sistatur, tum ut reliquiæ corruptæ carnis porrò absumantur. Sed operationes hæ quanquam exerceri possint, cum sphacelus sit in corporis parte quam non sit necesse aut possibile totam extirpare; clunibus puta femore, simulibusve. Si tamen totum membrum sit corruptum, adeoquè amputandum: nequè cauterio actuali, nequè potentiali, nequè novacula id expediri potest, sed integri membri, manus sc. pedisve amputatione opus est. Verum qua ratione, & quo in loco operatio hæc tutius & commodius institui possit, non una est auctorum sententia.

Iique refutantur.

LIII. Multi ex recentioribus statuunt satis commodum locum esse in ipso articulo, quamvis in praxi contrarium vulgo observetur, tum ob difficultatem, quæ in ipsa sectione occurrit, quod non tam promptè inveniri possit locus conjunctionis duorum ossium; tum quod cicatrix tardè admodum, & difficulter inducatur.

Quo in loco membrum emortuum sit extirpandum, disquiritur.

LIV. Sed cum non semper malum sit propè articulum, at sæpe circa medium aut finem membri, nunc porro quæritur, *sit ne facienda membri amputatio in parte emortua, an in parte sana*; qui in parte corrupta atquè emortua sectionem insti-

Digitized by Google

tuendam autumant, his nituntur rationibus; tum quia sic minorem dolorem sentiet patiens; tum quia in magnam non incidet hæmorrhagiam, ob quam nonnunquam animi defectio oritur, & in ipsa operatione ægri motiuntur. Atque hujus sententiæ videtur fuisse Galenus *lib. 2. de curandi ratione ad glauconem cap. 9* ubi sic scribit: „ membrum emor„ tuum statim rescindere oportet, quo sanam par„ tem vicinam attingit. *Et paulo post*: satius est ob „ majorem securitatem, quando abscindis & cir„ cumcidis id quod jam putruit, eam, quæ velut „ radix est sanæ parti adjunctam adurere. Hanc „ quoquè sententiam defendit Johannes de Vigo „ *lib. 4. chir. cap. 7.* sic inquiens: incidendum est „ membrum propè sanum, ita ut aliquid remaneat „ corrupti. Ex hoc de tribus causis, 1. ut incisio „ sine dolore fiat. 2. Ut sanguis fluxus evitetur. 3. „ Ut post remotionem ossis fiat cauterisatio cum pau„ co dolore. Inter recentiores idem sentit Fallopius *tract. de tumor. Pr. nat. cap. 26.* ubi docet, aliquid reliquendum esse potius de parte corrupta, quam ut sanam incidamus, ob easdem fermè, quas de vigo habet, rationes. Hieron. Fabritius ab aquapedente *chir. lib. 1. cap. 19.* & *de operat. chirurg. titulo de sphaceli chirurgia*, tentam corruptæ carnis partem relinqui vult, quanta est crassities unius aut sesqui digiti: idque ideo, qnod si in vivente parte instituatur sectio, duo inevitabilia sequantur symptomata; vix. sanguinis profusio ex præcisione magnorum vasorum; & dolor intolerabilis, cui nonnunquam convulsio accedit. Quæ incommoda evitari posse putat, in parte emortua si instituatur sectio. Ne autem sideratio ulterius extendatur, abscisso osse, ferramentis candentibus relictam partem putridam undique inurit, donec vim ignis persentiat ægrotans, & aliquem patia-

tur

tur dolorem. Ita enim partem emortuam in cruſtam degenerare, quæ vaſis eſt operculum, & partem vivam ità per uſtionem corroborari teſtatur ut ſpatio tridui aut quatridui appareat ſeparatio mortui à vivo, & ita ſiſtatur mortificatio ſine dolore, & ſine ſanguinis profuſione. Sed conſilium hoc periculoſæ plenum aleæ nobis videtur, quia certi non ſumus, malum illud, quod relinquitur, non ſeſe multiplicaturum, & quis fidem nobis faciet, os ipſum, quod carni ſubeſt, non eſſe altiori in loco corruptum.

LV. Contrarium igitur meritò ſentiunt Alii, quos inter eſt C. Celſus, qui *lib. 7. cap. 33.* inter ſanam vitiatamque partem carnem Scalpello incidere uſquè ad os jubet, ſic ut potius ex parte ſana aliquid excidatur quam ex ægra relinquatur. Haud ſecus Guido de Galico jubet membrum incidere ſupra corruptum aliquantulum in loco, in quo cum ſtilo immiſſo invenitur dolor & firmitudo. Hos Alii ſequuntur, inter quos Ambroſius Paræus *chir. lib 11. cap.* 18. qui Celſi conſilio minimum ejus, quod ſanum eſt, amputare jubet, ſic tamen ut ex parte ſana potius aliquid excidatur, quam ex ægra relinquatur. Hujus quoque opinionis eſt Fabritius Hildanus *lib. de Gangræna & Sphacello. cap.* 17. ubi plures adducit Cheirurgos, planè idem ſentientes. Quapropter concludimus tandem, in parte ſana faciendam eſſe ſectionem, proximè tamen ad ægram, ſpatio unius circiter digiti tranſverſi. Equidem hæc regula exceptionem patitur in Tibia; in qua ſi Sphacelus ſit ſupra malleolos, prope genu extirpatio eſt facienda; quod enim relinquitur, nullum præſtat uſum, imo magnum incommodum ægro adfert, cum ligneo crure ipſi utendum ſit, parſquè otioſa in poſteriora vergat: adde quod in tendinoſa muſculorum, & excarni tibiæ parte inſtituta ſectio conſolidatio-

Digitized by Google

nem faciat longè difficilem. In Brachio verò tantum conservetur, quantum commodè alligandæ & aptandæ manui ferreæ sufficiat.

LVI. Cæterum amputationis locum in manuum pedumvè digitis quod spectat; rectissime in ipso articulo fit sectio. Nam in digiti articulo minore cum periculo fit amputatio, ac minore cum dolore nervi enim & tendines incisi sursum contrahuntur carne conteguntur, & vix ullum accidit incommodum.

Modus quo membrum emortuum amputari debeat, exponitur.

LVII. Explorato & designato ampurationis loco, ad membri corrupti extirpationem veniendum est. Sed ut operatio hæc ritè instituatur, quæ ad eam necessaria sunt instrumenta in promptu sint, eaquè ita collocanda, & ordine disponenda, ut in operatione unum alteri minimè sit impedimento, uti accidit Cheirurgo, cujus meminit Hildanus; qui cum crus emortuum abscinderet, & in medio esset operæ, serra fasciæ (qua cutem & carnem sursum reduxerat) ità involuta fuit, ut ab opera aliquandiú desisterecogeretur, dum serram è fascia iterùm extricaret.

LVIII. Sunt verò *Instrumenta* ad hanc operationem necessaria, *culter propemodum* Falcatus, *Serra*, interdum sed rarò *Scalpe. Excisorium* aut *Excisoria* Forfex, *cauteria actualia*, *pulvis ad sistendum sanguinem*, *tenacula ad liganda vasa*, *defensiva*, *fasciæ oxicrato madefactæ*, *pulvilli*, *Stuppa ovi albumine imbuta* & *pulvere ad sanguinem sistendum adspersa*, *vesicæ bovinæ*, & si quæ alia.

LIX. Igitur corpore, omnibusque necessariis ad operationem præparatis, & ordine dispositis, id quod agendum inchoëtur. Atque si Tibia v. gr. amputanda sit, implorato priùs supremi numinis auxilio, oportet Ægrotantem haustum largiorem vini aut cardicum aliquod assumere, ne inter operandum deficiat. Nonnulli opiatæ alicujus confectionis, vel laudani opiati aliquid exhibent ad sensum sopiendum quos tamen

Digitized by Google

meritò reprehendit Fallopius, atque levia soporifera nihil prodesse existimat, valida autem periculosa, quoniam spiritus indè profligantur, hinc vires prosternuntur magis.

LX. Patiens verò pro natura, situ, & varietate partis affectæ convenienter & commodè collocetur, atque ne pars in operatione vacillet, aut Æger eam movere possit, firmissimè vinculis & ministris comprehendatur, detineaturque. Deinde à viro robusto cutis & caro sana (quantùm fieri potest) sursum attrahenda, ut eadem postmodum relaxata denudato ossi meliùs obduci queat. Tum suprà sectionis locum valida fiat ligatura vinculo non ità lato, sed forti, idque ut Æger minùs dolorem percipiat; tam ut, ob vasorum constrictionem, sanguinis fluxus meliùs compesci possit. Guido vult, vinculum alterum adhiberi parti emortuæ ut inter duo illa vincula fiat incisio: nec male fortassis. Cùm enim adstantes terreantur sanguinis eruptione hujusmodi ligatura coercetur sanguis intra venas partis emortuæ, ne effundatur.

LXI. Hisce peractis, ubi locus conveniens fuerit electus, Cheirurgus cultro propemodum falcato totam circumquaque Carnem Musculosam quam potest festinanter resecet. Hinc Serram Acutissimam adhibeat prius ad fibulam deinde ad Tibiam, sicque os præcidat.

LXII. Si geminum sit os, ut in crure aut cubito, nonnulli cultellum ancipitem inter duo ossa à ministrante Cheirurgo inseri volunt, tum ut auferatur periostium, tum ut vasa majora ibidem delitescentia discindantur; sed perperam, quoniam in vivis hæc duo Focilia, tum in crure, tum in cubito, tam propè sibi conjuncta cernuntur, ut impossibile sit, vel minimum cultellum inter illa inserere. Insuper morâ istâ sanguis copiosè nimis profluereret, undè & ægrotanti facilè animus deficeret.

Digitized by Google

Factâ membri emortui amputatione, quid porrò agendum.

LXIII. Factâ amputatione, si magna & immodica sanguinis adfuerit profusio (nam ut mediocriter sanguis fluat sinendum) sistenda est : rarò tamen id fit, modò fortis instituatur ligatura; adeò ut nonnunquam ad aliquot cochlearia non profundatur cruor, aut ad tres quatuorvè uncias ad summum. Igitur ad sanguinis immoderatum profluvium sistendum aliqui Cauterio utuntur Actuali ad vasa inurenda & crustam carni inducendam : quod remedii genus à multis tutissimum judicatur, cum ignis non solùm fluentem sanguinem sistat, at etiam reliquias putredinis, & mali radicem, sique supersit, absumat, & quo citius ossis fragmenta excidant, etiam ipsum os inurendum præcipiunt. Sed metuendum est inquit, Cl. van Horne *in Microtechne*, ne eâdem illâ, quæ ab inustione actualis cauterii inducitur, crustâ decidente novus fiat sanguinis fluxus, & antequam ad eum sistendum advocetur Cheirurgus, jam æger ad plures abierit. Addit Paræus *Cheirurg. lib. 12. cap. 35.* crudele id esse, cum summum dolorem adferat, si in viva carne, uti debet, sectio facta fuerit; undè partibus nervosis prava sæpè superveniunt accidentia. Quapropter idem *cap. 31. 32. 33.* suadet, ut tenaculâ vel volsellâ vasa apprehendantur, & acu transfigantur, atque adducto filo deligentur.

Constrictis autem vasis, seu ligatura, seu actuali cauterio, vincula solvenda, & membro stuppæ albumini ovi imbutæ, & pulvere sanguinem sistente conspersæ, imponendæ.

Pulvis sanguinem sistens, qui valdè laudatur ab Hildano *lib. de Gangræna & Sphacelo cap. 17.*

℞. *Farinæ volatilis* ℥vj.
Thuris, sanguinis draconis an ℥j.
Boli armeni, terræ sigillatæ an. ℥ß.
Gypsi ℥iß. *musci cranii humani* ℥j.
Kanarum aquatil. præpar. ℥ij.

Digitized by Google

Pilorum leporis minutissimè incisor. ℥ij.
Pulv. album. Ovorum sole exsiccat.
Spuma maris, spongia torrefacta an. ℥j.
M. F. *Pulvis subtillissimus.*

Plerumquè etiam sine cauterio actuali & ligatura sanguinis profusio cohiberi potest, si *fungum*, quem *Crepitum Lupi*, vulgò *Bovist* appellant, in usum ducamus; viz. ut in spatio inter duo ossa medio, portiunculas ejusdem, pulvere sanguinem sistente plenas, & ovorum albumine madefactas, applicemus: aut si ex eodem Fungo excavato veluti Scutellam conficiamus, pulvere stegnotico repletam, cui tunc membri extremitas imittatur.

Alii liquorem stipiticum ex calchanto & similibus præparatum cum linteo discerpto, aut stuppa cannabina imponunt, sitque sanguinis fluxum protinus supprimunt, ex gr.

℞. *Vitrioli Ungarici,*
Aluminis crudi an. ℥vj.
Phlegmatis Vitrioli. ℔iiij.
Coq. tamdiù donec omnia fuerint dissoluta: liquorem refrigeratum filtra, & à crystallis subindè concretis separa, ac addendo singulis libris,
Olei vitrioli. ℥j.
M. & servetur usui.

Hoc liquore lintea quintuplicià humectata vulneri vel orificio arteriæ, vel trunco membri extirpati superimponantur, adhibitâ conveniente ligaturâ, & observatur sanguinem protinus esse coagulatum. Plura de stiptico hoc liquore addit Joh. Corn. weber, *in Anchora Sauciatorum*, *Pag.* 124. 125. Aliam porrò methodum, qua Hæmorrhagia post amputatas manus subitò fuerit sedata, proponit Felix Platerus *libr.* 3. *observ. pag. mihi* 772.

LXIV. Coërcito autem nimio sanguinis fluxu, & cæteris ità constitutis, membri extremitas, ejus-

Digitized by Google

que apparatus ità in ſitu detineatur beneficio emplaſtri Defenſivi & Glutinantis, quibus omnibus veſica bubula ſuperinducatur, donec hæmorrhagiæ metus tranſiverit; tandem cruciata faſciatio inſtituatur.

XLV. Atque hic primus apparatus eſt, ſeu prima deligatio, quæ ante ſecundum aut tertium diem æſtate, hieme ante quartum non eſt ſolvenda, niſi quid valde urgeat; interim membrum figurâ mediâ collocandum in pulvinari ſolutâ verò ligaturâ, & ablato primo apparatu, aliquot pulvillos ex ſtupis aut goſſypio paratos, nec non albumine ovi madefactos, & pulvere ſtegnotico adſperſos, in promptu habeat cheirurgus; qui omnia prudenter admoveat: pulvilli tamen, qui in primo apparatu vaſis impoſiti fuere, ſi aliquo modo, quantumvis leviſſime adhæſerint, propter hæmorrhagiæ metum, in proximam uſque deligationem reliquendi ſunt. Sin vero facile, & velut per ſe decideriut, recentes vaſis imponere convenit, at reliquo vulneri applicetur *digeſtivum*, *commune*, vel *mundificativum de apio*, Vel.

℞. *Therebinthinæ venetæ vino lotæ* ℥iij
Mellis roſacei ℥iß.
Pulv. rad. ariſtol. rot.
Iridis florent.
Farinæ hordei an. ʒiß.
Theriaces ʒj. *Spiritus vini* ℥ß.
M. F. S. A Mundificativum.

LXVI. Interea tamen poſtquam ligatura ſoluta, detractaque fuerit; cutis jam leviter reducenda eſt ad vulnus regendum, quo tempore fieri id poterit: quem in finem paræus & alii cutis extremitates quatuor in locis acu & filo traducto ad ſe invicem adducunt, & nudatum os obtegere ſatagunt, ne ab aëre lædatur. Sed quorſum opus eſt ægrum non pro-

Digitized by Google

futuris carnificinis excruciare; cum enim truncus post operationem intumescat, futura hæc mirum in modum dolores auget; filum quoque, intumescente carne, cutem abrumpit. Unde futura relaxatur, & plane inutilis evadit. Hinc commodior videtur ea, quam siccam vocant, quæque per emplastra conglutinantia satis apte peragitur.

LXVII. Tandem dum curatur hoc modo vulnus, procurandus est casus extremorum ossium, quæ ærris & ferræ contactu alterata fuere. Eum in finem cheirurgi pulveres catagmaticos inspergere perperam solent; quoniam iis os conservatur, hinc nec squammæ separatio promovetur: sed pinguia potius, & oleaginosa ossium extremis imponatur; quæ ossa corrumpere, adeoque illorum separationem festinare solent. Accelerat quoque casum ossis, si peractâ amputatione cauterium actuale leniter leviterque ossi applicatam fuerit.

LXVIII. Sed ipso in trunco luxurians spongiosaque caro sæpius excrescit, quæ coërcenda est inspersо pulvere *radicis iridis florentinæ*, aut *aluminis usti*, aut sequente, quem hildanus proponit,

℞. *Aluminis usti* ʒii
Vitrioli calcinati ʒß.
Ceruſſæ, lapidis calaminaris,
Plumbi usti an. ʒj
M. F. pulvis.

Hinc inducenda cicatrix *emplastro diapalmâ, de ceruſſa, unguento desiccativo rubro, diapompholigos*, similibusve

Post curationem vero quomodo tibia lignea, aut integrum ex ligno factum crus sit adaptandum, exponit Ambrosius Paræus *cheirurg. lib.* 23.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

DE AFFECTIBUS CUTANEIS.

ET PRIMUM,

De maculis quibusdam levioris momenti, quæ ephelides, lentigines, & hepaticæ vulgò nuncupantur.

Ephelides. I. INter Affectus merè, aut saltem maxima ex parte cutaneos primò occurrunt maculæ, *Ephelides* vulgò, nostratibus (*Sproetelem*) nuncupatæ, quæ verè & æstate, quoniam ab in solatione potissimum excitari solent, plurimum increbescunt, atqui circà Hyemem rursus evanescunt.

II. Sed cum in formosioribus, ac cutem rarissimam habentibus maximè contingant, in iis præcipuè locis, ubi cuticula, soli & aëri exposita, densissima est, sc. in facie ac manibus maximè erumpunt. Porrò coloris subflavi aut fusci, ad magnitudinem morsus pulicaris, inæquales tamen, & quoad figuram irregulares existunt. Atque hæ maculæ parum aut nihil differunt à puncturis illis subfuscis, aut flavis, quas nonnulli *lentigines* vocant, quæ lentis magnitudine faciei partes crebris quasi guttis insigniunt.

Lentigines.

Harum maculatum causæ. III. Harum macularum materies seu continens causa videtur esse, *bilioſi humoris tinuior portio, vi solis illam attenuantis, & poror cutis aperientis, exterius prolecta*; quæ evaporare incipiens, in cute exteriore, aut cuticulæ, quam pertransire nequit, concavo defigitur, Et certè maculas hasce à bile, similibusve flavis sanguinis recrementis procedere indicio est, quod maximè familiares sint iis, quorum pili flavescunt.

Digitized by Google

IV. Equidem præter exiguas haſce maculas lenticulares & ephelides, aliæ inſuper occurrunt multo ampliores, palmæ longitudinem ac latitudinem nonnunquam excedentes, quæ cutem variis in locis, præcipue circa pectus & dorſum, lituris, modo fuſcis, modo luridis, aut ſubnigris conſpurcant, ac *hepaticæ maculæ* nominari ſolent, iiſque, plurimum inſigniti, jecur minus ſanum, aut ſaltem haud bene ſanguificum habere creduntur: quod tamen ſub hac ratione verum non eſt; at ſolummodo quatenus humores bilioſi, cum non ſatis intra hepar à maſſa ſanguinea ſeceruntur, ad cutem protruſi eam ita diſcolorant. Maculæ hepaticæ.

V. Lituræ iſtæ potiſſimum tempore æſtivo apparent, & maximè ſupra pectus & dorſum, viz. quo tempore, & quibus in locis ad ſudandum homines ſunt plurimum apti: ipſum nimirum ſanguinis ſerum, quod fæculentias iſtas è cruoris maſſa in cutis anguſtias provehit, eas penitus evaporare inidoneas, illic relinquit.

VI. Affectus hi, quoad valetudinis ſtatum, nihil mali indicant, aut ominantur; & quamvis ephelides, lintigineſque nonnihil turpitudinis referunt, id tamen compenſatur, quatenus ita maculoſi puriori conſtitutione præditi obſervantur. Maculatum dictarum prognoſis.

VII. Ad curationem vero horum affectuum quod attinet; cum maculæ hæ plerumque ſint criticæ eruptiones, pharmaca intus ſumenda, quibus illarum materies, ſeu continens cauſa tolli poſſit; vix ulla occurunt; niſi quod ſudorifera blanda aliquando uſurpata bilioſi humoris recrementa, in cute, aut cuticulæ concavo defixa, magis evaporare faciant. Sed ad ephelides. Lentigines, & maculas hepaticas tollendas, ars coſmetica propriè ſpectat. & propter hæc cutis deturpamina delenda, ſine quavis medendi methodo, medicamenta qui- Cutandi Methodus.

Digitized by Google

bus cuticula decorari solet tantum præscribuntur; quorum apud domicellas, aliosque de cute curanda sollicitos, ingens ubique & uberrima est seges. Ea tamen omnia, quatenus duas solum medendi intentiones respiciunt, ad bina hæc capita reduci possunt: illa nimirum aut cutis ac cuticulæ poros aperiendo, atque hanc interdum excoriando, humorem foras attrahendum & prorsus evaporandum moliuntur: vel è contrario, & sæpè non minore cum successu adhibentur illa quæ materiam maculosam è cute repercutiunt, ac intus adigunt;

VIII. Primo igitur ad cutem detergendam, & macularum materiem foras extrahendam, sequens conducit linimentum,

℞. *Unguenti rosacei* ℥ij.
Florum scinci, hoc est, *magisterii marcasitæ* ʒij.
Misceantur exactè pro litu, quo vesperi facies inungatur, hinc mane cum panno laneo mundo denùo detergeatur.

Etiam facies subindè lavetur *aqua florum fabarum*, cui admixtus *liquor tartari*, siquè aquam hanc efficacem magis desideremus, aliquot guttulæ addantur *aquæ aluminosæ seu mercurialis.*

Cl: Willisius *pharmaceut. ration. part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 5. illud præscribit,

℞. *Lixivii è sale tartari minus saturati* ℥iiij.
Olei amygdalarum amararum q.s. idque in tali proportione misceatur, ut totus liquor lactescat. Cum hac mixtura partes hujusmodi maculis affectæ mane & vesperi illinantur, ac blandè fricentur.

IX. Sed ad maculas è cute discutiendas, earumque materiam repellendam intusque adigendam, *lac virginis* à pluribus commendatur, quod ad hunc modum sæpe conficitur; viz. *solutio lithargyrii in*

Digitized by Google

acto destillato facta, ab affuso oleo tartari per deliquium parato, in liquorem lactis instar albicantem precipitatur; quo facies bis in die lavetur & blande fricetur. Vel

℞. *Camphoræ* ʒij.
Teratur in mortario vitreo, sensim affundendo
Succum unius limonis, dein adde vini albi ℔j.
M. exacte, & detur usui.

Vel

℞. *Benzoini optimi* ʒß.
Spermatis cœti ʒj.
Spiritus vini summè rectificati ʒiiij.
Stent in digestione per aliquot dies, dein fiat per Chartam emporeticam colatura.
hujus liquoris (rubicundi) tantillum misceatur cum vino albo gallico, (quod illico lactescit) quo facies lavetur, & blande fricetur.

Forestus *libr.* 31. *obs.* 1. pro faciei maculis hanc commendat aquam,

℞. *Albumina ovorum ad duritiem coctorum, eaque more chymico, destillato, & liquorem destillatum usui servato.*

Idem *lib.* 5. *observ. chirurg.* 4. ad delendas lentigines mirum in modum extollit *aquam è cochleis destillatam.*

Ad easdem maculas tollendas vult Sennertus *prax. lib.* 5. *part.* 3. *sect.* 1. *cap.* 3. facies ut sæpius abluatur *aqua florum sambuci & fabarum*, cui aliquid *camphoræ in spiritu vini solutæ* addatur.

Platerus *prax. med. tom.* 3. *libr.* 1. *cap.* 2. ad faciem decorandam proponit aquam, qua Maria medicea Regina Mater uti solebat,

℞. *Tres capones albos statim post jugulationem; axungiâ detractâ, concisos,*
Caseos duos recentes ex lacte caprino confectos,
Pulpam sex limonum corticibus detractis,

Digitized by Google

Albumina octo ovorum
Boracis, sulphuris an. ℥ß. camphoræ ℔ß
Aq. florum fabarum, nymphææ an. ℔j.
Collocentur in B. M. atque in alembici re
tro aliquot grana moschi, destillentur S. A
& liquor extillans servetur usui, eaque su
noctem facies lavetur.

X. Attamen fœminæ curiosiores vix ullis nun remediis cutaneis, nisi *mercurialibus* contentæ sunt quapropter sequens aqua ad pleraſque faciei turpi tudines ſummopere commendatur,

℞. Mercurii ſublimati ℥j.
Pulveriſetur & ponatur in vaſe ſtanneo cu
Aquæ fontanæ ℔iij. ſtent per xxiv. horas,
cum ſpatula lignea ſubinde agitando, donec
totus liquor nigreſcat, qui tamen per chartam
emporeticam colatus limpidus evadit: cum
petia aut pluma huic intincta facies ſemel intra
diem unum aut alterum blande obducatur.

Hujuſmodi medicamentum contra turpitudinem quamcumque cutaneam in igniter juvat; quatenùs nempè humores intra porulos & foraminula ut minutiſſima impactos expedit, totamque ubi applicatur cutem, quoad meatus ejus malè conformatam, reſtituit. Sed quandoquidem hydrargyri particulæ, unà cum ſalibus (à quibus in minutias dividuntur, acuunturque) faciei applicatæ, materiam defecatoriam intus repercuſſam inſequuntur ſicquè ſanguini & lymphæ ſe facilè inſinuant, hinc & gravia œconomiæ animali non rarò pariunt incommoda coſmetica mercurialia haud immeritò mihi admodum ſuſpecta ſunt.

Puncta nigricantia, quibus faciei par-

XI. Porro accidit interdum, pleraſque faciei partes, præſertim verò naſum & frontem, *punctis Nigricantibus* creberrimis, quaſi à pulvere pyrio explo ſo inuſtis, inſigniri; idque procedit quod pori

Digitized by Google

cutanei, seu vasculorum sudoriferorum oscula, humore atro crassiore, vermiculos nigra capita habentes referente, implentur; atque in tali cutis affectione lotiones, & litus nulli præter Mercuriales prodesse solent.

tes sæpe defœdari solent.

CAPUT XIX.

De Herpete.

I. POst affectus cutaneos simpliciores, qui nempè sine tumore aut exulceratione contingentes, cutem solummodò maculis defœdant, jam ordine agendum erit de affectibus gravioribus, & continuitatem solventibus, atque imprimis de eo, qui ab effectu & symptomate Græcis *Herpes* dicitur, viz. à serpendo, quod nimirùm proserpere videatur, quodque unâ parte sanescente morbus in proximam serpat: Arabibus *formica corrosiva*, C. Celso *Ignis Sacer* nuncupatur. Est autem HERPES, *Tumor, sive Pustulosa Inflammatio cum pruritu & rubedine, Partem, in quam serpit, exulcerans*: vel licatur, *tumor biliosus, qui cutem serpentibus minimis pustulis exasperat, roditque.*

Herpes quid sit.

II. At verò Herpetis species duæ sunt. Prima namque *simplex est Herpes*, qui intra cuticulam consistens minimis pustulis, milii semini similibus, cutis superficiem exasperat, undè *Herpes miliaris*, Belgis (*Springend vuer, ofte voozcruijpendem Pair-vvozm*) nuncupatur. Vel est *Exedens*, Græcis ἐξεσθίων, qui ipsam exulcerat cutem, latèque in ambitum serpit, cujus medium citius sanatur, quam extrema nostratibus (*Ineetenden Pair-vvozm.*

Herpetis species duæ sunt.

III. Veruntamen *Ignis Sacer* C. Celso dictus, fit maximè in pectore, præcordiis, aut lateribus: estque hic affectus, cujus meminit Amplissimus Tulpius

Digitized by Google

obſer. med. lib. 3. cap. 44. quique Plinio *Zoſter*, Scribonio Largo *Zona*, Noſtratibus (*Ommeloop* ſive *Ambitus* nuncupatur; quod in extimo Diaphragmatis ambitu variis circulis, diverſimodè diſperſis, hominem aliquatenus ambit.

Partes in herpete affectæ.

IV. Affecta igitur Herpetis Miliaris pars eſt cutis ſuperficies ſeu cuticula. Herpetis verò excedentis tota cutis: cum ſpecies hæc integram cutem ad ſubjectam uſque carnem ſoleat exulcerare.

Herpetis cauſa.

V. Efficiens autem, & conjuncta herpetis cauſa eſt *humor tenuis, biliоſus, acri-ſalinus, ſimulque glutinoſus*, qui ſanguini inexiſtens ab eodem ſecernitur, ac cum eo ad corporis ſuperficiem per malam criſin propellitur: impeditur tamen in ſui excretione per poros cutaneos ob admixtum ipſi humorem glutinoſum, nec non poros in cuticula quam in cute arctiores, hinc circà cutem ſub forma puſtularum hæret, undè vitioſa ibidem contingit effervescentia, & quidem calida, ob quam ſummus in parte affecta pruritus & ardor deprehenditur. Talis porrò noxius humor in corporis ſuperficiem expulſus, ampliùs ibidem vitiatur, quin allabentis ſanguinis partem ſimul corrumpit, & pruritum ac dolorem in vicinis partibus excitat. Cùmque humor hic cuti inhærens ſit tenuior & minus acris, *herpes* oritur *Miliaris*; ſin acrior, magiſque glutinoſus *herpetem* producit *ferum excedentem, ἐξιόμενον.*

Diagnoſis

VI. Cæterum herpes cum ſenſibus pateat, non ità difficulter cognoſcitur: eſt enim tumor latus ſine omni ferè altitudine, ut vix attollatur pars potiuſque exaſperari quam intumeſcere videatur. Adſunt præterea puſtulæ exiguæ, milii ſemini ſimiles, calor, pruritus, & quàmvis puſtularum quædam ſanantur, aliæ tamen oriuntur, ut malum ad vicina proſerpere videatur. Si puſtulæ rumpantur ichoroſus effluit humor; eſtque ſubrubicundus locus

Digitized by Google

affectus. Ferus autem, seu exedens dicitur Herpes, cum ulcuscula serpentia ac foramipula multa apparent, quæ tamen ultrà cutem non procedunt; seu, ut C. Celsus *lib. 5. cap. 20*, ait, est malum cum summa cutis excoriatione, & exulceratione sine altitudine, latum, sublividum; inæqualiter equidem, mediumque sanescit extremis procedentibus; atque non rarò id quod jam sanum videbatur, iterum exulceratur.

Prognosis

VII. Herpes porrò periculosus affectus non est, nisi sit valdè exulceratus: nihilominus tamen difficilè curatur, & non rarò diuturnus est morbus. Atqui prout humor ille, è quo oritur herpes, mitior vel acrior, magisque vel minùs glutinosus, eo etiam magis vel minùs periculosus est.

Herpetis curatio.

VIII. Equidem ut affectus hic tuto curetur, ratio habenda est & causæ antecedentis, & continentis partisque affectæ. Atquè ad causam antecedentem quod attinet; quum ex humore tenui, bilioso, acri-salino, simulque glutinoso Herpes oriri soleat, hic imprimis per convenientem rerum nonnaturalium usum est corrigendus, deindeque è corpore purgandus: nisi enim totum corpus exactè purgetur, nunquam patiens perfectè sanatur; & quamvis uno in loco adhibitis topicis medicamentis pars sanescere videatur, in partibus tamen vicinis denuo malum sese prodit.

Ad antecedentem herpetis causam tollendam quid observandum.

IX. *Dietum* itaque quod spectat *aër*, *cibus & potus* sint refrigerantes: nocent omnis generis acria, calida, salsa, fumo siccata, pinguia, dulcia, similiter & *motus corporis* nimius, *vigilia*, *alvi durities*, *venus*, *ira*.

Insuper summè utilis hic est *purgatio*, qua biliosi, acri-salini, ac glutinosi humores, in partem affectam alioquin ruentes atque morbum foventes, toto è corpore vacuentur.

Digitized by Google

Eum in finem præscribi possunt pulveres, vinum medicatum, Decoctum.

℞. *Cremoris tartari* ʒiiß.
Tartari vitriolati gr. xxv.
Diagridii ʒß.
M. F. pulvis, devidindus in doses No. vj. *æquales, quarum singulis vel alternis diebus mane patiens unum sumat cum jusculo.*

℞. *Rad helenii, polypodii querq. an.* ʒij.
Summ. absynthii.
Fol. eupatorii cannab. an. ʒiß.
Cort. med. sambuci sicc.
Baccar. juniperi an. ʒiij.
Fol. sennæ mund. ʒvj.
Aloës, sem. carui an. ʒiß.
Incisa & contusa dentur in sacculo, suspendendo in vini albi ℔iiij. *de quo quotidie mane Æger bibat cyathum.*

℞. *Rasuræ ligni guajaci* ʒiv.
Sassaphras ʒvj.
Rad. salsaparillæ ʒiß.
Macerentur per noctem calide in aquæ puræ ℔v. *dein S. A. coq. add. rad. lapathi acuti rec.* ʒiij.
Herb. fumariæ Mij.
Chamæpitheos Mj
Pulpæ coloquynthidis ʒj. *liquiritiæ rasæ* ʒvj.
Fiat colatura ℔iij. *de qua semel vel bis quotidie Ægrotans bibat.*

Venæsectio hîc non ducit, nisi in plethoricis.

Thermarum ac *acidularum usus* sæpè singularis est: Tales enim aquæ debito tempore sumptæ tutò eum affectum tollunt.

Decoctum salsaparillæ, chinæ, &c. continuo usurpatum, plurimum etiam valet ad vitiosos istiusmodi humores corrigendos, atque, transpiratione auctâ insensibili

inſenſibili, provocatiſque liberius urinis, conſumendos; hinc & *ſudorifera* quoque huic morbo curando multum conducunt.

X. Ubi jam cauſæ antecedenti ſatisfactum eſt, ad ipſam continentem accedendum; cui tollendæ multum ſæpè efficimus inunctâ *ſalivâ hominis jejuni*, cujus ope acris, bilioſus, glutinoſuſque humor cutis poroſitatibus inhærens attenuatur reſolvitur. Continens herpetis cauſa quomodocorrigenda.

Scribit Barbette, ſummo cum ſucceſſu multoties adhibitum ſe vidiſſe *pulverem lapidis ſciſſilis cum aceto mixtum.*

Sunt qui *ſinapi* uſurpant *cum butyro liquefacto & aſſato*, quibus aliis *pulveris pirii aliquid* addunt.

Ipſa *urina* affectui huic ſanando prodeſt aliquando.

Multum ſæpè efficimus *lavamento ex aqua pura, cum ſale communi*, & *vitriolo albo*. ex. gr.

℞. *Aquæ pluvialis* ℔ij. *in ea diſſolve.*
Salis communis ʒß. *vitrioli albi* ʒij.
pro lavamento.

refert aquapendens, aliquoties ſe feliciter uſum fuiſſe *aquis thermarum*, quæ brevi tempore ſanant herpetem: atqui ubi deſunt thermarum aquæ, ſumit *aquam marinam*; aut *aquæ ſalitæ admiſcet ſulphur & alumen*, atque in hac membrum affectum detinet.

Summoperè quoque morbo huic curando conducit inunctum *unguentum emulatum cum mercurio*, quod puſtulas tabefacit, exſiccat, ac viſcidum glutinoſumque humorem abſumit. Conducit & hoc,

℞. *Unguenti roſacei* ʒij.
Mercurii præcipitati albi ʒij.
Miſceantur exactè pro litu.

Vel

℞. *Butyri aſſati.*
Unguenti nutritii, populei an. ʒß.
Sulphuris Vvi pulver. ʒiß. *cretæ albæ* ʒß

Digitized by Google

M. F. S. A. linimentum.

Pulvis cretæ cum lactis cremore mixtus, & illitus hunc affectum non rarò sanat, præmissâ fomentatione calidâ cum *vapido vino gallico.*

Joh. Heurnius pro herpete commendat *facem vini* inter duo linteamina applicatam.

Hartmanus *in praxi chymiatrica* cum linteo discerpto applicat *aquam calcis vivæ*, cui aliquando *alumen dulce*, aliquando *saccharum saturni* addit.

Folia tussilaginis viridia membro affecto imposita, identidemque renovata, herpetem nonnunquam sanant.

Equidem sequens *lac virginale* huic malo curando admodum conducit, si ægra pars eô frequenter lavetur & blande fricetur,

℞. *Rad. hellebori albi, enulæ campanæ,*
Iridis florentinæ, althææ an. ℥ß.
Pulpæ colocynthidis ʒij.
Fol. sabinæ, vicetianæ an ʒiiij.
Aluminis crudi ℥j.
Lithargiri ʒiiij.
Contund. & coq. in s. aquæ pluvialis ad ℥xviij.
Colat. add. aceti vini ℥vj.
Misceantur usui.

Vel ita conficiatur,

℞. *Rad. hellebori albi* ℥j.
Althææ, esulæ minoris,
Enulæ campanæ, iridis florent. an. ʒvj.
Fol. sabinæ Mj.
Pulpæ colocynthidis ʒiij.
Aluminis crudi ℥ß.
Sem. staphisagriæ ʒvj. *lithargyri* ℥vj.
Ciner. ligni quercini ℥viij.
Coq. in s. q. aquæ pluvialis ad ℥xxiij. *colat. add.*
Aceti vini ʒvj.
Misceantur.

Digitized by Google

In Herpete pertinaci Barbette sequentia proponit,

℞. *Unguenti fusci felicis* WIRTZII ʒiij.
Albi camphorati ʒiß.
Ceruſæ, ſulphuris, mirrhæ, litharyri an. ʒiß
Mercurii dulcis, æruginis an. ʒß.
Olei roſacei q. ſ. M. F. S. A. *unguentum,*

℞. *Lapidis prunellæ* ʒj. *floris ſulphuris* ʒß.
Sacchari ſaturni ʒiß. *olei raparum veteris q. ſ.* M. S. A. *pro linimento.*

Aliquando in pertinaci herpete prudenter applicetur *aqua aluminoſa* ſeu *mercurialis, ſecundum pharmacopœam ultrajectinam*, vel ſola vel potius *additis vino & aquâ plantaginis magis temperata*, cujus vires & facultates in hujuſmodi affectu curando non ſemel obſervavimus. Sed notandum in iis, qui ſunt calidioris temperaturæ, hanc aquam minus convenire, & facile inflammationem excitare.

CAPUT XX.

De ſcabie, ejuſdemque ſpeciebus.

I. MOrbus herpeti admodum affinis generali vocabulo *ſcabies* dici conſuevit, quæ in variis totius corporis locis, cutem puſtulis exiguis, modo ſiccis & ſæpe ſquammoſis, modo humidis ac ad ulcerationem diſpoſitis, cum pruritu valdè moleſto infeſtat; atque hujuſmodi affectio propriè iſtius partis morbus eſt, utpote quæ in ipſa cute propter contagium externum ſæpe incipit, & frequenter per media tantum cutanea curatur.

II. Dicitur autem *ſcabies* ſeu *ſcabrities*, quia cutem ſcabram & cruſtulis obductam diverſis certiſvè in locis reddit. *Pſora* verò, *ἀπὸ τῆς ψάω furfurem mutatum excerno*, quia in cute non tantum eſt aſperitas, ſed & levis exulceratio & excoriatio puſtu- Scabies ſeu pſora quid ſit.

Digitized by Google

larum, à quibus furfuracea quædam, & nonnunquam ſanies, quæ tunc *ſcabies humida* dicitur. Enimvero variæ ſunt ſcabiei ſpecies, de quibus omnibus, aut ſaltem pleriſque agere conſtitui.

III. SCABIES igitur, ſeu PSORA definitur, quod ſit *ea in cute aſperitas, quæ eſt cum puſtulis humidis, & inſigni pruritu.* vel deſcribitur, *puſtularum in toto corpore ſparſim eruptio, ab humore acri & ſalſo, intra poros cutis aggeſto procedens, hinc pruritum inſignem, adeoque & ſcalpendi neceſſitatem inducens.*

Continens ſcabiei cauſa.

IV. Continens hujus morbi cauſa nec videtur eſſe pituita, nec bilis, nec melancholia, nec etiam ipſe ſanguis per ſe extravaſari aptus; porro nec materia hîc peccans è duobus vel pluribus horum ſimul mixtis conſtat: ſi namque ex hujuſmodi humoribus hic morbus unquam oriretur, non ita facile per merum & leve contagium ſuſcipi, aut ſolo litu curari poſſit. Quamobrem potius cenſemus, *eſſe humorem limphaticum in glandulis ſubcutaneis conſtanter reſidem, qui ab indole ſua genuina deſciſcens à ſaline volatili in acidum & acri-ſalinum, nec non aliter vitioſum non raro degenerat.* Enimvero cum humori huic lymphatico ita depravato, & perpetim evaporanti, ſupplementa continua è ſanguine adveniant, humores iſti, vetus & recens, non facile congruunt aut uniuntur, at ſalium diſſimilium ritu mutuo effervescentes in materiam recrementitiam coagulantur, quæ poros cutaneos implens ac diſtendens ubique paſſim in tumores attollit; inſuper ſanguinem in tranſitu nonnihil impedit, & extravaſari quaſi cogit. Hinc puſtulæ crebræ excitantur, & quatenus materia iſta in ichorem fatescens, à ſero & ſanguine ſubſequentibus uſque prorſum & foras urgetur, in moleculas aſſurgunt; de in ſpiritus animales fibras ner-

Digitized by Google

veas, ut ichoris istius excretionem promoveant, inordinatè subeuntes, molesti pruritus sensum efficiunt.

V. Insuper ad scabiem & eruptiones pustulosas quod spectat; humor hic lymphaticus tribus potissimum de causis depravari solet. 1. Ipse sanguis valde impurus, simulque dissolutus, corruptelas & recrementa sua ubertim in glandulis subcutaneis relinquit, quæ ibidem fermenti corrupti naturam induentia cum aliis succis adventitiis, aut pertranseuntibus effervescunt, & varie coagulantur, adeoque non solum *affectus scabiosos*, verum & *leprosos* diversimodos pariunt. Hinc carnium & piscium salitorum, & sole ac fumo siccatorum usurpatio crebra & assidua, aliaque incongrua comesta aut epota eruptiones cutaneas passim cient. 2. Humor glandulis subcutaneis aggestus interdum merâ stagnatione scabiem producit; quare non tantum diu incarcerati, sed & qui vitam sedentariam agentes, squalori insuper, & poëdori assuefiunt, huic affectui obnoxii degunt. 3. Humor hic cutis glandulosus à miasmate virulento ab extra communicato, non raro vitiatur; idque observatione vulgari liquido constat, in quantum maxime sani, & optimâ constitutione præditi, vix unquam in eodem lecto ubi scabiosus simul decumbit, aut nuper decubuit, impune dormiunt: nec ita tantum, quin & scabiosorum sudaria aliis in eodem lavacro lotis, ejusdem affectus sæpe contagium impertint. Causæ primitivæ.

VI. Itaque Scabies quoad originem suam, aut *per contagium* accipitur, aut *propter Malam victus rationem* incendiculum & fomes ejus à Chylo & sanguine vitiosis communicatur, vel ob *pædorem & transpirationis defectum* in ipsâ cute generatur, quibus addi potest, infantes quandoque hanc labem à Parentibus hæreditario contractam nanciscí.

Digitized by Google

Diagnosis

VII. Cæterum cutaneæ eruptiones, quoad formam juxtà affectorum constitutiones diversimodas variant. Nam in quibusdam siccioris temperaturæ, biliosæ viz. aut melancholicæ, Scabies tantum sicca, & quatenus ob seri defectum minus evaporat, cum pruritu non adeo molesto excitatur: in aliis vero temperamento humidiore, & sanguine impuriore præditis, Exanthemata plurima, Ichore plena, & summoperè Prurientia ad scalpendum vehementer irritant, atque, propter excitata inde ulcuscula, pruritus subindè in dolorem mutatut.

Prognosis

VIII. Scabies porrò, ob turpitudinem & deformitatem, molestus est affectus; non autem ità periculosus, & in ætate juvenili sæpè ab aliis morbis præservat, imo & alios morbos sanat. Equidem tuta semper scabies non est, sique diù continuata sit, in Lepram mutari potest. In senibus pertinax est, ac curatu difficilis.

Medendi methodus,

IX. Circà scabiei sive Psoræ curationem duæ occurrunt primariæ indicationes, ac utraque duplex; viz. prima *curatoria* hæc duo respicit, ut humor glandulis subcutaneis inhærens, atque vitiosus, ad debitam crasin reducatur: deinde, ut cutis pori & meatus, ichorosis concretionibus liberati, pristinam conformationem recuperent.

Indicatio secunda *Præservatoria* hæc duo præcavet. 1. Ne scabiei impuritates & miasmata corruptiva è cute excussa, in sanguinem & lympham regurgitent, iisque non tantum dyscrasias, sed insuper Oeconomiæ animali noxam graviorem inferant. 2. Item navetur opera, ut humorum & partium nobilium labes, à materia scabiosa prius contractæ, dum cutis vitia emendatur, eradicari queant.

X. Omnes hæ medendi intentiones, per remedia tum interna, tum externa simul usurpata, una complicari debent; nempe ut materies morbifica loculis

Digitized by Google

ſuis excuſſa, in nullas uſpiam latebras ſecedere, ac nullibi deliteſcere queat; quin omni ex parte per medicamenta convenientia in totum amoveatur. Itàque *Recta victus ratio* in primis obſervetur, vitando *cibos ſalitos & piperatos* nec non *muriâ conditos*; etiam à *vino*, *aquis ardentibus*, *cereviſia fortiori*, & à liquoribus quibuſque ſanguinem incitare nimis ac fermentare aptis, temperetur. Inſuper in ſcabie pertinaci & corpus cacochymicum occupante, expediet *pharmaca* exhibere *cathartica*, quibus acri-ſalini glutinoſique toto in corpore redundantes humores expurgentur. v. gr.

℞. *Cremonis tartari* ℈j.
cholagogi ſimplicis,
M. F. *Pulvis.*
℞. *Extracti catholici* ℈ſ.
Mercurii Dulcis gr. viij.
F. *Pill.* No. v.

℞. *Rad. Bardanæ, Lapathi acuti rec. an* ℥iß.
Turbith Gummoſi,
Santali citrini an. ℥ß.
Herb. fumariæ, agrimoniæ an. Miß.
Fol. *Sennæ mund.* ℥j.
Glycyrrhyſæ raſæ ʒiij.
Coq. *in ſ. q. aquæ puræ ad* ℥xxx. *fiat colatura, de qua ſemel vel bis quotidiè patiens hauſtum ſumat.*

℞. *Rad. polypodii querc.* ℥ß.
Helenii ʒij.
Fol. *Eupatorii cannab.* ʒiij.
Turbith Gummoſi.
Baccar. *Juniperi an.* ℥ß.
Aloës, Sem. carui an. ℈v.
Inciſa & contuſa dentur in ſacculo, ſuſpendendo in vini albi gallici ℔iiij. *de quo quotidiè hauſtum bibat ægrotans.*

Inſuper *Venæſectio*, niſi aliquid contraindicet, ab initio celebretur. Ad hæc *Alterantia*, quæ ſangui-

Digitized by Google

nem, cæteroſque corporis humores ſecundarios purificant, vices ſuas habeant; quem in finem conducit *ſerum lactis dulcis* frequenter potum, vel *decoctum ſalſaparillæ, chinæ, ſantali citrini, raſuræ cornu cervini*, & *liquiritiæ*. Etiam *ſudorifera*, aliquando uſurpata multum proſunt.

Quæ topica in ſcabiei curatione ſunt uſurpanda.

XI. Interim commodus uſus hîc eſt *Balneorum*, tum dulcium, tum mineralium ac calidorum, inter quæ precipuè laudari ſolent *ſulphurea*. Sed cum Balnea iſta mineralia non ubique reperiantur, alia pro iis ſubſtituere licet, quæ facultatem digerendi, & detergendi, & poros cutaneos extergendi atque purgandi vim habent. Ea ex ſulphure & vegetabilibus parari vulgò ſolent; atque non lavacri communis ritu, cutis tantum ſordes eluendo, ſed & incongruum ejus fermentum deſtruendo, morbum hunc ſanant.

℞. *Aluminis crudi* ℥iß. *ſulphuris vivi* ℥ij.
Salis communis ℥iij. *nitri* ℥j.
Fiat omnium pulvis, qui in aquæ calentis labrum conjiciatur.

Barbette ſequens proponit,

℞. *Rad. Bryoniæ, Lapathi acuti an* ℥vj.
Fol. fumariæ Mvj. *florum camomillæ* Miiij.
Furfurum Mj. *ſulphuris crudi* ℥ij. *nitri* ℥j.
Aluminis crudi ℥iß. *ſalis comm.* ℥ij.
Contuſa coquantur in aqua pura pro Balneo.

Equidem reſtat alius pruritum ſanandi facilior modus; nempè, ut camiſia aquæ puræ cum ſulphure pulveriſato incocta & per ſolem vel ignem exſiccata, ſuper nudum corpus per quatuor vel quinque dies geſtetur; ità namque morbus hinc ſine Balneatione, aut litus ſqualore, nonnunquam curari ſolet.

XII. Sed & *Unguenta* cuti illinenda pro ſcabie curanda præſcribi ſolent: atqui aliis pleriſque tumo-

Digitized by Google

ribus aut ulceribus quæ adhibentur, minimè hîc juvant; verum *sulphur* ejusque præparata in hoc morbo virtutem quandam specificiam habere videntur, adeo ut linimenta ferè omnia contra scabiem ea recipient, & totius compositi basis haud immerito habeantur. Exempli loco hæc sint;

℞. *Sulphuris comm. pulver.* ʒß.
Zinziberis pulver. ʒß.
Butyri insulsi ʒiiij.
M. F. S. A. *Linimentum.*

℞. *Sinapi confecti.* Nostratibus (Moastart) ʒiiij.
Sulphuris comm. pulver. ʒvj.
Olei raparum veteris q. s. M. F. S. A. *Litus.*

℞. *Unguenti rosacei* ʒiiij.
Sulphuris comm. pulver. ʒß.
Olei tartari per diliquium parati q. s. F. S. A. *Litus*

℞. *Butyri insulsi assati* ʒiiij.
Pulv. zinziberis, sulphuris, vitrioli albi an ʒj.
M. F. *Linimentum.*

℞. *Unguenti rosacei* ʒiß.
Vitrioli albi ʒij.
Misceantur exactè.

℞. *Unguenti enulati sine Mercurio* ʒiiij.
Pulver sulphuris comm. ʒß.
Olei tartari per deliquium parati. q. s.
F. S. A. *Linimentum.*

Sin vero talia affectum non curent, aut grave vel inveteratum sit malum, ad *Mercurialia* veniendum.

℞. *Argenti Vivi* ʒß.
Aqua fortis ʒj.

Solvatur Mercurius in aqua forti, dein simul exactè misceantur cum axungia porcina ʒviij.
& fiat S. A. *Unguentum, quo partes affecta leviter illinatur, & blandè fricentur.*

℞. *Axungia porcina* ℔iiß.

Digitized by Google

Olei veteris, therebinthinæ commun. ℥iiij.
Pulveris ceruſſæ ℥viij. *Aluminis* ℥ß.
Mercurii ſublimati ℥ij.
Miſceantur exactè in mortario pro Litu.

maximoperè verò hîc conducit *Unguentum Enulatum cum Mercurio.*

Sed de linimentis mercurialibus notandum, quod pueris, aliiſve tenerioris conſtitutionis non facile ſint adhibenda; verum adultis tantum, iiſque fortioribus, quia in nonnullis ſalivationem facile movent, quæ in infantibus facillime, & non niſi ſummo cum periculo contingit.

Inſuper mercurialia linimenta non ſemper omnibus locis ſcabioſis ſunt inungenda, præſertim ea, quæ copioſum recipiunt mercurium, quia facillime tunc ſequitur ſalivatio; ſed tantum manuum carpis, ac artuum majorum juncturis. Quem in finem à multis laudatur hoc unguentum.

℞. *Axungiæ porci, Butyri inſulſi an.* ℔j.
Succi citri, radicis enulæ, lapathi acuti an. ℥iß.
Salis communis calcinati, ſulphuris, reagalis.
Rad. Zinziberis, helleberi albi pulver. an. ziij.
Therebinthinæ, Mercurii vivi an. ℥iij
Miſceantur S. A. *& fiat unguentum.*

XIII. Nec tantum ſub formâ linimenti; ſed & pluribus aliis modis prædicta medicamenta uſurpari poſſunt. *Aqua mercurialis* ſeu *aluminoſa*, vel ſola vel temperata magis, ſi cuti in locis maxime ulceratis cum linteo diſcerpto applicetur, ſcabiem non rarò tollit. Vel præparetur lavamentum,

℞. *Rad. ari, lapathi, enulæ companæ an.* ℥j.
Hellebori albi ziij.
Salis Gemmei zij.
Coq. in aqua pura ad ℥xvj. *colaturæ add.*
Spiritus ſalis armoniaci gutt. xxvj.
Miſceantur pro lavamento.

Digitized by Google

Barbette laudat id., quod sequitur,

℞. *Gypsi usti* ʒiß. *Calcis vivæ* ʒij.
Lithargyri ʒß. *Boli armeni* ʒj.
Fol. niccotianæ sicc. ʒiij.
Vini albi gallici ℔ij. *Aquæ puræ* ℔ij.
Coq. simul S. A. *& colatura detur usui.*

Alii volunt, ut circa nudum corpus gestetur *cingulum, cui Mercurius crudus insutus est.*

XIV. Si vero omnibus hisce remediis scabies non cedat, sed inveterata & valdè pertinax sit, omni studio annittendum, ut per crebras purgationes, sudationes, & venæsectiones sanguis hâc labe impurus imminuatur, ac humor cutaneus variis modis corrigatur, hinc & affectio hæc curetur. Scribit Riverius *cent. 1. observ. 62.* quendam adolescentem cis paucos dies à fœda scabie fuisse liberatum exhibito pulvere ex *Mercurii Dulcis* ϑj. cum *Diagridii* ϑß. refert Platerus *prax. tom. 2. cap. 17.* empiricum quendam *decocto stibii calcinati cum salsaparilla, additis & aliis, pernicioſas* scabies aliquoties sanasse. Tandem Bartholinus *observ. cent. 6. histor. 73.* inquit: „ Nihil viliùs detritis calceis. „ Novi tamen puerum Melitensem toto corpore fœ„ dis cruſtis obsitum, qui aspersо cinere corii com„ busti calceorum, cum oleo rosaceo convaluit.

XV. Inter scabiei genera numerantur & *tineæ*, & *scabies fera*, affectus nimirum infantibus in primis molesti. FERA hæc SCABIES omnes corporis partes occupare potest, , quamvis frequentius faciem & Pectus, quandoquè & Brachia afficiat. TINEA verò caput, præsertim secundum partem ipsius capillatam, vexare solet, unde vocatur (*Pair-vvorm*) sicut prior affectus (*Dau-vvorm*) dicitur; ac si à vermibus exiguis perforatæ forent cutis partes variæ, ex quibus humor tenax erumpit ac effunditur instar roris, cruſtas varii coloris

Tinea & scabies fera.

Digitized by Google

producens, unde nomen accepit (*Dauvv-vvorm*: ſicut *Pair-vvorm*,) quando in ſpecie nocet capillis, adeo ut ſæpius excedans, & ſegnius, vel nunquam iterum excreſcant, relictis plagis in capite undoſis pilis carentibus.

Affectus hi unde oriantur, diſquiritur.

XVI. Continens horum affectuum cauſa eſt humor tenuis, acriſalinus, & quid ni acidus quoque, qui glutinoſo humori junctus, ſicquè ſanguini inhærens ab eodem ſecernitur, ac cum eo ad corporis ſuperficiem propellitur; ubi in glandulis ſubcutaneis exiſtens, & ab indole ſua genuina indies magis deſciſcens atquè degenerans, nec non vitioſè ibidem efferveſcens, poros cutaneos implet ac diſtendit, hinc puſtulas crebras ſummo cum pruritu & ardore producit. Cæterum vitioſus hic humor in glandulis poriſque cutaneis hærens amplius vitiatur, quin ſanguinis ac limphæ allabentis partem ſimul corrumpit, & pruritum ac dolorem, nec non eroſionem, exulcerationemque vicinis in partibus excitat.

XVII. In ſcabie illa fera erumpere ſolent primum parvæ puſtulæ, hanc aut illam cutis partem obſidentes, ac præſertim faciei, aurium brachiorumve, quandoquè totius penè corporis, ſummo cum pruritu; ob quem infantes, quoties poſſunt, unguibus partem affectam ſcalpunt & lacerant, & ſi ſcalpere nequeant, cuivis rei occurenti faciem affricant, nec deſinunt, licet poſt frictionem ſuccedente rubedine; mox & cutis externæ apertione, tum liquor acer mordaxquè, tum ſanguinis effundatur: quibus omnibus non minuitur, ſed augetur potius malum, latius nimirum ſerpendo, & novam moleſtiam itidem alibi producendo. Humor porrò fricatione illa promanans obſervatur varius, aliàs aqueus, aliàs flaveſcens, vel magis etiam obſcurus. Equidem tenax plerumquè eſt, ac glutinoſus, partibus adhærens, tandemquè ite-

Digitized by Google

rum concrescens, atque crustam excitans, quæ, nisi nuda sit pars, ut est facies, accrescit quoquè indusiis aliisve linteis aut vestimentis parti affectæ proximis; quocirca sine crustæ abruptione, ac plerumquè sanguinis quoquè, vitiosique humoris nova eruptione nequeunt ab ipsis removeri.

XVIII. Tinea verò, seu scabies fera in infantibus ad valetudinem facere haud absque ratione à plerisque creditur, cum vitiosi in toto redundantes humores robusto naturæ conatu in corporis superficiem expelluntur, unde &, si sponte ac subitò affectio hæc evanescat, in febres non tantum, sed & morbos alios longè graviores infantes non raro incidunt. Huc spectat, quod hippocrates, *lib. de morbo sacro* scriptum reliquit; viz. infantes, si ipsis ulcera in capite, vel circa aures, vel in facie, vel reliquo in corpore excitentur, liberari ab epilepsia.

XIX. Quoniam igitur infantes vel tineâ, vel scabie ferâ laborantes: à variis, iisque gravioribus morbis sæpius immunes sunt, atque hoc malo affecti hilares plerumque, & jucundi observantur, hinc Doctissimorum Medicorum autoritate, nisi parentibus, urgentibus, à curatione multi abstinent. Quod si vero initent parentes. Medicamenta duntaxat levia adhibent, ac præcipuam curationem in nutricem rejiciunt, quam per intervalla blandè expurgant. Indicationes curativæ.

XX. Ipsa interim affectuum horum curatio solis externis medicamentis aliquando absolvitur. Sed quum observentur insuper alia in humoribus vitia, ob quæ internâ opus sit medicinâ, eadem hîc esto indicatio, ac in scabie. Equidem ipsa illa medicamenta assumta tineam aut scabiem feram non curant, nisi forsan producta sit à sudore quovis modo impedito: quo in casu utile erit, *sudoriferis blandis*

Digitized by Google

sæpius usurpatis denuò viam parare humoribus in corporis superficie hærentibus, ibidemque ita corruptis, ut feram hanc scabiem producant.

XXI. Atqui quum crisεos modo ad cutem expulsus sit humor acer, qui ob admixtam glutinositatem ibidem hærens tineam aut scabiem feram produxit, cæteris functionibus illæsis, solis topicis hoc malum sæpius curatur; imo pharmaca intus sumenda, quatenus corporis humores exagitant, tunc obesse aliquoties observavimus. Hoc igitur in casu varia à practicis laudantur, & præscribuntur remedia. Sedulo tamen cavendum, ne in horum affectuum curatione cutis poros occludant imposita medicamenta, adeoque peccantem humorem ad interiora repellant, unde gravissima excitari solent symptomata: quapropter talia sunt usurpanda topica, quæ cutis poros servent apertos, quin eosdem aperiant, quæque humorem acidum ac acri-salinum temperent, glutinosum incidant, abstergant, sicque partem ægram restituant, consolidationemque promoveant: quæ omnia præstant, absolvuntque *salia volatilia blandiora*. Igitur affectæ partes identidem laventur *vino gallico, quod ex vase per epistomium æneum guttatim stillavit*, Nostratibus (*leck wiin*) Vel præscribatur lavamentum,

℞. *Aquæ plantaginis, solatri an.* ℥iß.
Florum sambuci ℥iij.
Camphoræ in ℥iß. *spiritus vini solutæ* ʒj.
Spiritus salis armoniaci gutt. xxv.
Misceantur.

Forestus *lib.* 8. *observ.* 13. hanc præscribit lotionem,

℞. *Malvæ, betæ, lapathi acuti cum radicibus,*
Hederæ arborea, centaurii min. an. Mj.
Caulium rubrorum Mß.
Colocynthidis ℥iij. *agarici* ʒj.
Hellebori nigri ℥iß. *fol. sennæ mund.* ℥ß.

Digitized by Google

Coq. in s. q. aquæ puræ ad ℔iiß. *colaturæ add.*
Salis comm. p. 1. *M. pro lavacro.*

Idem *observ.* 17 hoc laudat unguentum,

℞. *Lithargiri cum aceto acerrimo, & oleo rosaceo nutriti* ʒij. *cerussæ cum aqua solatri lotæ* ʒj. *aluminis usti* ʒß. *fuliginis camini, pulv. rad. helenii*, vel *chartæ combust. an.* ℈ij.
Axungiæ gallinæ, porcinæ,
Olei ovorum an. ʒß.
Rosarum, laurini, &
Aceti an. q. s. M. S. A. pro linimento.

Et *observ.* 20. pro tinea inveterata istud habet,

℞. *Butyri saliti, axungiæ porcinæ an.* ʒj.
Sulphuris pulv. ʒß. *vitrioli crudi* ℈j.
Argenti vivi cum saliva extincti ʒj.
Misceantur exactè in mortario pro litu.

Alii laudant id quod sequitur,

℞. *Butyri majalis insulsi* ℔ß.
Pulv. sulphuris, olibani an. ʒß.
Sabinæ ʒj.
Mellis comm. ʒij.
M. F. S. A. Unguentum.

Laudatur quoquè linimentum plumbi compositum; seu de Amiantho Boëtii de Boodt, quod describit Scroderus *Pharmac. med. chim. lib.* 2. *cap.* 87.

℞. *Amianthi* ʒß. *plumbi usti* ʒxij. *tutiæ præpar.* ʒij
Calcinentur, dein pulverisata macerentur cum Aceto Stillatitio, ac per mensem quotidiè agitetur materia: quæ dein ebulliat per horæ quadrantem, iterum quiescat, donec clarescat. tum
℞. *Aceti hujus clari, olei rosacei an. p. æq.*
Misceantur exactè in formam linimenti.

Interim dum hoc modo hi affectus curentur, danda opera, ne crustæ à partibus subjectis facilè separentur, cum sub ipsis felicius tota extingat cura.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De Impetigine seu lepra græcorum, &c.

I. POst scabiem cum pruritu, similesque affectus cutaneos, agendum sequitur de affectu alio, hisce ob pustularum eruptionem nonnihil affini, qui communiter *impetigo*, quibusdam *lichen* & *vitiligo*, aliis *lepra græcorum* appellatur. Morbus hic uti diversa sortitur nomina, ita eadem ab auctoribus variè applicantur, & ab his morbis speciem unam, & ab illis aliam designare perhibentur.

Lepra Græcorũ qualis sit affectus.

II. LEPRA igitur ἀπὸ τῶν λεπίδων à squammis denominata, *summus quidam psoræ seu scabiei gradus est*, Hanc *græcorum lepram* Arabes dicunt *Albaram nigram*; cujus species est *albaras alba*, quæ græcis *vitiligo*, *leuce*, aut *alphus* nuncupatur, uti colligere est ex avicenna, qui *sept. quart. tr. 2. c. 9.* sic ait: „ Albaras nigra est „ illud, quod etiam impetigo excoriativa dicitur, „ estque scabiositas accedens cuti, aspera, vehe„ mens, & facit squammas, sicut squammas pis„ cium, cum pruritu, atque est cum humore „ melancholico, & est de antecedentibus lepram.

Quomodo oriri & afficere soleat.

III. Lepra verò, seu potius IMPETIGO (quæ mitior tantum lepræ gradus, adeoquè curatu facilior est) ad hunc modum oriri & afficere solet: viz. in primis pustulæ rubræ modo singulares, modo plures simul congestæ, in variis corporis partibus, præsertim verò in brachiis & cruribus excitantur; quibus singulis (morbo in crescente) undiquè novæ adjunguntur, & brevi ejusmodi molecularum plures velut aggeries seu corymbi fiunt. Etenim papillæ juxta unamquamque

Digitized by Google

quamque ſtirpem, primò indies erumpentes, & latius uſquè ſerpentes, feſe in orbem diffundunt, adeoquè exanthematum aggeries quaſi ampliari faciunt. Cujuſquè harum ſuperficies aſpera, & nonnihil albida, ac ſquammoſa apparet, unde ſi ſcalpatur ſquammæ decidunt, & ichor ſæpè tenuis exudat, qui tamen mox exſiccatus in ſquammam cruſtaceam rurſus indureſcit.

Hi papilarum corymbi primò exigui, & pauciores exiſtunt; in brachio, aut crure, aliove membro ſingulari, tres forſan, aut quatuor ad magnitudinem denarii circiter apparent: poſtea verò, ſi morbus creſcere ſinatur, crebriores ubiquè erumpunt, quæ ſenſim augentur. Porrò in hoc ſtatu non ſiſtitur; ſed affectus, niſi per Medicinam cohibeatur, in pluribus uſquè locis ebulliens, & latius ubiquè ſerpens, tandem non ſolum integra membra ſed & totum corpus *vitiligine leprosâ* obducit: atque hanc impetiginis ſpeciem Arabes quidem *Lepram*, ſed græci ELEPHANTIASIN, noſtrates (*Lazarus*, *Melaatshend Grandſert*) apellant; eſtquè ſummus hic impetiginis gradus ex ſententia veterum plerumquè incurabilis.

Totam hujus mali idæam C. celſus *de Re medicæ lib. 3. cap. 2. 5.* ità deſcribit: Totum corpus „afficitur ità ut oſſa quoquè vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebroſque „tumores habet. Rubor harum paulatim in „atrum colorem convertitur. Summa cutis inæ„qualiter craſſa, tenuis, dura molliſque; quaſi „ſquammis quibuſdam exaſperatur, corpus emar„ceſcit, os, ſuræ, pedes intumeſcunt. Ubi „vetus morbus eſt, digiti in manibus, pedibuſ„que ſub tumore conduntur, febricula oritur, „quæ facilè tot malis obrutum hominem con„ſumit.

Digitized by Google

Morbi hujus differentiæ.

IV. Ex dictis itaque impetiginis differentiæ præcipuæ innotescunt; ac in primis juxtà morem ejus plus aut minus malignum, distinguitur, juxta quod propius ad lepræ aut scabiei naturam accedit, vel statu medio se habet. Insuper notare est, affectum hunc quandoque membra quædam singularia, uti brachia forsan, aut crura, corporis reliqui partibus intactis, infestare; interdum verò in iis omnibus simul incipere, & ubique sparsim papillas excitare.

Causæ.

V. Causa impetiginis materialis non est humor merè cutaneus, propter miasma ab extus susceptum aut alias ob occasiones depravatus, & à naturali ejus constitutione degener factus, quia nimirùm non tam facilè, uti in scabie, per contagium aliis communicatur, neque statim per totum corpus dispergitur. Sed pustulæ circà morbi initia primò erumpentes, indè procedere videntur, *quod in massa sanguinea concretiones quædam acido-salinæ contingant, quæ cum subigi, aut rursus dissolvi nequeant, in cutem pellantur.*

VI. Igitur affectus hujus causa continens seu conjuncta in eo consistit, quod in primis absque ullo cutis vitio, sanguis particulis salinis diversimodi status & indolis saturetur; atqui salia ista, præsertim ubi fixa & acida præpollent, se mutuò prehendant, adeoque in coagula quasi tartarea concrescant; quæ portiones in sanguinem protrusæ, papillarum eruptiones, quasi totidem morbi hujus nidos inchoënt; dein illæ sensim juxtà materiæ supplementa tum numero, tum magnitudine indies auctæ, morbi hujus, initium, incrementum, & vigorem, qui Græcis ἐλεφαντίασις dicitur producant.

VII. Sed multa occurrunt, quæ ad *humoris* istius *acido-salini* generationem faciunt. Enimverò nonnullis hic affectus hæreditarius est, ab impuro pa-

Digitized by Google

fentum vel avorum ſemine communicatus ; interdum contagio contrahitur : quandoque etiam ſponte proprioque vitio producitur : atque huc etiam facit frequentior uſus ciborum ſalinorum, acrium, & craſſorum, ſimulque immoderatior vinorum acidorum potatio : inſuper vulgaris obſervatio eſt, plures in hunc affectum à carnis porcinæ, & piſcium in primis cruſtaceorum comeſtione nimis crebra, aut aſſidua diſponi. Atque hujus rei inſtantia ſatis notabilis, eſt, quod potiſſimum in morbi hujus Prophylaxin ſeu præſervationem, cibus iſte ſub lege Moſaica interdicebatur & ſcribit Williſius *Pharmaceutices rational. part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 7. olim in Anglia Cornuvienſes, oram ferè undique maritimam incolentes, quatenus ex iis pauperiores ferè tantum piſcibus veſcerentur, affectibus leproſis plurimum obnoxios evaſiſſe ; in tantum ut propter horum ſublevamen, multa in ea regione noſocomia conderentur. Inſuper ex eſu carnium humanarum, præſertim leproſarum, hunc affectum quandoque excitatum fuiſſe, refert Sculterus *poſt armament. cheirurg. Obſerv.* 100.

VIII. Hinc affectus leproſi, etſi mortem aut imminens periculum rarò minantur, poſtquam tamen altius radices egerunt, curatio eorum perdifficilis aut nulla eſt. *Incipiens impetigo*, atque puſtulas earumque aggeries, in membro forſan uno aut altero pauciores excitans, curationem quandoque admittit. Sin verò morbus eo proceſſerit, ut papyllarum corymbi crebri ac lati toto in corpore ſparſim appareant, adeoque *vera* ſit *Græcorum lepra* rarò admodum curatur. Quod ſi morbus, invitis omnibus remediis, indies in pejus evectus, tandem in *Lepram confirmatam & inveteratam*, quæ & ἐλεφαντίασις dicitur, accreſcat, curationem planè reſpuit, & pronunciat C. Celſus, hanc curari non poſſe ; ideo- Prognoſis.

Digitized by Google

que ab ea abstinendum esse.

Scopi curativi.

IX. Quoniam igitur lepra confirmata aut inveterata, *hoc est*, Lepra Arabum, seu Elephantiasis Græcorum, nunquam curatur, & lepra Græcorum similiter vix ullam medelam admittit; quædam de levioris ejus speciei, *impetiginis* viz. *Therapeia* breviter adjungemus. Circà hanc duæ occurrunt primariæ indicationes, scilicet *Præservatoria*, quæ morbi causam, & *curatoria*, quæ symptoma, puta eruptionem pustulosam respicit. Ab indicatione præservatoria semper incipere debet medendi methodus, quæ morbi causas per remedia interna amovendas procurat, secùs namque exteriora ferè nunquam (uti in scabie) cum fructu adhibentur; sed præsciss intra sanguinem morbi radicibus, Æffloreſcentiæ cutaneæ citò emarcescunt.

X. Quapropter cum affectus hic recens fuerit, causæ evidentes & externæ amoveantur; mala victus ratio, & aëris insalubritas omni modo emendentur. Deìn respectu, causæ conjunctæ, duæ sunt præcipuæ medendi intentiones; nimirùm ut viscerum & humorum impuritates citò expurgentur: item ut sanguinis dyscrasiæ acidosalinæ in meliùs reducantur; propter quos fines, tum *cathartica* validiora, tum *medicamenta alterantia* (quæ in herpetis, ac præsertim scabiei curatione præscripsimus) præscribenda; nec non *phlebotomia* celebranda: & & quoniam pertinaciſſimus sit hic affectus apprimè convenit, usurpato validiore decocto sudorifero ex *Guajaco*, *Salsaparilla*, *&c.* in hypocausto quotidiè *sudores movere*; ut hoc modo, seu in luis venereæ curatione fieri solet, mali fomes penitiùs eradicetur. Eandem ob causam, remediis aliis nihil juvantibus, multi *salivationem*, quasi ultimum remedium, & tanto hosti unicè par, commendant.

XI. Interim ut sanguinis dyscrasiæ usque magis

Digitized by Google

corrigantur, pro potu ordinario sequens aut simile decoctum bibat patiens.

℞. *Rasuræ Ligni Guajaci* ℥iiij.
Rad. Salsaparillæ ℥iß. *chinæ* ℥ij.
Contusis affunde aquæ puræ ℔x. *stent in infusione calida, dein* S. A. *coq. addendo in fine coctionis,*
Liquiritiæ rasæ ʒvj
Fiat *colatura* ℔vj.

Similiter ad sanguinem alterandum præscribantur pulveres.

℞. *Salis prunellæ* ʒvj.
Floris salis armoniaci ziß.
Simul terantur in mortario, atque hujus pulveris circiter ℥ß. *detur bis terve in die, cum juscule vel suprascripto decocto.*

vel quotidiè bis exhibeatur pulvis ex *gr.* viij. *aut circiter, salis volatilis cornu cervini.*

valdè quoquè hîc laudatur *sal viperarum* similiter usurpatum.

Scribit Solenander *in conciliis medicinalibus*, se in lepræ curatione felici cum successu hoc usum esse: „ Accipit duas aut tres *Viperas*, aut si haberi ne- „ queant Viperæ, alios *Serpentes*, quos vivos dis- „ secat, atque multô adjectô *Hordeô* in aqua co- „ quit, donec hordeum crepitet. Hordeo isto, & „ ipsa etiam carne serpentum pullos alit gallinaceos, „ ac aliud nullum iis alimentum præbet; quo ubi „ aliquot dies nutriti fuerint, implumes evadunt, „ tandemque plumis rursùs vestiuntur.

„ Hac postmodùm carne, & Jusculo paulatim Æ- „ grum alit. Et usitatum fuit antiquis remedium ex „ viperis: viz. receperunt viperas, &, cauda ac „ capite abscissis, cuteque abjecta, coctas earum „ carnes Ægris comedendas dederunt.

XII. Quoad *Topica Remedia* cuti exteriori, ut squammosæ eruptiones & pustularum corymbi tol-

Digitized by Google

lantur, adhibenda; eadem fermè hîc conducunt *balnea artificialia*, *linimenta*, & alia medicamenta, quæ in herpetis ac scabiei curatione proposuimus: quæ tamen nisi *sanguinis aiathesis acido salina* ac *tartarea priùs* tollatur, ratò aut nunquam per se juvant.

CAPUT XXII.

De Strumis seu Scrofulis.

I. POst cutaneos affectus proximè de strumis agere gestit animus. Eæ Græcis χοίραδες Latinis *Strumæ* seu *Scrofulæ* dicuntur, quia frequenter scrofis, *hoc est*, suibus in collo fiunt vel à multiplici partu, quoniam sicut Sues multos edunt partus, sic in scrofulis ex una postmodùm plures fiunt.

Strumæ seu scrofulæ quid sint.

II. Sunt autem STRUMÆ vel SCROFULÆ *tumores in glandulis*; & quidem nihil aliud sunt, quam *glandulæ induratæ*, *seu scyrrhosæ*. Enimverò strumarum subjectum sunt glandulæ, infarctæ crasso, lento, viscido, ac tenaci humore, qui nonnunquam ità obdurescit & exsiccatur, ut gypseus ac calculosus evadat.

Strumarum differentiæ.

III. Sed plerumque in cervice strumæ consistunt atque differunt, quod aliæ aliis sint majores, vel quod aliæ aliis sint benigniores minùsque malignæ. Non malignæ judicantur strumæ, quæ sunt non admodum duræ, sine dolore & inflammatione, quæque circumscriptum habent tumorem rotundum, æqualem. Malignæ verò censentur, quæ ad scyrrhi duritiem accedunt inæquales sunt ac in flammationem conjunctam habent cum dolore pulsante.

Unde & quomodo fiant strumæ.

IV. Ortum habent strumæ ex *humore viscido*, *crasso*, *tenaci*, *ac gypseo Glandulis inhærente*, *easque opplente*. Humor hic ex sententia veterum medi-

Digitized by Google

corum, à sanguine pituitoso, crasso, viscido & tenaci producitur ac suppeditatur: quod tamen verisimile nobis non videtur, quoniam ex sanguine alterato hujusmodi tumores induratos produci posse non putamus; sed planè alterius naturæ.

V. Alii censent strumarum materiem esse *succum nervosum degenerem*, atquè nervis in membranarum interstitia deponi, ibidemque in tumorem glandulosum ac strumosum concrescere. Sed in tanta copia, per tam exiles nervorum funiculos, visibilem liquorem deferri, nondum liquidò constat.

VI. Hinc potius statuimus, continentem strumarum causam esse, *humorem lymphaticum in glandulis hisce naturaliter segregari solitum, qui à particulis viscidioribus ibidem detentus, adeoque stagnans, ab exuperante acrimonia acida in materiam strumosam facilè concrescit, glandulas infarcit, opplet.* Cæterum lympha ab acrimonia acida, simul cum glucinositate, ità in colli glandulis concreta materiem constituit viscidam, tenacem gypseam, & quandoque calculosam, quæ à præterlabente sanguine ac lympha indies augetur, sicque ingentis magnitudinis strumas sæpè producit. Equidem si ab humore præterlabente acriores & subtiliores particulæ strumarum materiæ admisceantur, quibus effervescentia ac dein exulceratio inchoatur, ulcus evadit ferocius & malignius carcinomatis conditionem retinens, tuncque *struma cancrodes* appellatur.

VII. Causæ vero antecedentes seu remotæ sunt, victus intemperantior, cibi crudi & crassi, undè & ætati puerili malum hoc familiarius esse pronunciavit modo Hippocrates. Accedit potus aquarum crudarum & nivalium: qua de causa, qui carinthiam & styriam, & alia ibidem loca altes versus incolunt, plerique strumis in gutture laborant. Langius *libr.* 1. *Epist. Med.* 43. & *libr.* 3. *Epistol.* 4.

Digitized by Google

in hydrargyrum, seu aquas ex montibus metallorum feracibus scaturientes, & mercurium in se continentes, causam hujus rei refert.

Diagnosis VIII. Signa strumarum diagnostica ex iis, quæ nunc diximus, satis manifesta sunt, modo consideremus, eas esse glandulas, induratas, vel tumores in glandulis, quæ asperæ arteriæ adjacent, scyrrhosos, duros, inæquales, indolentes. Porro non subito & confertim, sed paulatim generantur strumæ: etenim primo corripitur una glandula, quæ strumosa fit, hinc & aliæ similiter afficiuntur, in quibus itidem mollis excitatur tumo, qui deinceps induratur, donec tandem multæ glandulæ racematim quasi ex loco affecto dependent.

Prognosis IX. Quoad prognosin; strumæ tardioris ac difficilioris sunt curationis, in primis si plures fuerint, aut fixæ. Periculum minantur simulac dolorificæ evadunt, adeoque cancrosæ, aut si cum nervo, aut vena, vel arteria insigni conjunguntur. Insuper haud absque periculo curantur excisione, ob nervos recurrentes eò loci latentes, qui si læduntur vox perit, & animal protinus obmutescit, uti id aliquoties medicinæ studiosis in canibus demonstravimus.

Strumarum curatio. X. Sed verò strumæ ut curentur, observatâ rectâ ac legitimâ rerum nonnaturalium usurpatione, medicamenta intus sumenda, quæ antecedentem causam consumere queant, ne omittantur. Prosunt hîc *pharmaca cathartica*, quæ viscidos, glutinosos, tenacesque humores incidere, attenuare, ac evacuare apta sunt. v. gr.

℞. *Gummi galbani in aceto soluti*,
Aloës rosatæ an. ʒj.
Myrrhæ, assæ fœtidæ,
Vitrioli martis calcinati an. ʒj.
Trochisc. alhandal. ʒß.
Olei juniperi gutt. xv.

Digitized by Google

M. F. S. A. Massa, ex qua formentur pilulæ No. XLII. *quarum bis in hebdomada duas capiat ægrotans sub cœna.* Decocta ex *ligno guajaco, sassaphras. Radicibus salsaparillæ, chinæ liquiritiæ, &c.* quæ *blandè sudores provocant, & urinas ducunt*, admodum prodesse solent.

Insuper appropriata ab auctoribus Medicis proponuntur remedia; quæ à tota substantia strumas tollere dicuntur, & sensim imminuere.

Hercules Saxonia, & Joannes Prævotius tanquam longè certissimum ad scrofulas curandas remedium, pro secreto habuerunt hoc electuarium.

℞. *Lacertas, sive communes, sive virides,* No. 100. *abscissis capitibus & caudis, exemptisque intraneis infundantur in aceto Vini acerrimo per quatuor dies; dein exsiccentur, & macerentur in alio aceto, siccenturque iterum in umbra aut sole, ac in pulverem redigantur,*

quo facto,

℞ *Hujus pulveris* ℥j.
Mellis Despumati ℥iiij.
M. F. Electuarium, de quo per XXX. *aut* XL. *dies pueris quotidiè dentur* ℥ij. *adultis verò* ℥iiij. *vel* ℥vj

Plurimum quoquè laudantur *spongiæ recentes*, si vel decoquantur in cerevisia, pro potu, bis terve quotidiè sumendo: vel eædem calcinentur & pulverisentur, hujusque pulveris ʒß. mane ac vesperi exhibeatur. Alii alia specifica summoperè extollunt, quæ passim apud Rei Medicæ scriptores inveniuntur.

XI. Verumtamen ad continentem strumarum materiem tollendam, conducunt topica mitiora, emollientia, incidentia, attenuantia, digerentia: vitentur acria & erodentia, iis quippe strumarum

Quæ topica in scrofularum curatione

Digitized by Google

Fiat usurpanda, &c. materies excitatur, effervescit, hinc in cancrosum ulcus facilè eæ degenerant. Quidam sequens pro secreto habent,

℞. *Folia acetosæ viridia,*
Involvantur chartâ madidâ, & sub cineribus coquantur, eaque postmodum cum cineribus Per cribrum trajiciantur, pro cataplasmate.

Scultetus *post armament. Chirurg. observ.* 31. Oleum logadorum, seu de lacertis valdè extollit ad strumas absumendas, cujus hæc est descriptio,

℞. *Lacertas vivas virides q. v.*
Coq. in oleo communi, donec lacertæ comburantur, & oleum nigrescat. Colatura indatur vitro, & reponatur ad solem, usquè dum fæces subsideant, oleum clarescat, & fuscum colorem acquirat.

Barbette hoc laudat emplastrum,

℞. *Gummi galbani, ammoniaci, bdellii an.* ℥ß.
Pulv. pyrethri, baccarum lauri,
Sem. cumini, staphysagriæ an. ʒvj.
Stercoris caprilli ʒiij. *columbini* ʒj.
Axungiæ porci ℥iß. *olei camomillæ* ℥j.
Ceræ & picis q. s. M. F. S. A. emplastrum.

Insuper linimentum præscribit, quo scrofulæ bis tervè quotidiè inungantur, ac dein emplastrum superponatur.

℞. *Olei laurini, myrtini an.* ℥ß.
Unguenti martiati ℥j.
Argenti vivi floribus sulphuris extincti ʒvj.
M. F. S. A. Linimentum.

Vel inungatur scrofulis id, quod sequitur, & desuper ponatur *emplastrum de ranis cum simplici, vel duplici mercurio.*

℞. *Unguenti althææ compositi.* ℥j.
Olei laurini ʒß. *Philosopherum* ʒij.

Digitized by Google

Juniperini ʒj.
Spir. salis ammoniaci ʒj.
Misceantur exactè pro lini.

Ex *stercore* quoque *bubulo & caprillo*, *additis farinis resolventibus*, utiliter fit cataplasma.

Quantam porrò scrofulis laborantibus opem ferat *paronychia fo in rutatacco*, ostendit Boyle *tract. de utilitate Philosoph. experiem. part.* 1. *sect* 2. ubi refert, se vidisse juvenem, hoc morbo graviter afflictum, sine dolore, paucos intra dies vilissimæ hujus plantæ in cerevisia infusæ beneficio quam optimè curatum: sine ulla evacuatione sensibili humorem peccantem consumit, dolores sedat, tumores discutit, & ulcera sanat; ita ut ad hunc affectum oppugnandum mirabiles prorsus possideat virtutes.

XII. Atqui strumæ interdum non resolvuntur, verum suppurantur. Igitur id si contingat, ut struma in pus fuerit conversa, & aperta, applicandum hoc unguentum, quod aquapendens *oper. chirurg. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 29. & ex eodem scultetus *observ.* 31. summoperè commendant.

℞. *Olei laurini*,
Cerussæ pulverisatæ, & cum aquâ vitæ lavigatæ an. ʒj.
Aluminis rochæ ʒß. *salis comm.* ʒij.
M. S. A.

XIII. Quod si nec hoc modo strumæ curatio sperare liceat, eam per *sectionem* extrahendam esse multi volunt; sed quandoquidem nec suo caret periculo hæc operatio, non temerè eam instituendam censemus.

XIV. Alii strumas tollere conantur per imposita *caustica* & *exedentia medicamenta*; sed illa quum suâ acrimoniâ *diathesin cancrosam* facilè inducant, prudenter admodum iis utendum est, ne subitò ingravescat malum, & in ulcus cancrosum transeat.

Digitized by Google

Saltem istiusmodi erodentia si forent applicanda, sedulò tamen cavendum ab *arsenico*, id quod non solum strumas, sed & partes vicinas erodit, corrumpit. Videatur hildanus *cent. 6. observ.* 80

XV. Etiam fertur vulgo, regibus galliæ *solo attactu* sanandi strumas potestatem à summo numine concessam esse; atque hinc passim è vicinis & peregrinis locis strumis laborantes quotannis affluere solent, quibus manum rex imponit, & hæc verba gallico sermone profert: REX TE TANGIT, DEUS TE SANAT; atque, appositò crucis signo, ab uno & triuno DEO vim eam derivari publicè profitetur. De qua mirabili strumas sanandi vi, solis galliæ regibus concessa, peculiarem scripsit librum Andræas Laurentius, qui videatur.

CAPUT XXIII.

De *cancro*.

Cancer seu carcinoma quid sit.

I. CAncer, *carcinoma* Græcis, arabibus *sartam*. Quibusdam *cancrosus tumor* appellatur, ut inquit Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 26.* à similitudine, quam habet cum cancro fluviatili, quoniam circa malum hoc venæ turgescunt, & instar pedum cancri animalis intenduntur. Quidam vero hoc nomen desumptum asserunt, quod ab his, quas occupavit, partibus ægrè avellatur, veluti cancer, aquaticum animal, qui si quid pedunculis suis ceperit, id haud facile avellitur: insuper hujusmodi tumor cancri animalis colorem præ se fert, qui est lividus, atque cinereus. Igitur CANCER *tumor est rotundus, durus, inæqualis, coloris lividi aut subnigri, magnas & eminentes circumquaque habens venas dolore, caloreque gravis, aspectu teter & horribilis.*

Digitized by Google

II. Species verò hujus affectus duæ sunt: etenim cancer est vel non exulceratus, qui propriè *carcinoma* audit, vel exulceratus, isque *phagadæna* Græcis, germanis (*de Wolf*) appellatur. Quæ autem à cancro affici possunt, sunt omnes corporis partes, imprimis laxiores & fungosæ; quales sunt Mulierum Mammæ: unde Galenus *lib. 2. ad glauconem cap.* 10. sic ait: „cancrosi tumores in omnibus consueverunt fieri corporis partibus, sed præcipuè in „mammillis mulierum, quæcunque sua naturali „purgatione privantur. Et C. Celsus *lib. 5. cap* 28. „Id vitium fit maxime in superioribus partibus, „circa faciem, nares, aures, labia, Mammas Fœminarum, &c. Ejusdem species ac differentiæ, &c.

III. Quoad *cancri seu carcinomatis causas*; eas quique Auctores peculiares ac speciales huic Tumori explicando assignant. Galenus tanti Mali Causam putat *naturalem melancholiam*, quæ *sanguinis fex* ipsi dicitur *libr. de tumor. pr. nat. cap.* 12. vel *bilem atram redundantem*, quæ si in universo corpore existat superflua, *elephantiasin*; uni autem parti inhærens, *cancrum* excitari contendit. Galeno sese opponit Sennertus *prax. libr. 5. part. 1. cap.* 20. Cancri causam dicens *atram bilem*, *in quam humor melancholicus naturalis*, *vel bilis flava degeneravit*; illam quippe adhuc naturalem, & nondum adustam, potius Scyrrhum, quam cancrum producere affirmat: primam nihilominus occasionem cancroso tumori humorem melancholicum præbere posse non negat, atram interim & adustam accusans bilem in venis hærentem propter crassitiem suam, & per exiles meatus non penetrantem, quandoquè mitiorem, minus calidam & acrem, quandoquè calidiorem & acriorem, illam *cancrum non ulceratum*, hanc verò *Ulceratum* gignentem. Bilem atram, quam defédit hujus mali causam, humorem dicit cali- Cancri causæ.

Digitized by Google

dum & ſiccum, acrem, ſalſum, cuncta erodentem & corrumpentem; adeoquè non frigidum & ſiccum, *hoc eſt*, humorem verè melancholicum Avicenna *melancholiam aduſtam*; oribaſius *bilem fervefactam* Tagaultius *ſanguinis faxem*; Aquapendens, Paræus, & plures Alii, *bilem atram, imo omne id, quod ſanguinem aduſtum ac melancholicum generare aptum eſt*, accuſant. Atquè hæ præcipuæ ſunt antiquorum de cancri generatione ſententiæ. Veriſimilis equidem nos putamus, *proximam ſeu continentem cauſam eſſe humorem acido-ſalinum & auſterum, intra partem aggeſtum*; & quo humor his majorem vel minorem habet acrimoniam, hinc cancrum produci vel Ulceratum, vel non Ulceratum.

IV. *Auſterum* hoc eſt *acidum acre potentius ac valentius* accuſamus, ſive relictum ex alio tumore nimis tardè, negligenter, vel malè curato, quapropter facilè in *magis auſterum* deſinere poteſt, adeoque in ſcirrhum hinc in cancrum degenerare; qui tandem ob ſummam & pertinacem auſteritatem vim corroſivam auctus exulceratur, & planè incurabilis evadit.

V. Atqui *Cauſæ Antecedentes ſeu Remotæ variæ eſſe poſſunt*; omnes nimirum, quæ hujuſmodi acido-acrem & auſterum humorem quovis modo generare, & in corpore augere poſſunt: tales ſunt *Aer impenſè calidus; vitioſi admodum, & craſſi cibi & potus*, ut Allium, cæpa, legumina, carnes ſalitæ & fumo ſiccatæ, vina acida; *Vigiliæ immodicæ; animi paſſiones vehementes*, præſertim *ira*. Quibus accedunt *viſcerum quorundam Obſtructio*; *menſium, hæmorrhoidum, aliarumve conſuetarum evacuationum Suppreſſio*.

Signa hujus affectus diagnoſtici.

VI. Cancer porro in ſuo origine, cognitu quidem difficillis eſt, at curatu facilis: ſed in progreſſu facilè cognoſcitur, difficilè autem curatur. Itaque in principio vix, niſi à ſagaci & erudito Me-

Digitized by Google

dico vel cheirurgo dignoscitur : nam, ut inquit galenus *Meth. Med. l. 14. c. 9.* quum primum oriatur, accidentia habet mitissima, & maximè confusa; tuncque parvus est, & dolens tumor, qui postmodum auctus majorem in molem acrescit, non decrescente interim dolore, insuper durus est, tactui renitens, lividus, plumbeus, inæqualis, venis circumcirca turgidis quasi inflammatus? adhæc si talis tumor sit in parte suspecta, in mammis puta, labiis, naribus, lingua, aut pudendis, de cancri præsentia vix amplius dubitatur. Dein à scyrrho distinguitur imprimis *dolore* : etenim verus scyrrhus indolens est, cancer autem continuo dolorem facit; atque tum scyrrhum in cancrum degenerare conjicimus, quum incipiat acriter dolere. Verum cancer exulceratus cognoscitur facilè, ex ulceris fœditate, labiis crasis, tumidis, inversis, lividis, inæqualibus, erosis, sanies seu potius ichorem fœtidum & copiosum eructantibus, acriter dolentibus, atquè sanguinem frequenter fundentibus.

Prognostica.

VII. Cæterum cancer, sive sit non ulceratus, sive sit ulceratus, gravis est morbus, atque pernicioſum malum, tum ratione symptomatum, tum causarum, difficilioriſque curationis? hic tamen illô longè gravior est affectus, quod confirmat hippocrates *sect. 6. aphor. 38.* „ Quibus cancri oculti „ adsunt, non curare melius; curati enim citius „ intereunt, non curati longiori tempore vivunt. Ratio est; quod cancri non exulcerati, impositis medicamentis facilè exarcebari, hinc exulcerari queant.

Incipientem cancrum se curasse affirmat Galenus *lib. 2. ad glauconem.* Sed quum in molem ereverit insignem, citrà Cheirurgiam non esse sanabilem; hujus quippe mali tanta ferocitas, tantaque sævitia, ut vehementissima quæquè respuat medicamenta;

Digitized by Google

quin illis irritetur potius, & excandescat, quam ulla ratione curetur: hinc detestabile nomen, *noli me tangere* sortitum est malum hoc, quod intactum relinquendum sit, & curâ tantum palliativâ curandum.

Medendi methodus.

VIII. Ad *curationem* itaque *hujus affectus* quod attinet abstineat in primis ægrotans ab iis omnibus, quæ humorem acido-acrem, & austerum generare, atque in corpore augere possunt. Dein ittiusmodi humor, antecedens cancri causa, è corpore educatur *purgantibus medicamentis* per intervalla exhibitis. Interim *phlebotomia*, si nihil contraindicet quoque celebretur. Præterea in mulieribus menstrua, si sint suppressa, provocanda. Hæmorrhoidum fluxus, quibus fuit familiaris, promovendus: nec non aliæ evacuationes suppressæ excitandæ; viscerum obstructiones reserandæ, ut sic acidi & austeri generatio, quantum quidem possibile, prohibeatur.

Cura cancri chirurgica qualis esse debeat.

IX. At verò *cura cancri cheirurgica* duplex est. Una fucata, seu palliativa. Altera vera, seu legitima. *Cura palliativa* topica tantum applicat medicamenta ad inhibendum mali impetum. Sed *legitima* consistit in extrahendo, tollendoque omni eo, quidquid est cancrosum in parte affecta. Atqui scitè hic animadvertit hildanus *cent 6. observ.* 81. nullum ferè affectum hodie id cheirurgia occurrere, in quo majores committuntur errores, quam in curando cancro. Dum enim vident tumorem durissimum, curationem adhibere volunt methodicam, ideoque medicamenta imponunt calida, humida, emollientia; & quam periculosa hæc sint in curando hoc morbo, quotidiana docet experientia, & exemplis confirmat hildanus *cent.* 1. *obser.* 80. Enimvero pharmaca emollientia atque pus moventia si imponantur, magis utique exitant, & acriorem reddunt humorem cancrosum, ut tandem omnia exulceret, erodatque. Et quoniam vicinæ partes ab emollientibus admotis

Digitized by Google

admotis relaxantur simul, atque dilatantur, facilè deinde dispergitur, vicinasque partes invadit illa acrimonia; quæ est fermenti adinstar, quod sanguinem; lympham, alioſque humores inficit, & sibit similes, *hoc est*, acres ac austeros reddit: quapropter Hipocrates merito hocce suum decretum posteris reliquit *aphor. 38. sect. 6. quibus cancri occulti nascuntur, non curare præstat*: quod intelligendum de curatione methodica, quæ contrariis perficitur; nequaquam de sectione vel ustione; quæ sola, ut Galenus testatur, sunt cancri remedia. *Curati enim subito intereunt*, scilicet per imposita emollientia, quæ protinus exasperare solent cancrosum tumorem *non curati vero diutius vivunt*; nimirum curationem methodicâ, per topica emollientia atque pus moventia; sed institutâ solummodo palliatione.

Hippocratis & Galeni sententia circa cancri curationem.

X. Igitur occulti cancri, si penitus exscindi nequeant, non methodicâ, sed palliativâ tantum curâ sunt tractandi, ne exulcerentur. Cancer namque occultus latet sæpe diu sine offensa: sed irritatus exedit cutem; eâque sive sponte, sive curantis imperitiâ, adapertâ, coërcetur deinceps nullis repagulis? sed instar sevientis feræ, depascitur quidquid obvium. Et quo liberius exhalet vapor illi inclusus; eo impensius quoque affluit humor, tumorem adauctus. Ad cujus intima siquidem penetret circumfluus aër à tunicis antea exclusus, insequitur illicò & major putredo, & uberior partis affectæ luxuries. Blanda quippe remedia ut nihil prosunt, sic nocent summè acria: & quò plus puris, eò penitius descendit virus; seca itaque mature, vel blandire prudenter. Et si lubet, audi C. Celsum, qui *lib. 5. cap.* 28. hæc habet: „ plerique nullam vim adhibendo; qua tollere id malum tentent; sed imponendo tantum lenia medicamenta,

Cancri cura Palliativa.

Digitized by Google

„ quæ quasi blandiuntur; quo minus ad ultimam „ senectutem perveniant, non prohibentur. Ita scri- „ bit Hildanus *cent. 3. observ.* 86. Matronam cancro occulto in dextra mamma per quadraginta annos laborasse, absque dolore, & ullo incommodo. Et refert amplis. *tulpius observ. med. lib. 1. cap. 47.* quandam in sinistris temporibus quinquaginta amplius annos durum ac inæquale carcinoma, sine ullo ulcere, ullave gravi noxa tulisse. Cui post tot annos exulceranti, cum levamine imponebatur hoc ceratum.

℞. *Olei rosacei* ℥ij. *ceræ albæ.* ℥vj.
Plumbi usti ac loti ℥ß.
Oleum cum cera liquefiat, & addito Plumbo agitentur sex horas in mortario plumbeo, ut fiat ceratum.

Ejus loco & hoc applicari potest,

℞. *Olei rosacei* ℥viij.
Teratur in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo, donec crassesca, & plumbi colorem acquirat; tunc admiscentur exactè cerussa, Litharg yri an. ℥j. *& detur usui.*

Enimverò ulceratum cancrum, etsi non attingendum plurimi existimant, cum tamen inhumanum sit, ægrum etiam tali morbo laborantem deserere, palliativâ cura mitigare conemur; qua saltem detur opera, ne phagadæna facilè proserpat, dolorquè ut leniatur atquè minore cum molestia vitam ducere possit patiens. Hoc efficiunt medicamenta, quæ imposita moderatè siccant atque acidum & austerum imbibunt, edulcorant. Talia sunt, quæ nunc proposuimus. Et scribit insuper ampliss. Tulpius, *loco citato*, se feliciter cancris ulceratis admoveri vidisse *pulverem concinnatum ex plumbo liquefacto, cum mercurio vivo*; quod medicamentum *amalgama mercurii* dici consuevit.

Digitized by Google

Aquapendens, chalmetæus, & alii pro cancro sive non ulcerato, sive ulcerato, miris laudibus extollunt *unguentum de ranis viridibus*, cujus hæc est descriptio.

℞. *Ranas virides, in aquis puris degentes; eas conjicito in vas fictile vitreatum, multisque exiguis foraminibus in fundo pertusum, illarumque ora butiro impleto; hinc vas, ne quid exhalet, lutô diligenter oblinito, cui alterum effossâ terrâ conclusum supponito, ignemque in ambitu accendito, dein oleum, seu liquorem stillantem colligito, atque cum ranarum pulvere exactè misceto, pro linimento.*

Sunt, qui *aquam cancrorum fluviatilium* hic commendant.

Alii *oleum è cochleis destillatum* laudant.

Nonnulli *aquam ranarum* miris modis prodesse scribunt, cujus descriptio apud Hildanum *lib. de gangræna & sphacelo cap.* 19. ita habetur.

℞. *Ranas aquatiles, easque suspende in eucurbita vitrea, ita tamen, ne fundum attingant, neque comburantur, & aqua extillans gravem odorem acquirat: accenso igne aquam in arena clementer extrahe, ac ad usum reserva. Interim ne removeatur ignis, priusquam omnino exsiccatæ fuerint ranæ, nec ulla amplius extillet aqua.*

Scultetus *post armament. cheir. observ.* 56. ad cancrum occultum & ulceratum laudat *ceratum oxycæum*, & *linimentum simplex, in mortario plumbeo agitatum*; quorum descriptiones tradit *observ.* 52.

℞. *Olei communis veteris* ℔j.
Aceti vini.
Lithargyri an. ℔ ß.
Misceantur ad ignem lentum, donec cerati acquirant consistentiam.

Ceratum Oxycæum

Digitized by Google

Linimentum Simplex.

℞. *Succi solatri*,
Olei rosacei an. ℥xx.
Coq. s. a. ad consumptionem succi, tunc add.
Cerussæ, lithargyri an. ℔j.
M. S. A. *in formam unguenti.*

Ex his nunc sequens componit.

℞. *Cerati oxylai, linimenti simplicis an.* ℥j.
Olei myrtini ʒij.
Misceantur diu in mortario plumbeo, pro linimento.

Cancro occulto imponi quoque potest hoc emplastrum.

℞. *Emplastri diapompholigos* ʒj.
Plumbi usti ʒiß.
Argenti vivi extincti ʒß.
Misceantur exactè, & fiat in corio emplastrum.

Vult paræus, ut cancro non ulcerato imponatur *lamina plumbea argento vivo illita.*

Refert Petrus de marchetis *observ. cheirurg.* 29 se cancrum nasi exulceratum curasse *unguento albo camphorato, in mortario plumbeo ducto*, nullo alio adhibito remedio. Atque sic horum, similiumve medicamentorum usu cancer non ulceratus, atque incipiens aliquando curatur: ulceratus vero ad multos annos eodem in statu servatur.

Cura cancri Legitima.

XI. Equidem Cheirurgia omnibus palmam præripit ad eradicandum malum cancrosum; eaque hujusmodi tumorem, tum in principio, tum in augmento, exscindere, ac sectione peritâ penitus auferre potis est. Hinc avicenna cancros minores radicitus exscindit, crassioremque sanguinem, factâ sectione, circumquaquè exprimit, locum postea actuali cauterio inurens, ut mali cancrosi reliquiæ porrò absumantur membrum corroboretur, & hæmorrhagia sistatur.

Igitur detestabile hocce malum si manum Chei-

Digitized by Google

turgi efflagitet; ac subire potius vitæ periculum, quam miserè semper vexari, consultum ducat ægrotans; affectus erit considerandus, ejusdemque locus, num commodè sectio institui possit. Tunc enim comprehendendus totus. Tumor, qui latô & acutissimo cultrô quam celerrimè & promptissimè fieri poterit, radicitus amputandus est. Non autem dissecta vasa sunt adurenda; sed imponenda potius medicamenta sanguinem cohibentia.

Sed cancrum sectione etiamsi benè curatum, anno aut biennio post, in loco viciniore sæpius reverti, praxis docet quotidiana. Nihilominus tamen non semper contingit, ut idem malum revertatur; atqui curatus aliquando manet hic morbus. Videantur C. Celsus *libr. 5. cap. 28.* & Hildanus *cent. 3. observ. 87.*

XII. Nonnulli cancrum extirpandum censent admotis causticis: sed in re ejusmodi, quæ acria medicamenta repellit, iisque irritatur, ea curandi ratio dubia est, & periculosa, uti scite ait Pigræus *prax, cheirurg. libr. 1. cap. 22.* Et Hildanus *cent. epistol. 40.* hac de re „ sic scribit: extirpatio quæ „ fit cauterio actuali, vel medicamentis escharo„ticis, sive quovis simili medicamento erodente, „ mihi suspecta est, quia experientia docuit, can„crosa ulcera hujusmodi remediis exacerbari, at„que pejora fieri.

Sectionem verò, & manum Cheirurgi si renuant ægri, vel non admittat tumor ob profunditatem, vel exulcerationem; *cura* tantum *palliativa* ob vitam feliciorem, & ne malum, ulterius serpendo, partesque erodendo; majorem inferat dolorem, instituatur; de qua abunde nunc dictum est.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

De Polypo.

Polypus quid sit.

I. POlypus est excrescentia narium carnosa, ab Osse ethmoide fere orta; viz. ex carne illa laxa & fungosa, quæ nares intra atitat, & spongiosa narium ossa opplet. Dicitur autem *polypus*, ut ait Galenus, à carne polypi marini, quam substantiæ suæ proprietate refert. Etenim mollis & lubrica hæc caro est, coloremque, ut piscis ille, alium atque alium habet, pro natura humoris, è quo gignitur. Et, quod Paulus Ægineta addit *libr. 6. cap. 25.* sicut Polypus venatorum manus pedibus suis præhendit; ità hæc excrescentia radice, tanquam pediculo uno, vel pluribus, sese ità naribus affigit, ut ægro & respirationis, & loquelæ expeditum usum adimat. C. celsus *libr. 6. cap. 8.* Polypum eleganter ità describit: „ Caruncula est modo alba modo subrubra, quæ „ narium ossi inhæret, & modo ad labra pen„ dens, narem implet, modo retro per foramen „ id, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, „ adeo increscit, ut post uvam conspici possit, „ strangulatque hominem, maximè austro vel „ euro flante; ferequè mollis est rarò dura: eaquè „ magis spiritum impedit & nares dilatat, quæ „ ferè καρκινώδης est, itaquè attingi debet.

Polypi definitio, & modus fiendi exponitur.

II. Igitur POLYPUS est *caruncula mollis in naribus orta, ex radicibus plerumquè tenuibus pendens, & in latum sese pandens, & nunc è naribus propendens, vel eas certè implens, nunc etiam in palatum descendens.* Enimverò narium intra cavitatem polypus, *hoc est*, Fungosa hæc caro, è spongiosis narium tubulis enascitur, tum loque-

Digitized by Google

læ, tum respirationis difficultatem inducens; quotiescumquè è cerebro per ossa cribriformia in narium interiora transmittitur viscibus, glutinosus, simulquè acris humor; qui fungosam hanc carnem implet, erodit, & ultrà excrescere facit. Insuper ex Ulceribus malè curatis: item ex Casu, similive de causa, qua hæc narium caro conteritur, vel aliter læditur malum hoc frequenter oriri solet.

III. Sed duplex vulgò censetur polypus. Vel enim turundæ formam refert, *Sarcoma* dici consuevit: vel ramulis variis ad oris interiora, aut nasi exteriora sese extendit, atque *polypus* propriè vocatur.

IV. Cæterum polypus, si mollis fuerit, & albicans, & doloris expers, facilius curationem admittit: difficilius verò si rubicundior: nunquam, si lividus nigricans aut fœtidus; utpote cancro cognatus. Quantò quoquè profundius hæret polypus tantò est periculosior. Prognosis.

V. Curandi autem polypum ratio satis difficilis est. Ejus incremento per initia, quantum fieri potest, obsisti debet. Sed factus, confirmatusquè polypus (sive is exulceratus sit, sive non) auferri & exstirpati oportet, si ipsius radix seu pedunculus comprehendi instrumento conveniente queat. Polipi cura.

VI. Igitur tentetur primum, possitne Incipiens polypus per admota medicamenta tolli. Quem in finem varia proponuntur: mitiora, viz. quæ partim adstringunt, partim exsiccant; vel erodentia seu escharotica. Inter hæc meritò laudatur *pulvis vitrioli calcinati*, Chymici *caput mortuum* seu *colchotar. vitrioli* vocant.

Scribit pigræus *prax. cheirurg. libr. 5. de Ulceribus cap. 9.* præstantissimum ad tollendam carnis hujus superfluitatem remedium esse *pulverem Sabinæ*: quod si tertia pars *ocræ* illi admisceatur, majoris efficaciæ fore putat. Quibus remediis sanè corruga-

Digitized by Google

tur magis, quam aperitur. polypi tunica. Nec penetrat hic pulvis per angustiam prope nasi finem, ab excrescentia hac obturatam,

Barbette hosce proponit pulveres,

℞. *Cort. granatorum, flor. balaustiæ an* ʒj.
Cademiæ fossilis ʒij. *antimonii crudi, croci martis an.* ʒß.
Mastichis, Myrræ, lythargiri, lapidis magnetis an. ʒj *M.* F. *Pulvis subtilis,*

℞ *Aluminis Usti, balaustiæ, boli armeni an.* ʒij. *M.* F. *Pulvis subtilis.*

℞. *Vitrioli* ʒß. *gallarum, aluminis, cort. Granatorum an.* ʒij.
Myrrhæ Rubræ, aristolochiæ ustæ an. ʒj. *M.* F. *Pulvis subtilis.*

Idem testatur, se polypos radicitus extirpatos vidisse *aquâ cui incoctus. mercurius sublimatus.*

Haud secus Joannes de vigo *Cheirurg. lib.* 2. *cap.* 5. laudat *linteum discerptum cum mercurio sublimato aquæ* sequenti modo *incoctum, ac iterum exsiccatum*; quod dein *aqua plantaginis* rursus madefactum polypo admoveatur, & bis quotidie renovetur.

℞. *Florum discerptorum panni linei veteris* ʒij. *Medullæ panis albi* ʒiij. *mercurii sublimati* ʒß.
Aquæ rosarum, plantaginis an. ℔j.
Coq. in vase stanneo ad consumptionem dimidii, dein fortiter linteum carptum exprimatur, & in furno siccetur.

Platerus *observ. med. libr.* 3. acriora adhuc proponit remedia.

Atque bis, terve de die cum penicillo polypo admovet *oleum vitrioli*, vel hunc liquorem,

℞. *Olei vitrioli* ℈j. *aluminis usti* ʒj.
Aquæ plantaginis ʒj. *Misceantur.*

Vel

Digitized by Google

℞. *Mercurii ſublimati* ʒj.
Coq. in aquæ fabrorum ℥iij. *ad conſumptionem medietatis, add. olei vitrioli* ℈ß. *aluminis uſti* ʒj. *miſceantur.*

Dein unguentum hoc cum petia naribus intrudit, & Polypo admovet,

℞. *Unguenti ægyptiaci* ℥ß.
pulv. gallarum, cort. granatorum an. ʒß.
Olei vitrioli ℈j. *miſceantur.*

Sed rarum valdè eſt, medicamentis polypum tollere. Et vere docet Julius Cæſar Arantius *lib. de tumor. pr. nat. cap.* 21. admota medicamenta pro curando Polypo, plus moleſtiæ quam utilitatis adferre. Ad hæc cauſtica, & eſcharotica, fungoſam hanc carnem profundius erodendo, diatheſin cancroſam facilè accerſunt. Idem eſto judicium de *cauterio actuali*: nihilominus tamen obſtructionem utriuſque naris à Polypo Spurio, ejus ope feliciter ſe ſanaſſe, refert Petrus de Marchetis *obſerv. cheirurg.* 27.

VII. Si ergo mitiora adſtringentia, & exſiccantia pro polypo curando nihil adferant emolumenti ad Cheirurgiam ſeu manualem operationem deveniendum, quæ genuina & certiſſima eſt polypum curandi ratio. Atque in hac polypi per cheirurgiam cura monet C. Celſus *lib.* 7. *cap.* 10. oportere ſurſum per nares immitere ferramentum acutum, in modum ſpathæ factum, & ipſum Polypum ab oſſe liberare, adhibitâ diligentiâ, ne ſubjecta cartilago lædatur, quia difficilis ſuccedit curatio. Ubi Polypus abſciſſus eſt, unco ferreo extrahendus; tum implicitum linamentum, ad ſupprimendum ſanguinem, imponendum: hinc purgandum; & denique pinna impoſitâ medicamento cicatricem inducente obductâ, ſanandum.

Paulus Ægineta vult, ut, Ægro collocato in ſedili adverſus ſolis radios, Cheirurgus ſiniſtrâ ma-

Digitized by Google

nu narem aperiat, & dilatet; dextrâ verò ſpatulâ ad id factâ, in myrtacei folii modum acutâ, orbiculatim polypum præcidat; illic acie ferramenti impoſitâ, ubi naribus coaluit poſtea inſtrumento in oppoſitum converſo, ipſius manubriolo ſucciſam carunculam foras eximat: idque toties efficiat ſecando, & eximendo, quouſque totus polypus fuerit exemptus. Indicat vero totum eſſe exemptum polypum, ſi reſpiratio per nares libera, & ſine obſtaculo recurrat, ſiquè vox ſeu loquela concinna ſequatur.

Aquapendens novum proponit inſtrumentum, quo utitur pro extrahendo polypo; id quod apprehendit, ſimulque præcidit, & foras trahit. Sed ineptum huic operationi cenſemus hoc inſtrumentum; quippe quod radicitus polypum non evellit, ſed radicem propè fungoſam hanc carnem exſcindit; quæ idcircò velocius poſtmodum ſolet repullulare.

Verum ſumendum potius ferramentum, vulgò *roſtrum corvinum* dictum, nec quicquam ſecandum; ſed ejus ope polypus firmiter apprehendendus, atque hinc inde vertendus, ut illius radix frangatur, & integra evellatur caro fungoſa.

Quod ſi poſt polypi extractionem, fluxio ſanguinis ſupervenerit, illi medendum eſt, ut cæteris ſanguinis ex naſo fluxionibus: medicamentis viz. Adſtringentibus naribus impoſitis.

Exemplum polypi admirandi, utramque narem cum ſpiritu difficili, & continuò ſuffocationis metu obturantis atquè in faucibus deindè extracti, videri poteſt apud ampliſſimum tulpium *obſerv. medicar. lib. 1. cap. 26.* Inſuper de Polypo, ejuſdemque curationis modo, conſulatur Jobus MeeKeranus *Obſerv. Cheirurg. cap. 10. 11. 13.*

Digitized by Google

CAPUT XXV.

De Epulide & Parulide.

I. QUemadmodum laxa, fungosaque intra nares excrescens caro *Polypus*, ita *hypersarcosis* seu *carnea gingivarum circum dentes excrescentia* EPULIS dicitur. Hæc vehementer aliquandò increscit, atquè augetur, ut adeo & loquendi, & manducandi adimat facultatem viscidam, tenacem, ac fœtidam effundit salivam, & non rarò in cancrum quasi degenerat. Epulis.

II. Solet verò affectus hic ex *scorbuto* semper oriri. Enimverò sanguis labe scorbuticâ infectus, recrementa sua acri-salina tum per arteriolas, tum per vascula salivalia, in gingivas quoquè deponit; quæ laxam, fungosamque illarum carnem erodunt, hinc & corrumpunt sæpè, ut dentes stabilire nequeat; aliquandò vero erosam gingivarum carnem ultrà excrescere faciunt, adeoque *epulidem* causant: quæ idcirco in norvegia, aliisque septentrionalibus regionibus, ubi scorbutus Endemius est morbus, admodum frequenter contingit. Unde oriatur.

III. Refert Paræus *cheirurg. lib. 7. cap. 4.* sæpius se observasse, carnosam hujusmodi excrescentiam in cartilagineam, & osseam vetustate induruisse: quapropter quam celerrimè fieri poterit, *curationem hujus* aggrediendam esse suadet. Igitur exilis quum sit epulis, tentanda ejus per medicamenta curatio, atque universalibus, ut in scorbuti cura fieri solet, haud neglectis, topica adhibenda sunt exsiccantia & astringentia; viz. *Aluminosa*, aliaque *antiscorbutica* v. gr. Curandi Ratio.

℞. *Aq. Plantaginis, salviæ, antiscorbuticæ, Vini albi gallici an.* ℥iß.

Digitized by Google

Aluminis crudi pulver. ʒij.
Aquæ cinamomi ʒiij.
Misceantur pro oris collutione.

Sed medicamentis si tolli nequeat hic gingivarum tumor, quam citissimè filiô, vel cultrô abscindatur, ne præter modum induretur, vel in cancrum abeat. Ubi verò abscissa est epulis, ægrotans frequenter os colluat, atquè gingivas fricet præscriptâ nunc oris collutione, vel simili.

Parulis. IV. Nascitur quoque in palato tumor ex viscosa & acri materie, quæ os inter & membranam hærens, illud non rarò putrefacit, atque corrumpit, hinc ulcus grave excitat. Tumor hic PARULIS dici consuevit, atque contingit ex *saliva Præter modum acri & salsa, simulque glutinosa*; quæ per exiles palati ductus prodiens, & ob suam ipsius visciditatem membranæ poros transcolari nequiens, adeoquè inter os & membranam subsistens, tumorem hunc producit. Qui ut *curetur*, discissa *pinguis & arida* apponatur; hinc quamprimum, non expectatâ suppuratione, sectione latâ & profunda, ad os palati usquè incidatur, & acris, viscidus, nec non subcruentus humor exactè exprimatur: secus enim subjectum os facillimè corrumpitur, oriturque fistulosum, ægreque sanabile ulcus. Facta vero sectione, evacuatoque concluso humore, absque medicamentorum ope, sola *saliva* aperturam sanat.

CAPUT XXVI.

De Ranula.

Ranula quid sit. I. NOnnunquam sub lingua, prope ejus vinculum seu ligamentum tumor oritur, Græcis βάτραχος. Latinis *ranula* dictus, quod hoc sublinguali tumore correpti coaxando magis, quam lo-

Digitized by Google

quendo mentis sensum enunciare videantur. Est autem RANULA *tumor mollis, laxus, muci plenus, sub lingua prope ejus frenulum subsistens, atquè loquela libertatem adimens.* Enimverò tumore hoc aperto mucus prodit, ovi albumini colore & consistentiâ non multum absimilis. Et scribit aquapendens, se aliquando hujusmodi tumorem vidisse adeo ingentem, ut omnes fermè oris partes labefactarit. Equidem errat ille, quando meliceridis speciem hunc tumorem esse putat; quum non eadem in hoc, atquè in meliceride contineatur materies.

Unde oriatur.

II. Circa *causam verò hujus tumoris* veteres omnes, cum Medici tum Cheirurgi, quibus latuit vera organorum salivialium structura, perperam ratiocinantur, sanguinem accusantes crassum & terrestrem; seu, ut loquuntur, humorem tartareum in venis sub lingua coacervatum; aut piruitam, lenumquè humorem è cerebro eò stillantem, partiusquè hisce infixum. Sed, repertis ac palam ostensis organis salivæ generationi & excretioni dicatis, potius dicamus, *oriri ranulam à saliva nimis acri simulque viscidiore*, quæ per inferiores ductus salivales erumpens, atque ob suam ipsius visciditatem extrema ipsorum orificia liberè permeare nequiens, hinc sub lingua propè ejus ligamentum substens, hunc ibidem tumorem, ingenti cum dolore, excitat.

Medendi methodus.

III. Sed ut tollatur sublingualis hic tumor, multi laudant pulverem, quo identidem ranula fricetur. ex gr.

℞. *Pyrethri, Zinziberis an.* ʒj.
Salis communis, gemmei an. ℈ij.
Rad. Iridis, hermodactyli an. ʒß.
Origani, calamenthæ, mastichis an. ℈j.
M. F. Pulvis.

Digitized by Google

Ex *iisdem in aqua & vino decoctis* oris collutio fieri potest.

Avicenna extollit *origanum*, *cortices granatorum*, & *sal*, quibus mixtis & pulverisatis ranula fricetur. Verumtamen hisce, aliisque medicamentis, quæ passim apud auctores describuntur, raro admodum curatur ranula, vixque ea sanatur, nisi Cheirurgiâ.

Paræus *Cheirurg. lib. 7. cap. 5.* Vigierius *cheirurg. libr. 1. cap. 36.* & alii, tumorem hunc sublingualem aperiendum censent *actuali cauterio*; hinc materiem intus contentam educendam, ne malum revertatur.

Alii *Acum per tumorem transmittunt, atquè vulnus deinceps cum Scalpello dilatant*, ut concluſus humor effluat; quo effuso, cum aqua Mulsa gargarisare jubent, quam & per siphunculum in apertum tumorem immittunt, ac ulcus tandem legitimè claudunt. Sed quoniam contentus in hoc tumore humor nimis viscidus est, & tenax, quam ut per exiguam hanc aperturam possit evacuari; ideo cum Fernelio, multisque aliis, *legitimam hujus tumoris curationem* esse puto, ut *ranula scalpello utrinque aperiatur*, & quidem sectione latâ & profundâ, quæ citrà periculum fieri potest: ubi verò humor effluxerit, & ultrà expressus sit, sæpius os colluatur *hordei decocto cum melle rosaceo, tantillo addito salis prunellæ*, donec nihil amplius humoris in loco affecto reliquum sit.

Nigra auten, vel fusca, & dura ranula, quæ cancrosa est, attingi non debet.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De Aneurismate.

I. ANEURISMA (quod Barbaris depravatâ voce *Emboriſma*, & *mater Sanguinis* dicitur) eſt *arteria dilatatio*: eu potius, *tumor tactu mollis, pulſans, digitis cedens ab arteria tunica interioris quidem apertione, exterioris verò dilatatione ortum habens.* Vel dicatur, *tumor præter naturam, pulſans, indolens, digitis facilè cedens, at iterum illicò ſeſe extendens, ortus ab interna arteria tunica dehiſcente, cæteris dilatatis.* Enimverò arteriæ tubus quum quatuor diſtinctis confletur tunicis, uti nunc palam eſt; viz. *intimâ nerveâ, ſecundâ muſculari, tertiâ glandulosâ*, & *extimâ vaſculosâ*, ſi contingat internam hanc tunicam nerveam rumpi, ſanguis in tunicam muſcularem, & ei proximas illabitur, quæ propter teneritudinem mox extenduntur, hinc fit tumor ille pulſans, qui *aneuriſma* vocatur. Aneuriſma quid ſit, & quomodo fiat.

II. Hæc verò interioris arteriæ tunicæ apertio, & exteriorum dilatatio, quæ *proxima* eſt *aneuriſmatis cauſa*, originem ſuam debet ſanguinis impetui vehementi; externæ etiam cuilibet vehementiæ arteriam nimium diſtendenti, nonnunquam & Cheirurgi imperitiei, arteriam pro vena, vel ſimul cum vena ſecantis; nec non vulneri arteriæ quovis modo inflicto, tunc enim exterioribus tunicis, utpote mollibus, iterum coaleſcentibus: atqui internâ tunicâ duriore propter pulſationem continuam manente, apertâ, per aperturam ſanguis erumpit, qui exteriores ſimul cum ſuperſtrata cute extendens, pulſatilem hujuſmodi tumorem excitat.

III. Attamen contra hanc ſententiam plures ſeſe opponunt, contendentes aneuriſma non fieri ex arteriæ interna tunica dehiſcente, & exterioribus Objectio.

Digitized by Google

dilatis ; sed ex integro arteriæ canali disrupto, hinc cruore musculos inter, aliasve partes effuso, qui ex viscidioribus sui particulis sibi ipsi pelliculam generat, in qua continetur. Audi quæso, Cl. van Horne, qui *Microtechnes sect. 2. Part. 1. §. 35.* hæc habet: „ Nunquam sanè potui concipere, quomodo rupta internâ & crassâ arteriæ tunicâ, integrâ „ remanente externâ tenuissimâ & aranearum telis „ simili, aneurisma posset generari, cum hujusmodi tunicarum distinctio omninò sit à rei veritate „ aliena. Sed duplicem agnosco generationis modum unum à causa externa, alterum ab interna : „ externa est vulnus arteriæ ab imprudente Chirurgo factum ; consolidatur enim superficietenus arteria, sed non tam firmiter, quin sanguis impetuosè irruens in imbecillem tunicæ partem eam „ in tumorem non attollat : interna causa est apertura seu anastomosis arteriolæ, è qua sanguis „ egrediens in spatium seu interstitium musculorum, „ densatur in thrombum, qui sensim adauctus, „ magisque per moram excoctus, in carniformem „ massam transit musculis haud absimilem, quæ & „ reperitur concava, & in sui centro copiam nigri „ concretique sanguinis continet. Haud secus Platerus *prax. med. tom. 3. cap. 3.* & Dodonæus *rarar. observ. med. cap. 57.* mediæ cuidam instituerunt viæ, ut non semper ex sola arteriæ dilatatione, sed frequentius à manifesta aliqua ejusdem apertione Aneurisma generali arbitrati sint. „ Tunc „ enim, *ait* Platerus, sanguis tenuis & spirituosus „ ex arteria erumpens, cutem in tumorem attollit, „ illicque sinum sibi format, in quem arteriæ eo „ ferè modo, quo arteriæ in sinus crassæ membranæ „ cerebri naturaliter sese exonerare solent, præter„ naturaliter sanguinem cum spiritu in diastole ef„ fundendo, & in systole in se rursùm rapiendo, pulsationem

„ pulsationem in aneurismate efficit. Sed non considerant hi viri, quod sanguis in aneurismate contentus non corrumpatur, nec unquam apostemata facia, cum alioquin sanguis copiosus extra vasa in partes effusus semper corrumpatur, ac inflammationem & apostemata generet, secundum Hippocratem *Aphor.* 20. *sect.* 6. Si in ventrem sanguis effusus fuerit præter naturam, nec sese est supurari. „ Præ„ terea sanguis extravasatus sibi membranas inve„ stientes generale nequit, at quamprimum putrescit. Objectionis Solutio.

IV. Igitur censemus, aneurisma non oriri ex arteria omnimodè disrupta, verum dilatata solummodo: dehiscente nimirum tunicâ vasis illius interna, sanguis pulsione in tunicam muscularem, aliasque proximas impingens, eas magis magisque dilatat, in iisque quasi in sacco coacervatus tumorem producit, in quo manifesta imò sæpè admodum molesta pulsatio, nec non systoles ac dyastoles reciprocatio sentitur: qui tumor si disrumpatur, vel ab imprudente Cheirurgo aperiatur, Ægrotans ob immensam hæmorrhagiam, quæ cohiberi nequit, citissimè perit. Plura videri possunt apud Sennertum *prax. lib.* 5. *part.* 1. *cap.* 43. & Fabritium Hildanum. *cent.* 3. *observ.* 44.

V. Cognoscitur vero, & ab aliis tumorum generibus distinguitur aneurisma, quod tumor hic cuti sit concolor, sensim increscat, atque continuo pulset; insuper mollis est, & laxus, digitorumque pressioni plerumque cedit, sanguine in arteriam recurrente, unde mox rursum effluit. Notant tamen Paræus, Barbette, & alii in aneurismate interdum, si magnum sit, nec pulsum percipi, nec sanguinem compressum ad interiora redire; atqui strepitum, quasi bullientis aquæ, hîc observari. Diagnosis

VI. Cæterum difficulter admodum curatur aneurisma. Equidem quod minus est, & recens cura- Prognosis.

Digitized by Google

tionem aliquando admittit. Antiquum vero, & majus vix unquam curatur, nisi unà cum membro, in quo occurrit tollatur.

Aneurismatis curatio.

VII. Quoad *curandi rationem*: in principio dum aneurisma excitari animadvertimus (subitò namque non oritur, sed dehiscente internâ arteriæ tunicâ, sensim illa exteriorum tunicarum dilatatio fit) mox adstringentia & repellentia imponenda, ut impetus sanguinis compescatur, & arteriæ apertura constringatur. Eum in finem commodè imponatur *Emplastrum aliquod adstringens*, ac dein firmiter superligetur *Lamina plumbea*, si forsan rupta & dilatata arteria rursus coalescere & constringi possit.

VII'. Veruntamen hoc modo si non sanetur pulsatilis hic tumor neque incrementum ejus prohiberi queat, quin è contrario increscat, à multis duplex Cheirurgia commendatur. Una fit duarum acuum operâ quarum altera arteriam rectà in longum pungit circà tumorem; altera vero obliquè intransversum eam secat, quas in crucis formam positas, & sibi propinquas filo circumdare oportet, futuræ umbilici adinstar, easque firmiter vincire & tamdiu ibi detinere, donec arteria penitus coaluerit. Altera operatio cheirurgica fit, quum arteriam detegendo, tum supra, tum infra tumorem, illam prudenter à vena & nervo separant; deinde filo subtus transmisso, eamdem tum suprà, tum infrà liguant & secant, ut in varice; denique vulnus, ut artis est, curant. Videatur Paulus Ægineta *libr. 6. cap. 37.* Sed quis non videt, hanc aneurismatis, per manualem operationem, curam non solum crudelem valdè, sed & esse non sine maximo periculo, neque ægrum sanare. Etsi namque ligetur arteria; postquam tamen fila solvuntur, metus est, ne vel immodica hæmorrhagia, vel novum aneurisma fiat. Quapropter tutius est, tumorem hunc vinculis saltem, & emplastro, nec non laminâ plumbeâ cons-

Digitized by Google

tringere & comprimere; ut amplius augeri nequeat. Atque hoc modo aneurisma non rarò sanatur, uti videre est apud amplissimum Tulpium. *Observ. Medic. libr.* 4. *cap.* 16. & Hildanum. *cent.* 3. *observat.* 44. Equidem si indies ità augeatur hicce tumor, ut rupturam minetur, adeoque ægrotantis vita periclitetur, ultimum remedium foret, integrum membrum, cui inhæret aneurisma, tollere: etenim partem aliquam perire præstat, quam totum hominem.

CAPUT XXVIII.

De Varicibus.

QUemadmodum *Aneurisma* Arteriæ, sic VARIX *Venæ præter naturam dilatatio est*: in qua tamen non simpliciter dilatantur Venæ, sed & quodammodo intorquentur, subindèque ceu nodus quosdam contrahunt, & efformant nigricantes. Varix quid sit.

II. Accidunt autem varices in variis corporis partibus: frequentissimè in cruribus; aliquando in temporibus nonnunquam in ima abdominis parte sub umbilico; quandoque in scroto suprà testiculos, qui tumor in specie κιρσοκήλη nominatur. Etiam in internis corporis partibus hujusmodi venarum tumores oriri possunt, atque in pulmonis venis quondam varices notavit Hippocrates. Nec mirum; venæ quippe ubique valvulis scatent, ad quas crassus & terrestris sanguis subsistens, ac continuò incrementum capiens, venarum tunicas (utpote teneriores) facilè distendere potest.

III. Equidem non semper varices fiunt, quod crassior sanguis circà valvulas stagnans, venas ità extumescere faciat. Sed & varices nonnunquam oriuntur, haud secus ac aneurismata, cum intima venarum tunica disrupta sit, exterioribus integris, at Quomodo contingant varices.

Digitized by Google

solummodò dilatatis: Venæ namque ac arteriæ quatuor donantur tunicis, tenuioribus licet, uti per ἔλχεσιν anatomicam palam nunc ostensum est.

IV. Enimvero haud infrequenter contingit, ut crassus ac terrestris sanguis, qui præ crassitie venas commodè pertransire nequit, circà valvulas subsistens, intimam venarum tunicam ibidem dehiscere faciat, unde magnam in latitudinem rei quæ distinduntur: atque hinc fit, quod malum hoc melancholicis & hypochondriacis familiare sit, præsertim in cruribus, ubi ingentes nonnunquam observantur varices. Meminit Lowerus *tract. de corde cap.* 2. Varicis in crure, magni farciminis adinstar, circiter duas sanguinis libras continentis. Hildanus quoquè *cent* 4. *observ.* 85. scribit de Varice Monstroso, longitudine spithamam, latitudine aut crassitie brachium æquante, ab ipso curato.

Diagnosis & prognosis.

V. Porrò facilè cognoscuntur Varices, cum in membrorum, præsertim crurum, superficie turgentes, venæ conspicientur, atque pars affecta aut livida, aut nigra appareat, & pressus tumor retrocedat, sed mox iterum revertatur.

Solent quoque Varices plus molestiæ afferre, quam periculi.

Varicum curatio.

VI. Equidem ut curentur Varices, cautè hîc procedendum: sanguis mittendus, corpus aliquoties purgandum, ac talis porrò instituatur cura, qualis institui solet in affectione hipochondriaca. Deinde adstringentibus, exsiccantibus & digerentibus topicis medicamentis, fasciisque & ligaturis, quæ sanguinem superiora versus protrudunt, utendum. Atquè à compressione, aliavè externa causa si intumescat vena, adstringens aliquod emplastrum inponendum, & ad partem affectam firmiter ligandum, haud secus ac in aneurismatis cura fieri solet.

Digitized by Google

VII. C. Celsus *libr. 7. cap. 31.* duos proponit curandi modos, quorum alter fiebat ferramentis candentibus alter excisione peragebatur, sub ferramento candente adustus contabescit varix ex celso, & ustio fit in varice recto, aut simplici transverso, & exiguo. Cutis superinciditur, tum patefacta vena tenui & retuso ferramento candente modicè premitur, vitaturquè ne plagæ ipsius oræ adurantur, quas reducere hamulis facile est; id interpositis ferè quaternis digitis per totum varicem fit, & tunc medicamentum superimponitur, quo adusta sanantur. Altera cheirurgia, quæ excisione varices curat, cutem supra varicosam venam incidit, dein hamulo oras cutis excipit, & scalpello venam undiquè separat, cavetquè ne scalpello vena lædatur, quæ num hamulo attollitur, & primum in uno, mox in altero extremo præciditur, evellitur, & foras trahitur. Similem ferè varicum per excisionem curandi modum proponit Paulus Ægineta *lib. 6. cap. 28.* Sed hæ antiquorum ad varices curandos Cheirurgiæ adeò difficiles & crudeles sunt, ut unum tantum Cajum Marium, qui septies Romæ Consul fuit, stantem sibi extrahi passum fuisse Plinius, auctor est.

VIII. Hinc aquapendens *in operat. Cheirurg. de varicum Cheirurgia* mitiorem proponit manualem operationem; viz. cutem sectione latâ aperit, dein varicosam venam à circumjacentibus solvit partibus, ac supra & infra filo duplicato varicem firmissimè ligat, eundemquè aperit, & sanguinem effluere permittit. Sed de hac aquapendentis Cheirurgia scribit Scultetus *in armament. cheirurg. tab. 43.* se hunc operandi modum semel tentasse; sed errore patientis, motus scilicet nimio (qui nullus esse debuisset) sequutam fuisse inflammationem, quæ ægrum vehementer afflixit, & prohibuit, ut

Digitized by Google

voto non potuerit respondere exitus. Atque hoc famæ naufragium semel passus Scultetus, varicibus in extremis affectos, deinceps solis topicis, subtibialibus ex pelle canina confectis, tractavit.

IX. Atqui multi & variè complicati varices si in cruribus existans, ac fasciis, ligaturis, similibusque externis curari nequeant, scalpello sunt aperiendi; deindè compressione sursum deorsumque factâ contentus sanguis exprimendus atque vacuandus, hinc aliquot dierum imperatâ quiete, & convenientibus appositis medicamentis vulnuscula curentur.

CAPUT. XXIX.

De Panaritio seu paronychia.

INter tumores haud immeritò à Cheirurgis refertur *reduvia* seu *paronychia*, quippe quæ in vicinia seu lateribus unguium in digitis generari consuevit: Latinis *panaritium* nuncupatur, Nostratibus (*de Vijt*, germanis *der Wurm oder das Ungenade.*) Vulgus enim in ea est sententia, vermem in illo tumore latere, qui rodendo tantos excitat dolores, eumque nominatum exasperari, ideoque nominandum non esse.

Panaritium qualis sit Affectus.

II. Est autem PANARITIUM seu PARONYCHIA *Tumor in digiti extremo, admodum dolens, ex acido-acri atque ferino humore, tendines, nervulos, periosteum imo os ipsum rodente, ortus.* Estquè duplex hic affectus: alter enim ad unguis radicem nascitur, ac plerumque in superficie duntaxat, cum nonnullo dolore. Alter verò profundior est, ad ipsum usquè periosteum, cum acerbissimo & acutissimo doloris sensu; isque symptomata gravissima, febrem puta, syncopen, convulsionem

Digitized by Google

ulcus malignum, cariem, interdum & totius partis corruptionem infert.

III. Igitur ortum habet hic tumor ab humore acido-acri, & acri-salino, simulque volatili, aquæ stygiæ aut absimili, præterquam quod hic multo volatilior sit; qui cum sanguine per arteriolas ad digiti extremum, & quidem ipsum in periosteum delatus, immanem rosionem, hinc acerbissimum dolorem, simulque ex continuo affluente sanguine inflammatione excitat. Unde oriatur.

IV. Signa vero quibus dignoscitur hic affectus, sunt tumor, rubor, dolor circa unguem intolerabilis, qui continuo ægrum affligit, atquè non raro ob consensum partium nervosarum per totum brachium extenditur, & comitem habet febrem continuam, ac lypothimiam, &c. Cæterum quo peccans humor magis vel minus acris, ita malum hoc mitius vel deterius est. Quandoquè os, digitus, tota manus corrumpitur, imo aliquando ex dolore mortuus fuit ægrotans. Diagnosis & prognosis.

V. Sed quemadmodum de causa huius affectus superstitiosas opiniones (viz. Vermen in hoc tumore latere; qui rodendo tantos excitat dolores, &c.) Vulgus habet, ità & de curatione: putat nimirum, si quis tempore verno spermate ranarum manus madefecerit, ac sponte siccari siverit: & postmodum digitum hac inflammatione laborantem comprehendat, inflammationem sedari. Alii talpam vivam singulis annis manu comprehendunt, & pronunciatis conceptis quibusdam verbis talpam comprimendo occidunt, atque hinc per totum annum vermes istiusmodi se occidere posse jactitant. verum ut nugas hasce omittamus, genuinam panaritii considerem curationem. Medendi methodus

VI. In qua, generalibus, venæsectione scilicet, & universali purgatione haud neglectis, affectus

Digitized by Google

digitus aliquamdiu foveri poteſt hoc vel ſimili decocto.

℞. *Florum camomillæ, meliloti, ſambuci an.* Mj.
Seminis lini, fanigraci an. ʒß.
Coquantur S. A. in lacte vaccino.

Vel applicetur cataplaſma,

℞. *Fol. Hyoſciami.*
Fr. Anethi, ſambuci an. Mj.
Sem. lini, papaveris an. ʒiij.
Farinæ althææ ʒiß.
Coq. in lacte vacinno, & fiat ex his S. A. cataplaſma.

℞ *Farinæ hordei, lini an.* ʒvj.
Butyri recentis, mucilag. pſyllii an. ʒj.
Vitellum uniu: ovi, pulv. croci ℈j.
Miſceantur S. A.

Nonnulli laudat ea quæ ſequuntur.

℞ *Farinæ avenaceæ*, vulgo (*haver-gert*,)
Coq. S. A. in aceto vini in formam cataplaſmatis, quod calide applicetur, & identidem renovetur.

℞. *Herb. ſenecionis, ſedi majoris an. part. aq.*
Ex his contuſis fiat cataplaſma.

Scribit aquapendens, quaſdam mulieres hunc affectum in initio (viz. cum digitus incipit dolore, *hoc eſt*, in primo doloris impetu. neque adhuc in digito ullus tumor ruborve apparet) ſtatim curare, digiti extremum in ebullientem aquam aliquoties immittendo ita tamen ut vix digitus aquam attingat: eſt enim remedium. quod materiam exiguam fluxam ſtatim diſſipando evacuat. Probat quoque hanc immiſſionem in aquam ferventem ſeverinus *in pyrotechnia.*

Alii volunt, ut aliquandiu in ovo putrido teneatur digitus; idque ſæpius hunc affectum curaſſe affirmant.

Digitized by Google

Riverius peculiari medio hunc affectum curat, de quo *cent. 4. observ. 65.* hæc habet: „ Virgo quædam paronychiam patiebatur in indice manus sinistræ, quæ ipsam vehementer afflixerat per quatuor dies; jussi ut digitum immitteret in aurem felis, & intra duas horas doloris expers fuit: sentiebat per intervalla attractionem digiti in auris cavitatem, ac subinde dolor totum brachium invadebat, usque ad humerum: eo denique tempore felis vociferatur, ut credibile sit, eum dolore affici à veneno attracto: tota manus intumit, ac postea detumit, excepto digito, qui tumefactus remansit, sed doloris expers, sublato dolore digitus extractus est, & suppuratus apparuit, ac deinceps solo emplastro diapalmâ curatus.

VII. Saltem in principio curationis dolorem lenientia, & acrimoniam humorem mitigantia, suppurationemque adjuvantia digito affecto admoveantur. Itaque ægrotans aliquandiu digitum detineat in hujusmodi spiritu fervefacto:

℞. *Spiritus vini* ℥iij.
Thetiacæ, camphoræ an. ʒj.
Opii ℈ß.
Misceantur.

Deindè imponatur cataplasma;

℞. *Herb. rutæ, salviæ an.* Mß.
Flor. camomillæ, sambuci, meliloti an. Mj.
Sem. cumini ℥j.
Coctis in aqua & vino ad mollitiem, & in mortario contusis adde.
Farinæ lini, hordei an. ℥j.
Pulv. sabinæ ʒiij. *croci* ʒß.
Butyri recentis ℥iß.
& M. F. S. A. cataplasma.

Sed quandoquidem hujusmodi tumor valde contumax & suppuratu difficilis est, & is maximè qui

Digitized by Google

os attingit, si adhibitis remediis suppuratio tardè promoveatur, ille profecto, etiam ante perfectam maturitatem aperiendus erit. Id quod tutum ac unicum remedium est, & ad sedandum dolorem, & ad supradicta symptomata impedienda commodissimum. At enim tumor hic alia ratione secandus est, quam cæteri abscessus propterea quod non semper facilè est de loco, ubi pus resideat, judicare; quippe quod quantitate exiguum, profundum adeo, & ossi proximum. Igitur sectio facienda est in medio digiti in interiore parte, non longe à digiti extremo, ad os usque; deinde ulcus curandum.

Quod si negligentiâ ægrotantis aut Cheirurgi sideratus digitis fuerit, extirpetur, nisi totum negotium naturæ committere placeat, quæ sæpius osficulum corruptum separat, ejicitque.

Sin caruncula luxurians, seu carnea excrescentia in orificio excreverit; ea vel ferro, vel medicamentis exsiccantibus aut exedentibus tollenda.

Quum vero tardius accersitus Cheirurgus magnam humorem collectionem reperiat, dissipantia & suppurantia applicentur. Hinc rupto vel aliter aperto tumore, summa habeatur cura, ne tendines corrumpantur, atqui corrupti qui sunt, separentur sive medicamentis, sive instrumento secante.

VIII. Fabritius Hildanus, uti refert *cent.* 1. *observ.* 97. Inflammationem aut notabilem tumefactionem, & suppurationem non expectat; sed in muliere, quæ dolore acerbissimo in extremitate digiti, cum febre, lypothymia, nausea, aliisque symptomatibus laboravit, curationem sic instituit. Primò digitum *Lacte vaccino, cui flores camomillæ, meliloti, semen fœnigraci & cydoniorum incoxerat*, aliquandiù fomentavit. Deinde cutis superficiem paulatim dissecuit. Cute abrasâ *Macula quædam rubicundæ* apparuere, quibus acie cultelli incisis, gut-

Digitized by Google

tulam unam aut alteram *aquæ rufæ* ſub cute invenit. Illâ evacuatâ linteum madefactum *ſpiritu vini*, *in quo diſſoluta theriaca* applicuit: quibus mox ſedatus eſt dolor; atque unico hoc remedio ſanatus fuit digitus altero die.

In alia quoque matrona, quæ per triduum ob vehementem ex paronychia dolorem dormire nequiverat, abraſâ cute maculam in apice digiti ſub cute invenit, in qua vix una guttula ichoris contenta fuit. Maculâ inciſâ, applicatoque digito goſſipio *ſpiritu vini cum theriaca* imbuto, manui vero & carpo *linteo reduplicato ac poſcâ madefacto*, ſtatim ceſſavit dolor; ità ut poſtero die omninò ſatus fuerit digitus. Equidem addit Hildanus, ſtatim ab initio inciſionem hanc fieri debere, alias ex concurſu humorum inflammationem & tumorem excitari, atque ſubjectos tendines, imò etiam oſſa erodi.

CAPUT XXX.

De hernia in genere, atque in ſpecie de inteſtinali & omentali.

I. AD tumores haud ineptè referrimus quoque *diſjunctam partium mollium contiguitatem*: ea autem obſervatur in Hernia, Ani Procidentia, & uteri prolapſu. Dicitur HERNIA RAMEX RUPTURA, Græcis κηλη, Noſtratibus (*een Breuch of Scheurſel*;) quod nomen & inteſtinorum, & omenti procidentiæ tribuitur. Hernia quid ſit, & quæ ſint ejus differentiæ.

II. Atqui variæ ſunt *herniarum differentiæ*; quæ pendent vel à loco in quo fit tumor, vel à materia quæ tumorem facit. *Ratione loci* triplex datur Hernia, viz. ὀσχεοκήλη *Hernia Scroti*, βουβωνοκήλη *Hernia Inguinis*, ἐξόμφαλος *Hernia umbilici*. *Ratione materiæ quæ tumorem facit* plures dantur differentiæ;

Digitized by Google

ſcilicet ἐντεροκήλη quando inteſtina prolabuntur ſcrotum, inguina, vel umbilicum; ἐπιπλοκήλη, quando omentum procidit in inguina, ſcrotum, vel umbilicum; ἐντερο-ἐπιπλοκήλη quando omentum & inteſtina ſimul prolabuntur; σαρκοκήλη, quando ſubſtantia quaſi carnoſa teſtibus, viciniſque membranis accreſcit; πνευματοκήλη quando Flatus ſeſe inſinuant ſcroto, inguinibus, vel umbilico; ὑδροκήλη, quando aquoſa materies prolabitur frequentius in ſcrotum, rarius in umbilicum, vel inguina; κιρσοκήλη *Hernia Varicoſa*, quando venæ ſpermaticæ intra ſcrotum dilatantur in modum varicum, ità ut interdum tertium mentiantur teſticulum. Quin & compoſitæ ſpecies huc emergunt, ut præter ἐντερο-ἐπιπλοκηλὶς dantur & ὑδρο-ἐντεροκήλη ὑδρο-πνευματοκήλη ὑδρο-σαρκοκήλη, &c.

III. Sed verò omnes hæ herniarum Species veræ herniæ non ſunt: veræ namque herniæ tantum duæ occurrunt; viz. Inteſtinorum, vel omenti extra abdomen Prolapſus, atque ex duabus hiſce tertia ſæpius oritur nempè ἐντερο-ἐπιπλοκήλη; de quibus nunc ſumus dicturi.

IV. Igitur ἐπιπλοκήλη omenti extrà abdominis cavitatem procidentia eſt. Verum ἐντεροκήλη inteſtinorum prolapſus. Atqui inteſtina & omentum ſi ſimul excidant, ἐντερο-ἐπιπλοκήλη hæc Herniæ ſpecies nuncupatur. Prolabuntur autem inteſtina, vel in umbilicum, tuncque ἐξόμφαλος, ſeu *Hernia umbilici* aut *umbilici relaxatio* dicitur, vel in ſcrotum, & ἰσχεοκήλη ſeu *Hernia ſcroti* appellatur; vel in inguina, atque βουβωνοκήλη ſeu *Hernia Inguinalis* nuncupatur.

Hernia inteſtinalis, &c.

V. Quoad *cauſam* ſeu *rationem formalem Herniarum*; vulgaris opinio eſt, fieri prolapſum omenti, & præſertim inteſtinorum in inguina, ſcrotum, vel umbilicum, peritonæo vel rupto, vel relaxato.

Herniæ quomodo fiant.

Digitized by Google

Sed illis, qui peritonæum in hernioſis diſruptum cenſent, ſubſcribere non poſſumus. Etenim impoſſibile eſt, validam hanc membranam dilacerari aut diſrumpi poſſe, niſi hoc fiat ex caſu, ſimilivè violenta cauſa externa: quæ equidem eandem non diſrumpit, dilaceratvè; atqui ſi vulnus peritonæo infligatur quod cute conſolidatâ apertum reliquitur, tunc ruptura ejus Herniæ cauſa eſſe poteſt. Inſuper in Hernioſis poſt obitum nunquam ruptura, verum dilatatio peritonæi ſemper obſervatur. Igitur peritonæum in Herniis ſolummodò relaxari putamus; cumque laxetur vel in ejuſdem proceſſibus, aut alibi, tum omentum, tum præcipuè inteſtina in debilitatem hanc membranam impingere; hinc in locum patentem, inguina puta, vel ſcrotum, vel umbilicum deſcendere. Videatur Hildanus *in Epiſtola ad Michaëlem Doringium de Hernia uterina pag. mihi* 899.

VI. Cauſæ vero, quæ peritonæum ultrà modum ità extendunt, relaxantque, ſunt motus violentus, caſus, percuſſio, ſaltatio, equitatio, vomitus, tuſſis, oneris gravioris elevatio, alvus dura & quæ cum difficultate redditur, conatus in partu, flatus in inteſtinis, vocis intentio, ſpiritus retentio, & quodcumque ſpiritum concitare, atque, diaphragmate & abdominis muſculis tenſis, impetum in inferiorem abdominis regionem inferre poteſt. Accedit peritonæi ejuſdemvè proceſſuum debilitas ac humiditas: facilius namque partes debiles & humidæ laxantur, undè pueri frequentius in herniam incidunt.

VII. Sed inteſtinalem Herniam adeſſe cognoſcitur ex eo, quod tumor modo accreſcat, modo minuatur, interdum ferè totus evaneſcat; prout major vel minor inteſtini portio deſcendit, vel inteſtinatur magis minuſvè replentur, vel etiam planè retrocedunt. Enimvero tumore compreſſo, aut re- Herniarum Signa diagnoſtica.

Digitized by Google

ſupinato Ægro inteſtina in abdominis cavitatem; & equidem cum murmure relabi ſolent. Præterea hic tumor ferè abſque dolore eſt, niſi forſan fæces delapſæ ſint in inteſtinum, vel flatus adſint; tunc enim dolorifica admodum Hernia. *Flatus* ſiquidem adfuerint in inteſtino, venter totus iis diſtentus eſt, murmura adſunt, flatuſque & per os & per alvum exitum ſortiuntur. *Excrementa* quod ſi in prolapſo inteſtino indurata, alvus ægro obſtructa, tumorque magnitudine, gravitate, atque duritie augeſcit.

VIII. Verum in Hernia Omentali tumor mollis eſt, laxus, lubricus, & ferè ſemper idem, cum prolapſum Omentum non ità facilè reponatur ut inteſtinum; atqui ſcroto & peritonæi proceſſibus tam firmiter non rarò accreſcat, ut nunquam reponi queat, quemadmodum id aliquoties in diſſectis cadaveribus viſum fuit. Cæterum Omentalis Hernia minus dolet, quam Inteſtinalis; eaquè in lætere ſiniſtro frequentius, quam in dextro fieri ſolet.

Prognoſtica.

IX. Cæterum quævis Hernia non facile curam ſuſcipit: in infantibus tamen facilius curatur; in ſenibus difficulter, aut nunquam. Quod ſi inteſtinum flatibus aut excrementis repletum ſit, ſequitur dolor, atque hunc, ſi non illicò tollatur, inflammatio, Gangræna; hinc paſſio iliaca, ac ipſa denique mors ſuccedit. Rarum eſt, quod refert fabritius Hildanus 1. *cent. obſerv.* 55. fœminam ſeptendecim annos Herniâ laboraſſe, & circa annum ætatis tertium & ſexageſimum maximis vexatam fuiſſe torminibus, inteſtinumquè in abdominis rupturam impulſum ac inibi retentum dolores non leves, ſimul & inflammationem, aliaque graviora excitaſſe ſymptomata. Vocatus ad curam Hildanus invenit dextrum inguen gangrenâ affectum: Tumore itaque ſcarificato, &

Digitized by Google

cæteris quæ ad gangrænæ curationem attinent adhibitis, caro putrida & calositas rupturæ exciderunt; unde dolor, inflammatio, febris, tormina, Lypothymia, nausea, vomitus, omnia denique symptomata sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementitia, velut ilei & cæci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter duos menses. Ægra tamen admirantibus omnibus curata, & à ruptura perfectè sanata fuit, nullâ relictâ fistulâ.

Intestinalis & omentalis Herniæ Curatio.

X. Atqui *Ratio curandi herniam*, in primis *intestinalem*, in hisce tribus consistit: viz. in intestini intra abdominis cavitatem repositione; in repositi conservatione, ne rursus descendat; in relaxati peritonæi constrictione.

Prolapsum intestinum quomodo reponi debeat.

XI. verum ante repositionem cheirurgus diligenter consideret, an hernia sit parva, vel magna? an recens vel inflammatione correpta, an flaccidum adhuc, vel materia aliqua repletum sit intestinum?

Si hernia parva sit & recens, intestinumque vacuum, facillimè reducetur si æger supinus in lecto collocetur, capite declivi pedibusquè elevatis, quoniam hac ratione intestina sursum ruentia secum trahunt id quod prolapsum est.

Sin verò *magna sit & recens hernia*, oportet cheirurgum intestinum nullâ materiâ distentum digitis tractare, idquè, ægrotantis capite declivius posito, sensim tamdiu molliter circumagere, donec paulatim abdominis cavitatem ingrediatur.

Atqui *Herniæ quæq; associatur aut inflammatio*, quam indicant dolor, calor, febris; *aut Flatus* adsunt, qui cognoscuntur ex eo quod æger percipiat totum abdomen à flatibus distendi, si flatus emittat, & rugitus in intestinis audiantur, dolorquè extendens sit sine gravitate; *aut fæces*, alvusquè suprimitur, tumor sensim increscit,

Digitized by Google

& pondus majus, majorque durities percipitur; tunc à reductione intestini desistendum est, usquè dum inflammatio abierit, fæces egressæ, & flatus dissipati fuerint.

Igitur *inflammatio cum adsit herniæ*, scroto vel inguini calidè imponatur cataplasma emolliens, digerens, simulque roborans, ex *farina hordei, furfuribus tritici, foliis, malvæ, althææ, floribus sambuci rosarum, vino rubro, &c.* idquè identidem renovetur. Etiam ex fallopio, pars affecta foveri potest *lixivio calido, in quo cineres ex ligno fagino ebullierint*. Accipiantur itaque *duæ fili crudi massæ, indantur caldo, & coquantur eum* Mß. *Seminis cumini in lixivio acri*; deinde massarum una extrahatur quæ inter duos discos exprimatur, atque expansa calidè quantum ferre potest Æger, apponatur; verum tepescens removeatur, & alia substituatur, eaque repetatur, donec omninò sublata sit inflammatio.

Si *cum inflammatione concurrant fæces*, quæ repositionem intestini impediant, casus quidem est maximè desperatus; nihilominus tamen fæcum tentetur eductio clysteribus lenientibus, identidem injectis; nec non fomentis, aut cataplasmatibus distensionem relaxantibus. v. gr.

℞ Fol. *parietariæ, malvæ, althææ an.* Miß.
Fol. *camomillæ, meliloti, sambuci,*
Sum anethi an. Mj.
Sem. cumini, fœniculi an. ʒß.
Incisa & contusa coquantur s. q. lactis vaccini, pro fotu.

℞ *Rad. liliorum alborum rec.* ʒij.
Fol. *malvæ, violariæ, parietariæ,*
Flor. *camomillæ, meliloti an.* Mj.
Furfurum Mß.
Coctis in aqua pura ad mollitiem, & in mortario minutim

Digitized by Google

minutim contusis add.

Farinæ althææ, hordei, lini an. ℥ij.
Olei rosarum, liliorum alborum an. ℥iß.
M. F. Cataplasma.

Vel tumor continuò foveatur mappis calefactis, *Oleo camomillæ & anethino* imbutis, atque subindè renovatis.

Sed & *Flatus* non rarò absque inflammatione intestinum replent; quo in casu usurpanda sunt fomenta ex emollientibus, calefacientibus & discutientibus composita, nec non clyster calefaciens & carminativus injiciendus est, haud secus ac de intestino prolapso, & vel inflammatione obsesso vel fæcibus repleto, reponendo nunc diximus.

Sublatâ verò inflammatione, excretis fæcibus, flatibusque dissipatis, reponatur in propriam sedem intestinum. Viz. collocetur Ægrotus capite plurimum demisso, affectâ autem parte elevatâ, deindè manibus tumor capiendus, tentandumque ut materies paulatim eo, undè exiit regrediatur; digitum nempe sub tumorem reponendo, repellendoque leniter in ventrem quod ex eo delapsum est, atque diligenter cavendo, ne contusio livorvè intestino adferatur, quod ea pars gangrænæ obvia sit, & opportuna.

Atqui è contrario cum, omnibus frustrà tentatis remediis intestinum prolapsum, & vel inflammatum, vel fæcibus flatibusvè repletum, reponi nequeant, adeoque præsens ægroto immineat periculum, extrema quoque tentanda sunt. Quo in casu Ambrosius Paræus *chirurg. lib. 7. cap. 15.* ad Chirurgiam accedere, & ductum illum, per quam intestina elapsa sunt, sectione dilatare suadet, sic ut digito reponi queant. Sed ardua est manualis hæc operatio; quæ quomodo sit instituenda videre insuper est apud Pigræum. *Prax. chirurg. lib. 2.*

Digitized by Google

cap. 41. & præsertim apud Jobum Meekeranum *observ. chirurg. cap.* 45. & 46.

Intestinum repositum quomodo conservandum, ne rursus procidat.

XII. Ubi jam intestina reposita fuerint, proximum est cavere, ne iterum excidant. Quem in finem maximi sunt momenti fasciæ seu subligacula, adeo ut in Herniis recentioribus tota ferè curationis spes, in iis sita sit. Parandi autem fascias commodissima hæc videtur ratio. Fiat cingulum seu fascia ex corio, quæ lino molliori seu panno gossypino, atque etiam gossypio nonnihil suffulto inducatur, quæ ligulâ stringi possit. Atque hæc fascia ventri infrà hypochondria supra coxendicem propè inguina applicetur; ità tamen, ne partes quæ sunt supra ilia & ossa lædat, & atterat. Huic autem fasciæ seu cingulo alia fascia cum splenio seu pulvinari quodam ità adaptari debet, quantum opus est constringi possit, ipsumque pulvinar recta loco affecto, seu parti ubi intestina excidere solent, incumbat, suoque incubitu intestinorum prolapsum prohibeat. Quod ut rectiùs præstet, fasciæ, quæ ventrem ambit, nonnulli geminas habenas adaptant, quæ ad humeros ascendunt & collum ambiunt.

Fasciæ loco parari potest cingulum ferreum cum scuto ferreo, quod locum ubi intestina procidunt arctè tangit, & intestinorum prolapsum prohibet. Rationem vero conficiendi omnia hæc instrumenta praxis docet. Icones habentur apud Paræum *chirurg. l.* 7. *c.* 15. Scultetum. *Armament. chirurg. Tab.* 39. aliosquè.

Relaxatum quoquè peritonæum roborandum, ac constringendum.

XIII. Equidem intestinum postquam repositum est, priusquam adhibetur Bracherium adstringens aliquod relaxato peritonæo applicari potest emplastrum, quale est Oxycroceum, seu *Emplastrum ad rupturas* in corio extensum, vel simile; v. gr. illud Pigræi,

℞. *Gummi Elemmi* ʒj. *Mastichis* ʒij. *Olibani, sarcocollæ an.* ʒi. *Emplastri contra rupturam* ʒiß.

Digitized by Google

Pulv. Bolı armeni ziß. *Olei therebentina q. ſ.*
M. F. S. A. Emplaſtrum.

Emplaſtri loco nonnulli laudant fotus adſtringentes adeoquè relaxatum peritoneum roborantes, *ex corticibus granatorum, balauſtia, ſumach nucibus cypreſſis, floribus cammomillæ, alumine, ſimilibuſve, in aquæ fabrorum, & vino rubro adſtringente decoctis*, Allii inungunt *Oleum ovorum*. Sed imprimis *Quies* hîc imperanda eſt, quâ ſolâ nonnunquam graves ſanantur. Herniæ; cujus rei memorabile adfert exemplum Hildanus *cent 5. obſerv. 54.* cujuſdam generoſi Bernenſis ſexagenarii, qui viginti annos inſigni Herniâ inteſtinali laboraverat; cui curandæ tum Hildanum, tum alios in Gallia & alibi expertiſſimos fruſtrà adhibuerat Medicos & Cheirurgos: tandem cum de recuperanda ſanitate ne quidem cogitaret amplius, & ſubligaculis, ne malum ingraveſceret, uteretur, in morbum incedit, quo ultrà ſex menſes lecto affixus fuit. Poſt morbum hunc ne minimùm quidem Herniæ, qua tamdiù laboraverat, indicium perſenſit, nec amplius ſpleniis aut ſubligaculis uti neceſſe habuit.

XIV. Igitur faſciâ inteſtinâ, ne rurſus prolabantur, contineri poſſunt, quod ubi factum danda opera, ut excrementa potius mollia ſint quam dura, alvuſque ne ſupprimatur, atque in egerendis fæcibus obſervandum, ut manu inguina & ſcrotum probè contineantur, ne fæces emittendo inteſtina extrudantur. Deinceps abſtinendum à cibis flatulentis, ne flatus inteſtina diſtendentes producantur. Inſuper omnis vehemens motus, ſaltus, curſus, oneris gravioris geſtatio, vociferatio, aliaque vehementiora vitentur exercitia. Deniquè in tuſſi & ſternutatione idem obſervandum, quod modò in egerendis alvi fæcibus attendendum diximus.

Quæ porrò in Herniæ curatione ſint obſervanda.

XV. Hiſce alii addunt ad accelerandam relaxatæ

Digitized by Google

peritonæi confirmationem varia intus sumenda medicamenta, & inter illa huic affectui, curando specifica, qualia dicuntur *Radix consolidæ*, *osmundæ regalis*, *herniaria*, *hyperi um*, &c. quorum formulæ plures habentur apud auctores.

XVI. Veruntamen si integram sanitatem iis æger consequi non possit, bracherio contentus sit; quô solô si rectè contineantur intestina, omnibus vitæ actionibus sine magno impedimento vacare poterit. Atqui hisce qui contentus non est; semetipsum Cheirurgiæ tradat, quæ per ablationem dictimi herniam penitus curare potis est; de qua videantur Pigræus *prax. Cheirurg. lib.* 2. *cap.* 40. Scultetus *armam. chirurg. tab.* 40. Cl. van horne *in microtechne sect.* 2. *part.* 1. §. 24.

XVII. Quæ autem hactenus de cura herniæ intestinalis dicta sunt, quoquè applicari possunt herniæ ex omenti prolapsu ortæ. Iidem enim in ejus curatione sunt scopi primò nimirum reducendum est omentum manuum operâ; deinde prohibendus elapsus, quod itidem bracherio fieri solet. Atqui si omenti prolapsus non exactè prohibeatur, adeò ut frequentius illud elabatur, facilè peritonæi processui per fibras arctissimè accrescit, hinc reduci in abdominis cavitatem nunquam potest, manetque immedicabilis epiplocele.

CAPUT XXXI.

De *tumoribus scroti*, *herniis impropiè dictis*; *viz. Hydrocile*, *Pneumatocele*. *Sarcocele*, *circocele*.

I. DE *Hydrocele* seu *herniâ scroti aquosâ* superius *cap.* XIV. abundè egimus, sed in scroto quandoque, viz. inter tunicam vaginalem & albu-

Digitized by Google

gineam, haud secus ac aqua in hydrocele, *flatus* continetur; qui ibidem congestus partes hasce membranosas, ipsumque adeo scrotum sensim distendens tumorem excitat, qui *Pneumatocele* seu *flatulenta hernia* dici consuevit distinguitur vero ab hydrocele, quod tumor hic rubicundior sit; præterea in hernia flatulenta non ità pellucidum apparet scrotum, quam in aquosa. Curatio quoque eadem est, atque per topica medicamenta calida, resolventia, & digerentia absolvitur: verum scroti apertio hic locum non habet, uti in hydrocele. Pneumatocele.

II. Atqui carnosum quid non raro nascitur in scroto, testibusque adnascitur, & istum scroti tumorem excitat, cui *herniæ carnosæ* nomen inditum est. Est autem SARCOCELE seu HERNIA CARNOSA *tumor præter naturam ex sanguine impuro copiosius in testiculos adfluente, ibidemque in substantiam heterogeneam, quasi carnosam degenerato, productus.* Enimvero generatur carnosa hæc hernia è sanguine impuriore, simulque acri; in scrotum testiumque involucra, nec non intimam eorundem substantiam copiosius affluente, atque in substantiam heterogeneam, in multis fungosæ carni similem, ibidem mutato. Quæ aliquando scroti tunicis, nonnunquam illis testiculorum adnata cernitur; quandoque vero ipsis testibus ita connata & innata reperitur, ut magnam in molem adaucti testiculi eandem cum heterogenea illa carne videantur habere substantiam: quemadmodum hujusmodi ex sarcocele adauctum didymum, 1684. mense Augusto arenaci, extirpari vidimus, uncias ultra viginti pendentem. Huic autem sanguinis affluxui occasionem præbent hernia intestinalis, ictus, percussio, lapsus, sectio herniæ non ritè instituta, &c. Sarcocele quid sit. Quomodo fiat. Historia.

III. Igitur veram censemus *herniæ carnosæ causam*, tenuissimorum & plusquam capillarium vas-

Digitized by Google

culorum in ſcroto vel teſticulis eroſionem, rupturam, aut dilatationem; unde plus ſanguinis in partem ruit, quam ad nutritionem requiritur: è quo tenuiores, acrioreſque particulæ ſecedentes, porro erodunt, & novo affluente ſanguine in hujuſmodi heterogeneam, & quaſi carnoſam ſubſtantiam continuo excreſcunt.

Diagnoſis, & Prognoſis

IV. Adeſſe vero ſarcocelen cognoſcitur ex eo, quod tumor in ſcroto durus ſit, ſine inguinis tumore, ſenſimque adauctus, quo ſigno diſtinguitur ab hernia inteſtinali, quæ mollior eſt, & ſubito oritur; inſuper major hic moleſtia eſt, quam dolor, niſi pravi humores confluant. Indagandum quoque diligenter, ne hydrocele vel alius teſticuli tumor pro carnoſa hernia habeatur; quod interdum contingit, ſi aqua profundius lateat, & foris nulla ſui ſigna exhibeat. Tale exemplum profert foreſtus *libr. 27. obſerv. 25. in ſcolio.* de quodam, qui teſtem unà cum ſcroto in modum ſcyrrhi, paulatim majorem in molem auctum, & durum per quinquennium habebat, ut omnes ſarcocelen putarent. Poſtea tamen cum emollientia & maturantia applicarentur, tumor mollis evaſit, & facto abſceſſu magna aquæ copia, quæ intus latuerat, cum impetu erupit, unde ſcrotum & teſticulus detumuit, ægerque penitus curatus fuit.

Equidem medicamentorum ope vix unquam curatur ſarcocele. Sed Cheirurgiæ operâ tolli ſolet, ut plurimum cum didymo, cui adhæret, vel inhæret, heterogenea hæc ſubſtantia. Ad inguina ubi ſe extenderit, ferè incurabilis eſt.

Curandi methodus.

V. Quoad *medendi rationem*; ea duplex eſt, ſcilicet ut vel tumoris incrementum prohibeatur, & porrò tumor abſumatur: vel ſubſtantia hæc carnoſa Cheirurgiâ tollatur. Primæ intentioni ut ſatisfiat, medicamenta interna ad tollendam ſarcocelen quo-

Digitized by Google

què commendantur. Et scribit Mathiolus *in dioscoridem lib. 3. cap. 18.* se novisse quendam, qui *ononidis radicis pulvere* duntaxat plures menses sumpto carnosum ramicem absumpsit, & sanatus est; licet à Medicis nullo alio remedio quam solâ sectione, ustioneque hunc curari posse esset statutum.

Inter topica medicamenta valdè hîc commendat Rulandus *cent. 9. observ. 66.* suum *oleum sulphuris*, hoc est, *balsamum sulphuris* quotidie bis illitum.

Alii imponere malunt hoc emplastrum,

℞. *Gummi ammoniaci in aceto soluti* ʒiß.
Bdellii similiter soluti,
Pulv. seminis sinapi, urticæ an. ʒj.
Aristolochiæ rotundæ ʒvj. *sulphuris* ʒß.
Therebinthinæ, lapidis spongiæ an. ʒj.
Spiritus vini ʒiß. *ceræ* ʒvj. *olei olivarum* ʒiiij.
Ex hisce S. *A. fiat. emplastrum.*

Scultetus *post armament. cheirurg. observ. 74.* scribit, plures se curasse, exhibito quotidie *pulvere radicum ononidis*, & imposito hoc emplastro,

℞. *Gummi ammoniaci, galbani, bdellii an.* ʒß. *dissolutis in aceto adde.*
Adipis anatis ʒiß. *ceræ citrinæ* ʒij.
Medullæ crurum bovis, olei liliorum alborum an. ʒx.
Misceantur in formam emplastri, quod linteo inductum scroto applicetur, & quarto quoque die renovetur.

VI. Sin hoc modo carnosa hernia non imminuatur, sed è contrario augeatur, sequenti methodo tentari potest curatio. Fiat foramen exiguum in scroti parte superiore; per hoc petiæ ope medicamenta applicentur suppurantia, quo sic carnosa hæc substantia tolli possit, quavis deligatione pus expurgando; verum non totum, ad meliorem reliquæ carnosæ substantiæ consumptionem.

Digitized by Google

Quod si nec hæc succesſerint, teſticulus extrahendus, & ſectione tantum carnoſæ excreſcentiæ tollendum, quantum ſine læſione fieri poteſt; hinc reſtituendus iterum in ſuum locum didymus, & quod reliquum eſt carnoſæ ſubſtantiæ ſuppuratione auferendum.

Quum vero nulla ſpes ſit, dictis modis ſarcocelen tollendi, didymus, cum adnatâ ipſi carnoſâ ſubſtantiâ, vel totâ ſuâ ſubſtantiâ tumefactus exſcindendus eſt.

Cirſocele quatis fit affectus &c.

VII. Præterea venæ ſpermaticæ in ſcroto varicum ad inſtar dilatantur nonnunquam, & tumorem in ſcroto efficiunt, qui CIRSOCELE ſeu VARICOSA HERNIA nuncupatur. Ea namque nihil aliud eſt, quam *circa teſticulos ſpermatica vena dilatata, & varicum modo conglomerata, contortaque.*

VIII. Hinc & eadem hujus affectus cauſa eſt, quæ varicum; viz. ſanguis craſſus ac terreſtris, circa valvulas venarum ſpermaticarum ſubſiſtens, atque varicoſum hujuſmodi tumorem in ſcroto excitans.

IX. Facilè quoquè manifeſtum fit hoc malum, quod in Scroto ſupra Teſticulum circa peritonæi proceſſum venæ turgidæ, conglomeratæ, & capreoleorum modo intortæ tangantur; quodquè deorſum magis deſcendat teſticulus.

Varicoſæ herniæ curatio.

X. Cura equidem hujus affectus facilis non eſt. Ea tamen ut abſolvatur commodo aliquo ſubligaculo, aut faſciâ convenienter appoſita Scrotum cum incluſis teſtibus ſubſtententur; hoc namquè tam certum eſt remedium; ut teſte Fallopio, quidam eô ſolô curatus fuerit, quod teſtes per duos menſes faſcia ſuſpenſos geſtaverit, & quotidie *aquam* è *nucibus cypreſſi deſtillatam* adhibuerit, eâque ſcrotum humectaverit, & per ſe exſiccari ſiverit.

Digitized by Google

XI. Alii emollientibus & discutientibus curam moliuntur, ideoque Balneum usurpant, seu semicupium ex *radicibus althææ*, *semine lini*, *similibusve in aqua decoctis*, ac deinceps *oleo amygdalarum*, vel *quovis alio* locum inungunt. Alii id, quod sequitur, imponunt emplastrum,

℞. *Picis navalis* ℥vj. *colophoniæ* ℥iij.
Gummi ammoniaci, *bdellii*, *opopanacis*, *mastichis*,
Litargyri, *therebinthinæ an.* ℥j.
Bolo armeni, *thuris*, *sanguinis draconis*,
Sarcocollæ, *aloës*, *centaurii*, *symphiti*,
Gallarum, *malicorii*, *nucum cypressi*,
Lumbricorum terrestr. an. ʒij.
Glutinis pellis arietin dissol. in aqua chalyb. ℈
Aceto q. s. M. F. S. A. Emplastrum.

Quod si nec istis remediis morbus hic curetur, ad cheirurgiam deveniendum; & vel, aperturâ in scroto factâ, varicosæ testium venæ incidantur; vel simul cum didymo eædem excindantur.

BIBLIOTECA

CAPUT XXXII.

De ani procidentia.

I. PRolabitur quoque interdum anus sive podex, ac recti intestini pars extrema ità, ut post consuetam illam, quæ in egerendis alvi fæcibus accidere solet, eminentiam, rursus suum in locum, & intra corpus reduci nequeat, sed extra promineat, quod malum ANI PROCIDENTIA nuncupari solet. Ani procidentia qualis sit affectus,

II. Accidit autem ani procidentia, interdum ex nimio in excernendis alvinis excrementis conatu, quô anus adeo propellitur, ut partem recti intestini secum ducat; item in difficili ac laborioso partu. & quomodo fiat.

Digitized by Google

Fit quoque nonnunquam ob magnam irritationem, unde in dysenteria, tenesmo, & lithotomia sæpius contingit. Insuper ob musculorum, qui post alvi egestionem anum propulsum retrahere solent, imbecillitatem aut resolutionem quandoque oritur hic affectus; & ex hac causa symptoma hoc interdum ità adaugetur, sevitque, ut se vidisse scribat aquapendens ani procidentiam tam longam, ut cubiti mensuram æquaret, ac ità crassam, ut ambos cubitos simul junctos metiretur. Atqui hæc musculorum ani levatorum imbecillitas accidit, vel quia frequens & diuturna fuit ani procidentia, vel à sessione super lapide frigido, aut mora in aqua frigida, adeoque horum musculorum refrigeratione, quibus nonnulli & mollitiem nimiam ac humectationem addunt, qua de causa infantibus hoc malum familiarius est.

Diagnosis & prognosis.

III. Malum hoc per se patet, & visui manifestum est. Difficilius vero curatur in senibus, quam in junioribus. si ob solum conatum vehementem, nullâ aliâ accedente causâ, podex foras prolabatur, sponte interdum in locum suum redit, vel manus operâ facilè reducitur. Sin ex dysenteria aut tenesmo fit ani procidentia, vix curatur nisi sublatâ causâ. Quum autem ab imbecillitate aut resolutione musculorum anum retrahentium originem habeat, & quotiescunquè alvus excernitur, procidat, vix aut saltem difficulter curam suscipit.

Affectus hic quomodo curari debeat.

IV. Igitur anus ubi prolapsus est, molliter manu ægri vel cheirurgi intra corpus reponendus: vel, ne facilè deinceps prolabatur, inungatur prius *Unguento adstringente fernelii*, aut *Oleo rosarum & Myrtillorum, cui tantillum pulveris adstringentis additum*, hinc, digitorum aut lintei mollioris ope prolapsum intestinum restituatur.

Digitized by Google

Quod si intumuerit, atquè hinc repositio impediatur, fovendus anus *Lacte dulci tepido*, vel *decocto malvæ althææ*, *florum camomillæ seminum Lini*, *fœnigraci*, & *similium*.

Vel talis fiat fotus, præsertim inflammatio si adsit,

℞. *Summ. absynthii*, *hyperici*,
Flor. sambuci, *camomillæ*, *meliloti an.* Mß.
Rosarum rubr. P. ij.
Coq. in lacte dulci, *vel vino rubro adstringente.*

Noxium hîc valdè externum frigus, siquidem gangræna subitò accederet. Celerrimè adeoquè cheirurgus repositioni sese accingat, hinc conservationi vitalis caloris, usu fomenti præscripti, calidorumquè linteorum, operam omnem impendat.

V. Repositus anus suos in loco ut retineatur, adstringens aliquod fomentum spongiæ ope aliquamdiu ei admoveatur. v. gr.

℞. *Cort. grannatorum* ʒiij.
Fol. plantaginis, *quercus an.* Mj.
Flor. camomillæ, *rosarum rubr. an* P. ij.
Balaustiæ ʒij.
Aluminis crudi ʒiij.
Coq. in aqua ferrata, *vel vino rubro adstringente ad* ʒxx.

Interea danda opera, ut laxa servetur alvus, fæcesquè molliores & ad facilè excernendum apræ reddantur, ne tanto conatu in iis excernendis opus sit.

VI. Modum adhuc alium, (ridiculum sanè!) prolapsum hoc intestinum in suum locum reponendi describit Barbette *cheirurg. part.* 1. *cap.* 9. viz. manu forti aliquoties nates ægri percutit, unde ani levatores musculi illicò rectum intestinum in suum locum retrahunt.

Digitized by Google

VII. Quod si nec hisce modis anus suo loco restitui queat, jubet Hippocrates, ut ex pedibus pendens æger concutiatur; futurum enim, ut illa concussione remigret hocce intestinum. Atque in hunc ferè modum refert Fabritius Hildanus *cent.* 3. *observ.* 76. se virum quinquagenarium, cui, cum in via publica alvum exonerare vellet, anus prolapsus erat, & ex aëre frigidiore maximus in eo exortus dolor, nec non prolapsum intestinum ad magnitudinem ovi strutio-cameli tumefactum, curasse. Primo hoc applicuit fomentum.

℞. *Fol. & flor. verbasci,*
Fol. camomillæ, meliloti,
Rad. & fol. althæa an. Mj.
Sem. lini, fœnigraci an. ℥j.
Anisi. ʒj.
Coq. in lacte vacino pro fotu; qui linteamina duplicata intinxit, & per integram horam calidè applicuit.

Deinde toti intestino hunc inspersit pulverem,

℞. *Flor, rosarum rubr. cort. granatorum,*
Nucum cypressi, mastichis, thuris,
Croci martis, plumbi usti an. ʒj.
F. ex his S. A. pulvis.

Tandem caput ægri in terram inclinavit, pedes verò in altum à duobus fortissimis viris elevari curavit; mox indice manus dextræ molli linteo involuto, & præscripto decocto intincto, atquè in medium intestini prolapsi immisso, id suum in locum feliciter reduxit; & porrò quæ necessaria erant peregit.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

De uteri Prolapſu.

I. QUemadmodum anus, ita & uterus quandoquè prolabitur; viz. ubi is deorſum tendit, atquè interdum extra vulvam propendet. Hic autem uteri prolapſus nunc major eſt, ità ut ad dimidium coxarum uſquè deſcendat; nunc minor, ut vix extra pudendum promineat.

Uteri prolapſus qualis ſit affectus, & quo modo fiat.

II. Prolabitur autem UTERUS, cum ejus ligamenta, parteſquè membranoſæ, quibus naturaliter ſua in ſede detinetur, relaxantur; quod aliquandò contingit, ob magnos in dejectionibus difficilioribus conatus, vel propter vim partus, nimiam corporis humiditatem, &c. vel ſi ſaltu, aliavè corporis commotione validâ ac ſæpius iteratâ uterus in ſinum impellatur. Atquè hic uteri prolapſus prout major vel minor eſt, ſic interdum ad mediam prolabitur vaginam; aliquando ad vulvæ uſquè orificium, ut uteri oſculum in ſinum pudoris decidat, & vaginâ inverſâ, extrà propendeat; nonnumquam deniquè totus extrà vulvam excidit, ac variis modis afficitur.

Vera Uteri procidentia an detur.

III. Sed hanc uteri procidentiam multi negant, cenſentque laxitatem quandam vaginæ, quæ extra pudendum prominet, hæc ludibria facere. In primis Jobus Meekeranus *obſerv. cheirurg. cap.* 51. & Henricus à Roonhuyſen *obſerv. part.* 1. *obſerv.* 2. pluribus tum rationibus, tum exemplis probare conantur, uterum ipſum prolabi nunquam poſſe; ſed relaxationem & procidentiam rugoſæ vaginæ ſubſtantiæ pro utero prolapſo haberi & curari. Hiſce adſtipulatur Kerckringius *ſpicil. anatom. obſerv.*

Negatur.

Digitized by Google

20. & Cl. van Horne, qui *Microtechne sect. 2. part. 1. §. 28.* ita scribit.: „ Circa uteri procidentiam „ hoc monendum habeo, vix ac ne vix quidem, „ imo omnino non contingere posse, ut uteri „ corpus propendeat extra vulvam; atque proinde „ non adeo frequentem esse hunc affectum ac vul- „ gò creditur. Cæterum decipiuntur Obstetrices, „ & cum iis magna pars medicorum, à vagina ru- „ gosa uteri, quæ post difficilem partum aut etiam „ ab imperita obstetrice, à subjectis partibus avulsa, „ accedente pituitosorum humorum affluxu ità ex- „ tenditur, atque in tantum sæpè augetur hoc ma- „ lum, ut extrà vulvam pendula vagina imitetur „ vasculum aliquod pyriforme, nam quo major est „ prolapsus, eo radix ipsius angustior fit; ac pro- „ inde cum ob Gangrænam abscindere eam cogi- „ mur, parvo admodum periculo idem fit.

IV. Verum fateamur licet, rugosam uteri vaginam post difficilem partum, aut ab imperita obstetrice, à partibus subjectis avulsam, accedente pituitosorum humorum affluxu, nonnunquam ità extendit, ut extra vulvam pendeat; hoc tamen non probat, ipsum uterum quoque prolabi non posse. Sic legimus apud Carpum, *in Isagoge anatomica*, historiam mulieris, cui uterus non tantum foras prolapsus, verum etiam exsectus est. Habemus apud Paræum *chirurg. libr. 23. cap. 41.* exemplum uteri prolapsi, & à Paræo exsicisi, ac post mulieris mortem in abdomine non inventi. Similiter apud Hildanum *cent 4. observ. 60. 61. 62.* tria hujusmodi uteri prolapsus extant exempla. Et plura discribunt Felix Platerus *observ. libr. 3.* Th. Bartholinus *cent 2. observ. 91. cent. 5. observ. 9.* Dom. de Marchetis, *Anat. cap. 7.* Cl. Diemerbroekius *anat. libr. 1. cap. 24.* Stalpert vander wiel *observ. Anat. & Cheirurg. 69.* aliique quandoquidem igitur ratio

Asseritur.

dictat, humores à toto corpore defluentes uteri ligamenta humectare, ac relaxare in tantum posse, ut in vulvam is descendat; & experientia confirmat, in locis humidioribus hunc morbum satis familiarem esse, de vero uteri prolapsu amplius dubitare non licet. Imò verò ab eo conatu, quem in partu mulier adhibet, si præsertim ob difficultatem pariendi magna vi peragatur, uterus cum fœtu in sinum vaginæ quandoque detruditur. Ità memini me ad mulierem difficulter parturientem vocatum 20. Januarii 1686. in qua cum obstetrice & præsentibus mulieribus observari uterum cum incluso fœtu in vaginam ad vulvæ usque orificium prolapsum, prominente extrà pudendum interno uteri osculo ad duorum digitorum latitudinem. Historia.

V. Haud ineptè igitur Cl. Blasius *observ. medic. part. 3. observ. 1. & 2.* uteri procidentiam distinguit in veram, & imperfectam. Vera uteri procidentia dicitur, quando ipse uterus, membranosis ejus ligamentis laxatis, deorsum tendit, atque in vel extrà vulvam propendet, foras prominente interno ejus osculo. Verum imperfecta procidentia nuncupatur, quoties relaxata, & extrà pudendum prominens vagina hæc ludibria facit.

VI. Cæterum altera hîc restat difficultas, scilicet *an ipse uterus inverti possit?* huic quæstioni respondemus, in difficili partu, dum placenta firmiùs utero adhæret & ab imperitis obstetricibus nimium protrahitur, id quandoque contingere posse, qualia exempla occurrunt apud Petrum de Marchettis *obs. chirurg. 61.* Kalper vander wiel *obs. anat. & chirurg. 67.* aliosque in virginibus vero hoc impossibile judicamus, propterea quod crassa & membranosa colli uteri substantia in illis exiguo tantum foramine pervia sit. Ipse Uterus an prolabens inverti possit?

VII. Uterus vero si prolapsus fuit intra vul- Diagnosis.

Digitized by Google

vam, exiguus apparet tumor, quasi extensæ pellis; & pondus veluti ovi majoris circa pudenda percipitur. At quum omninò prolabatur, tumor adest ovi anserini adinstar, in cujus ima parte foramen conspicitur exiguum, quod est internum uteri osculum. Sin autem rugosa vaginæ substantia, relaxata, nimium extra pudendum promineat, id haud difficulter observatur.

Prognosis.

VIII. Equidem affectus hic dum recens est, & potius uteri in vaginam descensus, quam ejusdem extra vulvam procidentia, facilius curatur. Arqui diutius si duraverit hoc malum, indiesque augeatur, difficulter, & non nisi longo tempore sanatur. Insuper facilius curam suscipit in junioribus, quam adultioribus; quibus uterus, etsi reponatur, levi de causa iterum procidit. Imperfecta quoque uteri procidentia curatu haud ità difficilis est.

Curandi Methodus.

IX. Igitur morbi hujus curatio. (sive uteri procidentia sit vera, *hoc est*, ipsius uteri prolapsus; sive sit imperfecta, *id est*, rugosæ vaginæ uteri substantiæ relaxatio, & extrà vulvam procidentia) repositionem ejus quod prolapsum est, repositi in suum locum conservationem, nec non laxatarum partium adstrictionem & confirmationem requirit.

X. Sed ante repositionem considerandum est, an uteri aut vaginæ relaxatæ procidentia sit simplex, an vero adjungatur ipsi inflammatio, aliusvè tumor. Hisce namque apparentibus, reposito nec tentetur, nisi evanuerint hæc symptomata. Quem in finem pars prolapsa foveatur *decocto florum camomillæ, meliloti, herbarum calamenthæ, pulegii, rosmarini, seminis, dauci, levistici, &c.* Hinc tumore imminuto evacuatoque per clysterem stercore, atque urinâ excretâ, (ut undique à compressione liber sit uterus) Ægra in lecto supina collocetur, & coxis elevatis, poplitibusque reflexis, ac capite quantum fieri

Digitized by Google

fieri poteſt demiſſo. Ipſa baſin tumoris manibus apprehendat, eumque introrſum adigat. Quod ſi ipſa perficere nequeat, Cheirurgus aut Obſtetrix digitum in ejus orificium immittat, ac ſenſim uterum attollat: vel accipiat candelam ceream, ſuâ craſſitie vaginæ muliebri reſpondentem, & eâ citrà violentiam omne id protrudat, quod procidit, donec tota moles ſuum in locum reducatur.

Scribit Roderius à caſtro *de morbis mulierum lib. 2. cap. 16.* Utile eſſe, ut Medicus vel Cheirurgus ferrum ignitum manu oſtendat, ſimuletque, quaſi eo tangere vellet prolapſum uterum: ſic enim retrahi uterum, uti & prolapſa inteſtina. Atque refert Cheirurgum exercitatiſſimum ita curaſſe quendam, qui vulnus in ventre acceperat, per quod inteſtina egrediebantur; quæ cum nullo remedio reduci potuiſſent, nihil aliud profuiſſe, quam quod magnum ferramentum candens, coram patiente manu tenens, vulneri applicaturum finxit; cujus rei ſubito terrore inteſtina è veſtigio ſuum in locum reducta fuiſſe.

IX. Poſtquam autem uterus fuit repoſitus in ſuum locum, ut ibidem contineatur, mulier in lecto reclinetur cruribus extenſis, ità ut unum alteri incumbat, & iſto in ſitu aliquot dies maneat interim adſtringens & roborans fotus uteri regioni ſpongiæ ope continuò adhibeatur. v. gr.

℞. *Rad. conſolidæ majoris, rubiæ tinctorum an.* ʒiij. *Iridis florentinæ* ʒij. *Herb. matricariæ, ſalviæ, pulegii,* Fol. *Quercus, flor. roſar. rubr. an.* M. *Balauſtiæ, glandium, aluminis, Sem. cumini an.* ʒij. *Coq. in ſ. q. vini rubri adſtringenti ad* ℔iij. *pro fotu.*

Regioni umbilicali nonnulli imponunt *Emplaſtrum ad rupturam*, vel *oxycroceum*, vel id quod ſequitur,

℞. *Opoponacis* ʒij. *Styracis liquidæ* ʒß. *Turis, maſtichis, picis, boli armen. an.* ʒij.

Digitized by Google

Cera q. s. F. *S. A Emplastrum.*

Etiam valde hic laudantur *suffitus ex cortice, vel pulvere ligni Quercini* dicto (*Kunʒof. saag. meel.*) Alii volunt, ut suffimigetur *pelle anguillæ sale conditæ.*

XII. Interim cura habeatur, ne alvus pigrior sit, vel laxior. Si enim duræ sint fæces, uterus in iis egerendis facilè præcipitatur, lubrica verò alvus membranas uterum alligantes plurimum laxat. Insuper & omnes causæ, quæ prolapsum hujus partis excitare valent, tollendæ; atquè corpori universo, tum utero ipsi prospiciendum. Quem in finem multum conducunt *Decocta ex guajaco, salsaparilla, china sassaphras, additis & iis, quæ uterum roborare valent* continuo usurpata.

XIII. Sin verò nulla perfectæ curationis spes sit; ut tamen à procidentia hac, quæ facilè iterum accidit, secura sit fœmina, *Pessulos*, seu potius *globulos cereos* in uterum intrudere, ibidemquè relinquere solent, de quibus videantur Roussetus *de partu cæsareo sect. 6. cap. 34.* paræus *libr. 23. cap. 41.* hildanus *cent. 4. observ. 61.* loco pessariorum in uteri procidentia quædam uti solent *circulis ex subere factis, & cerâ obductis.* Vid scultetus *armam. cheir. tab. 17.* veruntatem *subligaculum* seu *zona* (quæ pro re nata diversimode parari solet) hic potius adhibenda mihi videtur; hac enim munitæ mulieres sine periculo procidentiæ ambulare, & munera sua obire possunt.

XIV. Atqui prolapsus uterus quum gangrænâ corripiatur, nec ea sisti possit, quin potius in sphacelum abeat, eum abscindendum nonnulli suadent; sed cum periculosa admodum sit hæc cheirurgiá, eam non facile instituendam censeo. Si tamen relaxata nimium vagina extrà vulvam procidat, atque sideretur; ea, vel sectione, vel strictiore ligaturâ sine periculo auferatur, ac porrò curetur.

Digitized by Google

PRAXEOS CHEIRURGIÆ

LIBER SECUNDUS.

DE

VULNERIBUS.

CAPUT I.

Quid Vulnus, quæ sint illius Differentiæ, Causæ, Diagnostica.

Vulnus quid sit.

I. VULNUS ex communi omnium consensu nihil aliud est, quam *solutio continui* seu *continuitatis*. Sed ut melius innotescat natura vulneris, videndum est, qualis nam sit hæc continui solutio, ad quam pro cognitione vulneris nos transmittunt veteres, enimverò *solutio continui*, quæ quibusdam *soluta unitas* vel *unitatis divisio* dicitur, est *separatio ab invicem partium alicujus membris*, cui separationi contraria est unio, & continuitas. Sed cum contrariorum eadem sit ratio & disciplina, si viderimus, quid sit hæc partium unitas, ex hac quoque palam fiet, quid erit unitatis solutio. *Unio* autem, sive *unitas partium* dicitur *constitutio secundum naturam*, atquè *naturalis compaginatio* seu *conjunctio*. Quum ergò unio sit constitutio naturalis, solutio hujus unitatis erit habitus præter naturam; unde sequi-

Digitized by Google

tur, quod sit morbus. Equidem non omnis continui solutio vulnus est: idem namquè dici potest de ulcere, atquè fractura.

II. Hinc alii strictius definiunt vulnus, *solutionem continui in carne cæsim factam:* quo dicto nec contusio, nec punctio, nec morsus alicujus animalis inter vulnera numerari potest; quibus tamen affectibus vulnerum nomen jam dudum inditum fuit. Unde & nos per vulnus intelligimus omnem continui solutionem, tam cæsim, quam punctim, sivè per contusionem factam, non solum carnis, sed nervorum, venarum, arteriarum, aliarumque mollium partium. Idquè definimus, quod sit *solutio continui recens, cruenta, in parte molli, extrinsecus incidens, sive ab externo quodam instrumento inflicta.* Atquè hæc vulneris definitio sanè perfecta est; quippe quæ optimè ejus naturam explicat, nequè magis, nequè minus comprehendit; nec non ab ulcere, & fractura manifeste illud distinguit.

Vulneris definitio

III. Sed quum vulnus dicatur continui solutio in parte molli tam cæsim, quam punctim, & contusim facta, modo dicendum, qui unaquæquè harum continui solutionem species sit.

Vulnerum species ac Differentiæ.

Incisio est plaga, sive vulnus cæsim illatum instrumento longioris aciei, ut ense, cultro, similisvè.

Punctio est partis alicujus mollioris perforatio à re acuta, ut sagitta, pugione, mucrone; aut ab alicujus animalis morsu, ictuve facta.

Contusio est partis carnosæ solutio continui interna, integra manente cute, quæ fit ab instrumento gravi ac rotuso; ut si quis membrum aliquod in lapidem impingat, aut ligno fortiter percutiat.

Differentiæ porrò vulnerum permultæ sunt. Enimverò differunt quædam respectu partium vulnera-

Digitized by Google

tarum, unde alia ſunt in carne, alia in tendine, alia in nervo, alia in vena, alia in arteria, alia in capite, alia in collo, alia in thorace, &c.

Quædam differunt ratione vulneris eſſentiæ, unde vulnera alia ſimplicia ſunt, alia compoſita. Simplicia dicuntur, quæ cutem duntaxat carniſquè portionem occupant, ſine ulla partis deperditione. At compoſita, ſunt, quando & cutem & carnem cum ſubſtantiæ amiſſione invadunt.

Alia differunt ratione periculi & ſecuritatis, vel impedimenti remanſuri & ſic quædam lethalia, quædam non lethalia, quædam nullum adferunt poſt ſanationem impedimentum, quædam membra poſt ſanationem vel impedita, vel debilitata vel deturpata relinquunt.

Alia differunt reſpectu inſtrumentorum vulnerantium; & hac ratione quædam cæſim inflicta ſunt, quædam punctim, quædam cum inſtrumentis ſecantibus, quædam diſcerpentibus, quædam contundentibus, & ſic porrò.

Deniquè differunt vulnera juxta quantitatem, quo pacto quædam magna ſunt, quædam parva, quædam mediocria, quædam altè penetrantia & profunda, quædam lata & ſuperficiaria. &c.

Generales Vulnerum Cauſæ.

I V. De *cauſis vulnerum* multa dicere opus non eſt. Eæ namque ſunt omnia illa, quæ extrinſecus advenientia continuum ſolvere ac dividere poſſunt; incidendo, pungendo, rumpendo, contundendo, perforando. Sic vulneris cæſim facti cauſæ ſunt omnia inſtrumenta, quæ incidendi vim habent, ut enſis, culter, vitrum, &c. Punctura cauſæ ſunt quæcunque acuta, ut ſagittæ, acus, dentes animalium. Rumpunt quæcunque partem mollem diſtendunt, & in partes contrarias divellunt, ut gravioris ponderis elevatio vel geſtatio, caſus, percuſſio, vociferatio. Contundunt gravia, dura, ac retuſa,

Digitized by Google

ut lapis, lignum, plumbum, &c. Perforant ferrum ignitum, globi plumbei è sclopetis emissi, &c.

Signa vulnerum Diagnostica.

V. Quoad *dignoscin*: vulnus ipsum per se sensibus manifestum est, nec signis, quibus cognoscatur, opus habet. Verum etsi sensui pateſcat, quis in cute locus sit vulneratus; si equidem vulnus ad interiora penetret, quæ intus partes vulneratæ sint, haud ità obvium est. Enimvero vulnera omnia quæ corpus nostrum lædunt, aut sunt externa & in partibus continentibus, aut interna ac penetrantia. Si externa sunt, judicium de iis visu & tactu fieri solet ac potest: sin vero interna & penetrantia; ea quidem sunt aut in capite, aut in thorace, aut in inferiore ventre, una cum partium contentarum læsione, aut sine earum læsione.

Si vulnus in cavitatem aliquam penetret, nec partes quæ ibi continentur offendat; ea penetratio dignoscitur specillo ferreo, aut plumbeo, vel tenui cerea candela partes autem internæ nullo modo offensæ videntur, quum nullum grave symptomata sese prodat. At si penetrando præcipuam quandam partem contentam læserit vulnerans instrumentum, ejus læsionis signa breviter nunc exhibebimus.

Quod si vulnus igitur in caput penetraverit, atque cranium fregerit, (id quod visu & tactu judicare debet Cheirurgus) vel Menynges læduntur, vel ipsum cerebrum offenditur.

Membranarum cerebri læsarum signa sunt, maximi ac extremi dolores qui repente superveniunt, nauseæ vomitiones, nec non sanguinis per aures, oculos, nareſque effluxus; insuper mentis accedit alienatio, præcipue si punctum vulnus inflictum fuerit. Interdum tamen læsum pericranium eadem symptomata parit. Quod si cerebrum in sua substantia læsum sit, omnia hæc accidentia augentur, magis intenditur febris, atque non raro mutus sit patiens,

Digitized by Google

omnique loquendi facultate prorsus destituitur.

Quum vero in thoracem penetret vulnus, plerumque offendit aut pulmonem, aut cor, aut pericardium, aut diaphragma, aut vasa quæcunque. At thoracem penetrare cognoscitur specillo, visu, tactu, quumque aër è vulnere exeat, aut quum æger medicamentorum vulneri impositorum saporem ore percipiat.

Atqui pulmonem læsum esse judicamus, quando tum è vulnere, tum ex ore egeritur tenuis, spumosusque cruor; nec non sonora, premens, ac difficilis est respiratio.

Quum vero lædantur vel ipsum cor, vel magna in thorace vasa, immodicus fit sanguinis fluxus, qui totam mox implet capacitatem, extremitates refrigerantur, sudorque frigidus erumpit, certus mortis nuntius & index.

Quod si diaphragma continui solutionem recipiat, magna spirandi difficultas, acutas febris, aliaque gravia accedere solent symptomata.

Quum autem in ventrem inferiorem vulnus penetret, (id quod specillo, visu, tactu, & vaporibus exhalantibus judicamus) offendi aut jecur, aut lienem, aut ventriculum, aut intestina, aut renes, aut vasa majora, aut vesicam urinariam, aut uterum, si patiens sit mulier.

Ventriculus sin vulneratus sit chylus per vulnus exit, hinc perpetuus vomitus consequitur, tandem singultus, animi deliquium, aliaque plura superveniunt, accidentia.

Intestina vulnerata esse cognoscimus, quum per ipsum vulnus quoque exeant excrementa, vel magis minusve crassa ac fœtentia, prout aut crassum aut tenue læsum sit intestinum. Cæterarum porro partium vulneratarum signa ex antedictis nunc abunde innotescent, & suis locis tradentur.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Vulnerum prognosticis.

I. SEd priusquam vulneris curam aggrediatur Medicus, omninò de PROGNOSTICIS sollicitus esse debet. Viz. Præcognoscendum, sit ne sanabile vulnus, vel insanabile. Sin sanabile, an curatu facile sit, an verò difficile, atque integra & pristina sanitas an ægrotanti restitui queat, vel an sanatus membri alicujus sit passurus actionem læsam. Atqui insanabile si sit vulnus, an lethale sit, & ad mortem vergat, an verò in ulcus curatu arduum sit degeneraturum.

II. Primo itaque diligenter expendendum, *quæ vulnera sint lethalia, quæ non.* Etenim quæstio hæc magni momenti est, atque diligenter & accurate Medico pensitanda, ac cognoscenda. Namque cum in judiciis & foro vita nonnullorum ob vulnera aliis inflicta periclitetur, & à Judicibus Medicorum sententia hac de re requiratur, diligens danda opera, ut talem de vulneris natura sententiam ferat Medicus, qua innocens non condemnetur, nec reus absolvatur.

Quæ vulnera lethalia sint dicenda.

III. Idcirco hîc notandum, non omne vulnus, quod mors sequitur, dicendum esse lethale; sed id solum, quod suapte naturâ mortem adfert. Atquè hoc sensu Vulnerum quædam lethalia dicuntur, quædam indifferentia; quod aliquando lethalia sint, aliquandò non, pro Medentis industria, ægri natura, constitutione, ætate, robore, & obedientia, pro temporis ratione, regionum qualitate, &c. Lethalium igitur alia absolutè, seu ex necessitate lethalia sunt, quod omnino semper ægrum interimant; alia non necessario, sed ut plurimum occidunt.

Digitized by Google

IV. *Vulnera ex neceſſitate lethalia* ſunt ea, quæ omne medelam effugientia brevi temporis ſpatio vitam adimunt, uti ex Juriſconſultis notat Farinac. *de homicid. quæſt.* 126. *num.* 5. *lethalia ut plurimum* ſunt, quorum curatio difficilis eſt, & ſæpius malè ſuccepit, non quod ſemper interficiant, adnotante ex ipſis Juriſconſultis Barboſ. *in collect. doct. tit.* 12. *cap.* 18. *num.* 7. *tom.* 2. Nam poteſt quidem vulnus eſſe ſecundum plurimum lethale ex ſua natura, & tamen vulneratus ex vulnere convaleſcere; quemadmodum etiam aliqui morbi, tametſi lethales videantur ſuâ naturâ, nonnunquam curantur.

V. Sunt autem lethalia vulnera judicanda, primò & præcipuæ *ex natura partis vulnerata*, dehinc ex vulneris qualitate ex ejuſdem quantitate, ætate patientis, ſexu, temporis conſtitutione, loci conditione, ſtatu ipſius vulnerari, qualitate inſtrumentorum vulnerantium, accidentibus plerumque vulneribus ſupervenire conſuetis, aliiſque nonnullis conditionibus ab extra accedentibus. At, ſeu dixi, *natura ipſius partis vulnerata præcipua cauſa eſt periculi & ſecuritatis vulnerum.* Cætera enim omnia per accidens ad id concurrunt, uti palam eſt; cum hæc, ſiquidem vulnera ex partis vulneratæ natura ſint lethalia, faciant ad mortis acceleracionem aut retardationem: aut ſi lethalia non ſint, poſſint ea reddere minoris vel majoris ſecuritatis, facilioris aut difficilioris curationis, ex. gr. vulnus ſimplex in parte carnoſa omnem ſecuritatem, quantum ex ſe eſt, ſolet promittere; quale eſſet vulnus in carnoſa parte brachii. Quod ſi id ipſum vulnus magnum ſit, ſi accedat aëris conſtitutio contagioſa, ſi æger ſit debilis, ſenex, aut valetudinarius, ſi arma fuerint venenata; hoc ipſum vulnus, quod aliàs tutum erat, evadet dubium, & lethale.

IV. Hinc ſapienter dictum eſt ab hippocrate

Digitized by Google

lib. 2. prædict. quod ex omnibus vulneribus contingit homines mori: quod idem monent Vallesius *comm. 5. epid. text. 16.* Paræus *chirurg. 8. cap. 4.* aliique. Quia potest vulnus esse salutare, & tamen vulneratus vel ob morbosum corporis habitum, vel ob occultam quandam læsorum circumstantiumque corporum cacoëthiam decedere, vel aliis accidentariis ex causis. Unde etiam si, quoad magnitudinem, vulnusculum nullo modo consideretur, ita ut neque vulneris nomine dignetur; respectu tamen partis læsæ potest esse absolutè lethale: ex. gr. si cor attigerit, aut si ad internas alias nobiliores partes penetraverit, aut si acus in nervosam particulam profundius adapta sit; quale exemplum habemus apud hippocratem *libr. 5. epidem. text. 44.* sutoris solearum veteramentariarum, qui acu sese pupugit juxta genu, & tertio à vulnere die mortuus est; sic etiam aristo apud eundem hipp. *libr. 7. epidem text. 97.* ex vulnere digiti pedis, succedente gangrænâ mortuus est, quod fortè nervosam partem læsisset. Conjung. Foresstus *libr. 6. observ. 49. 50.* Hildanus *cent. 1. observ. 21. cent. 5. observ. 2. 85.* Quæ exempla satis declarant, vulnus aliquando esse quidem respectu magnitudinis parvum, sed partis vulneratæ ratione maximum, quia mortem facillimè accersit.

VII. Ergò partis natura præ cæteris omnibus vulnerum conditionibus venit consideranda, juxta quam lethalia vulnera Hipprocrates „ septem pro„ nunciat *Sect. 6. aphor. 18.* Cui perfecta est ve„ sica, aut cerebrum, aut cor, aut septum trans„ versum, aut aliquod ex intestinis tenuibus, aut „ ventriculus, aut hepar, lethale. Hunc tamen „ aphorismum tum limitat, tum ampliat *in coacis* „ *aphor. 509. in cod. fæsii* dum inquit: Ex vulnere „ ferè mors contingit, si cui vulneratum fuerit

Digitized by Google

„ cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum
„ tranſverſum, vel cor, aut veſica, aut quædam
„ grandis vena. Mors quoquè ſubit, ſi in arteriam
„ & pulmonem inſignes valdè plagæ inflictæ fue-
„ rint, ità ut percuſſo pu mone, minor ſit, qui
„ per os prodit ſpiritus, quam qui per vulnus ex-
„ cidit. Intereunt verò, quibus nervi interiores,
„ ſive tenuis aliquis, ſive craſſus vulnus acceperit
„ ſi plaga tranſverſa fuerit, & magna: quod ſi parva
„ & recta, nonnulli periculo eximuntur. Minimè
„ autem ab his vulneribus mors, impendet, quæ
„ in corporis partes, in quibus hæc non ſunt, aut
„ ab his quam longiſſimè abſunt, infliguntur. E-
„ tiam C. Celſus *lib. 5. cap.* 26. ſententiam hip-
„ pocratis ad hunc modum expreſſit. Servari non
„ poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtoma-
„ chus, cui jecinoris portæ, cui in ſpina me-
„ dulla percuſſa eſt, cuiquè aut pulmo medius,
„ aut jejunum aut tenuius inteſtinum, aut ventri-
„ culus, aut renes vulnerati ſunt, cuivè circa
„ fauces grandes venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt.
„ Vix autem ad ſanitatem perveniunt, quibus ulla
„ parte pulmo, aut jecinoris craſſum, aut mem-
„ brana quæ continet cerebrum, aut lien, aut vulva,
„ aut veſica, aut ullum inteſtinum, aut ſeptum tranſ-
„ verſum vulneratum eſt. Hi quoquè in præcipiti ſunt,
„ in quibus uſquè ad grandes, intuſquè conditas
„ venas, in alis vel poplitibus mucro deſedit. Peri-
„ culoſa etiam vulnera ſunt, ubicumque venæ ma-
„ jores ſunt, quoniam exhaurire hominem profu-
„ ſione ſanguis poſſunt. Idque evenit non in alis
„ tantum, atque poplitibus, ſed etiam in his venis
„ quæ ad anum, teſticuloſque perveniunt. Præter
„ hæc malum vulnus eſt, quodcumque in alis,
„ vel feminibus, vel in anibus locis, vel in ar-
„ ticulis, vel inter digitos eſt, item quodcumque

Digitized by Google

„ musculum, aut nervum, aut arteriam, aut mem-
„ branam, aut os, aut cartilaginem læsit. Sed partium harum vulnera ordine nunc consideremus, & quæ vel absolutè vel simpliciter lethalia sint, quæ non videamus.

Qualia sint vulnera cerebri.

VIII. Igitur inter lethalia referri debent *Vulnera Cerebri*; at non omnia. Vidit namque ipse Galenus hujusmodi vulnera curata, uti refert *comm. in Hipp. Aphor.* 18. *sect.* 6. & *libr.* 8. *de usu part cap.* 10. Exempla quoque habentur apud Valleriolam *lib.* 4. *obs.* 10. *lib.* 5. *obs.* 9. *lib.* 6. *observ.* 4. Hildanum *cent.* 4. *observ.* 1. 2. 3. Et longum catalogum illorum, qui vulnera cerebri sanata viderunt, resencet Joh. Andr. à Cruce, *de Vulner. lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 14. *de cerebro sauciato.* Imò observatum fuit, particulâ cerebri amissâ, Ægrum nihilominùs convaluisse; cujus rei variæ historiæ notatæ sunt à Nicolao massa, Carpo, Fallopio, Christ. à Vega, Francisco Arcæo, Horatio Augenio, Petro de Marchettis, aliisque præstantissimis practicis. Sunt quoque notatu dignæ historiæ de periculosissimis cerebri vulneribus, quæ extant apud Cabrolium *obs.* 16. 22. 34. Henricum petræum Matthiam Glandorpium, Sennertum, Diemerbroeckium *in anatome corporis humani.*

At non solum vulnera cerebri parvi facienda non sunt; sed nec levissima capitis vulnera unquam negligenda, uti cum Hippocrate monent Horatius Augenius *lib.* 9. *Epist.* 3. Aquapendens *oper. cheirurg. libr.* 2. *cap* 15. Et ex Jurisconsultis Farinacæus *quæst.* 126. 127. Habent enim capitis vulnera quid peculiare, ac omninò diversum à plerisque aliis vulneribus, quum partium aliarum vulnera, etiamsi non contemnendæ sint magnitudinis, negligi tutius possint, quam levissima capitis.

Medulla Spinalis.

IX. Quoad *Spinalis Medullæ Vulnera*; cum Spinæ Medulla in partibus sub cerebro sitis, cerebri

Digitized by Google

vices gerat, & cum cerebro substantiam, membranasque communes habeat, haud secus ac cerebri vulnera, ea Spinalis Medullæ lethalia meritò pronunciantur; in primis si superior ejus pars vulneretur: qua læsa, spirituum animalium in totum corpus influxus tollitur, hinc omnium capiti subjectarum partium sensus, motusque aboletur, adeoque & cæteræ omnes actiones silent, & brevi pallida mors sequitur.

X. *Cordis Vulnera* quoque inter lethalia, non sine ratione, recensentur ab Hippocrate: namque ea absolutè vel ex necessitate semper ægrum interimunt. Et licet nonnulli cum iis per exiguum tempus vixerint, nunquam tamen sanari potuerunt: imo plerique eo ipso ferè momento, quo vulnus in ventriculos penetrat, tanquam fulmini icti, concidunt, quod semel nobis videre contigit. 4. Octobris 1680. Si tamen vulnus admodum exile in ventriculos penetret, tum interdum, etsi rarò accidit, hominem tam subitò non corruisse, sed paucas horas supervixisse. Ità vidit Paræus virum in corde vulneratum per ducentos passus cucurrisse. Meminit Scenkius *observ. Medic. lib.* 2. studiosi, qui vulnus punctim per utrumque ventriculum recepit, & tamen plateæ longæ spatium cursu confecit, ac mente sanus ferè per horam vixit. Jonstonus, Henricus ab Heers, Tulpius, & plures alii, varia referunt exempla eorum, qui corde vulnerato aliquot horas, imò diem unum & alterum vixerunt. Hoc & nos observavimus in quodam Juris studioso; qui 1688. 9. Julii octavâ circiter vespertinâ ense vulneratus fuit in sinistro thoracis latere juxtà papillam, penetrante vulnere inter quartam & quintam costam. Hoc postquam inflictum fuit, difficulter admodum spiravit, ac cruor immodicè profluxit, adeò ut animo fermè deficeret, & Chirurgus foramen pro-

Cordis

Observatio rara.

Digitized by Google

tinus occludere cogeretur. Quo facto augebatur in horas summa spirandi difficultas, ut tandem 11. Julii horâ ante meridiem undecimâ expiraverit. Vocati à Nob. & Ampliss. Prætore ac Judicibus cadaver aperuimus, & vidimus sinistram thoracis partem sanguine fermè repletam, atque penetrasse gladium per pericardium in sinistrum cordis thalamum, qui prope mucronem pepitus perfossus fuit. Quod verò inflicto hoc lethali vulnere, ultrà triginta octo horas supervixerit patiens, factum fuit quoniam singulis cordis contrictionibus, mucrone ad basin ascendente, ventriculi istius vulnera ità fuerunt occlusa, ut nihil nisi per quam exigua cruoris portio emanaverit, unde nec patiens tam subitò extingui necesse habuerit. Fernelius *Pathолog. libr. 5. cap. 12.* dicit: „ Vulnera cordi inflicta, quæ „ non altè in ventriculos penetrant, non protinus „ interimunt. In quodam, qui sensim contabescens & liquescens, de medio tandem sublatus est „ tria ulcera in corde reperi non parum cava „ & sordida, multo ante jam tempore contracta. Simile quid de cordis ulcere refert Petrus de Marchettis *observ. Chirurg.* 47. de quondam, qui paulatim longo temporis tractu omninò emaciatus, tandem obiit in cujus dissecto cadavere invenit magnum ulcus, quod non solum cordis capsulam, verum etiam substantiæ cordis magnam partem excederat, usque dum tandem penetrasset in sinistri ventriculi cavitatem, ægrumque sic occidisset. Sed oppidò rarum est exemplum, quod habet Cl. Diemerbroeckius. *Anat. libr. 2. cap. 6.* cujusdam viri robusti in corde vulnerati, vulnere penetrante in superiorem partem dextri ventriculi, suprà valvulas tricuspides, prope ingressum venæ cavæ; qui tamen ultrà novem dies supervixit. At quoniam angustum admodum erat vulnus, & suprà valvulas inflictum, hinc factum fuit, quod in cordis constrictione totus,

Digitized by Google

qui in dextrum ventriculum è cava profluxerat, ſanguis, propter valvularum tricuſpidum impedimenta, per vulnus expelli non potuerit, ſed maxima ejus pars per arteriam pneumonicam, quæ vulnere multo latior erat, in pulmonem fuerit propulſa, atque inde porrò ad ſiniſtrum ventriculum, & arteriam pericardium & thoracis cavitatem expelli potuerit, unde etiam vires tardius collapſæ ſunt. Hiſtoria quoque per quam rara militis, qui in corde ſaucius vitam ultrà quindecim dies ſuſtentavit, habetur apud Sennertum *Prax. libr. 5. part. 4. cap. 3.*

Verumenimvero vulnera in cordis cavitatem penetrantia non ſolum abſolutè, & ex neceſſitate lethalia ſunt, ſed & vulnera ſi cordis ſubſtantiam muſculoſam tantum attingant, omnem quoque medelam effugiunt, atque patienti vitam adimunt; quia quacunque cordis partem quomodocunque attigerit vulnus, coaleſcere, ob continuum ejus motum, non poteſt; unde & inflammatio, aliaque gravia ſymptomata ſuperveniunt, quæ neceſſario hominem, ſi non ſubito, ſaltem non multo poſt interficiunt. Audite de cordis vulnuſculis non penetrantibus, lethalibus equidem, hiſtoriam, quam Paulus Zacchias *quæſt. med. legal. libr. 5. titul. 2. quæſt. 2.* ità deſcribit: „ Maniacus quidam ſacer-„ dos cum furore ductus ſe primum caſtraſſet, imo „ univerſum panem cum ſcroto & teſtibus abſci-„ diſſet, in eodem furore perſiſtens, accubus qui-„ buſdam fortibus pectus ſub ſiniſtra mammilla ſi-„ bi transfodit, tandemque poſt nonnullos dies, „ quinque nimirum aut ſex, ab hiſce vulnuſculis „ illatis vitam, quam oderat, facilè amiſit. Aper-„ to cadavere, acus omnes ad cordis ſubſtantiam „ penetraſſe repertæ, cum quibus tamen potuit per „ nonnullos dies ſupervivere. Igitur quomodocun-

Digitized by Google

que sit, quod aut eadem horâ, ac momento, vel subsequenti die, vel etiam post duos, tresve, aut plures dies, qualescunque cordis vulnus interficiat; ea conclusio rara ac firma maneat, quod *cordis vulnera, sive in ventriculos usque penetrent, sive non, necessario ægrum interimant.*

Pulmonis

XI. Non minori jure *pulmonis vulnera* inter lethalia refert hippocrates *in coacis prænotionibus.* At vero tam absolutè quæcunque pulmonis vulnera pronunciari nequeunt lethalia, ac si nullum huic visceri inflitum vulnus unquam curetur: quapropter ipse hipp. addit limitationem; si viz, vulnus sit magnum, ut pulmone sauciato minus spiritus per os prodeat, quam è vulnere excidat; atque si vel vas sanguineum magnum, vel asperæ arteriæ ramus lædatur. Enimvero omnia pulmonis vulnera lethalia semper non esse, docuit nonnunquam experientia, qua constat, nonnullos per totum thoracem & pulmonem fuisse perfossos, & nihilominus convaluisse. Videantur hildanus *cent.* 2. *obs.* 32. *cent.* 3 *obs.* 36. *cent.* 1. *epist.* 52. sennertus *prax. libr.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. valleriola *libr.* 4. *obs.* 10. Nicolaus Massa, Franciscus Arcæus, Fallopius Forestus, Tulpius, & alii.

Ea igitur pulmonis vulnera absolutè lethalia non sunt, in quibus saltem pulmonis substantia, non vero magna vasa; læsa sunt; neque illa, quæ non adeo magna sunt, ut nec respirationem graviter lædant, nec alia quæcunque gravia accersant symptomata.

E contrario si magna sint pulmonis vulnera, & non solum pulmonis substantia, sed & magna in eo vasa vulnerentur, ea pronunciare licet ex necessitate lethalia, utpote in quibus sanguis, spirituſque vitalis profunditur & dissipatur; vel à copia cruoris extrà vasa effusi pulmo ac cor opprimuntur, & homo suffocatur.

Insuper

Digitized by Google

Insuper mortem plerumque adferunt ea pulmonis vulnera, in quibus exulcerari incipit vesiculosa ejus substantia, atque Phthisis excitatur: vel in quibus sanguis in thoracis capacitatem effusus, ibi putrescere incipit, & vel febrem, vel empyema excitas. Sed quæritur hîc, *nonne tale pulmonis vulnus, cui Phthisis succedit, quæ postea mortem agro adfert, dicendum sit absolutè ex & necessitate lethale, & an tali in casu reus non teneatur de homicidio*; quidam ex Jurisconsultis censent, vulnus non esse dicendum ex necessitate lethale, si accidentia remittant, si vulneratus melius habuerit, si post triduum è lecto surrexerit, & ambulaverit, licet deinde ex recidiva mortuus fuerit; adeoque vulnerans jam ultrà non teneri de occiso, tanquam si non præsumatur ex vulnere mortuus. Damhoud *in enchirid. rer. crimin. cap. 77. n.* 10. mench. *de arbitr. cas.* 275. *num.* 9. Farinaceus *de homicid. quæst.* 126. 127. Sed nos quod spectat, sententiam hanc omninò improbamus, eâ ratione ducti, quod malignæ ægritudines, & ipsa quoque maligna & necantia vulnera aliquandò remittant; imo & hoc habeant proprium, teste galeno, quod remittere videantur, ac dehinc repentè recrudescant, hominemque è medio, quasi inopinato, tollant. Difficultatem vero auget id, quod ipsimet Jurisconsulti ex recidiva conjecturam desumant, vulnus fuisse lethale, & vulneratum ejus culpâ decessisse ob recidivam. Farinac. *loc. cit. quæst.* 127. *num.* 77. quæ è directo contraria videntur iis, quæ circa hanc conjecturam ex ipsorum sententia superius allata sunt. Haud secus de vulnere pulmonis, cui Phthisis succedit judicandum puto; viz. absolutè id esse lethale, & vulnerantem teneri de homicidio, licet post longam hebdomadarum seriem demum vulneratus moriatur. Phthisis quidem, non vulnus, proxima mortis causa est; at

Digitized by Google

vulnus mortis causa remota. Et quod in sano corpore se habet, ut causa remota, est ipsa occasio mortis: dum namquè constat, accidentia ex ipso vulnere originem habuisse, & semper usque ad mortem perseveràsse, ex vulnere præsumi debet mortuus vulneratus.

Asperæ arteriæ. XII. *Asperæ arteriæ vulnera* non lethalia esse, verum sanari posse, docet laryngotomia. Ea nimirum sanantur; quæ magna non sunt, & in quibus membranæ saltem, quibus trachææ cartilagines connectuntur, vulnerantur. ScenKius *observ. medic. libr.* 2. At annulli cartilaginei si vulnerentur, ob duritiem pars coalescere nequit. Hippocr. *libr.* 6. *Aphor.* 19. *libr.* 7. *aphor.* 28. Galenus 5. *meth. med. cap.* 7. Hæc igitur vulnera haud inepte lethalia censentur. Equidem non subitam, sed lentam mortem adferre solent; dum vel ab aëre per vulnus confertim ingrediente pulmones alterantur & debilitantur, vel calloſa quædam subſtantia vulneri succrescit, quæ spiritum sensim intercipiendo tandem hominem jugulat, ità ad octodecim hebdomadas vulnere tali laborantem vidit Barbette, antequam moreretur.

Diaphragmatis. XIII. *Diaphragmatis vulnera* inter lethalia quoquè recensèt Hippocrates. Distinguit equidem Galenus *lib.* 5. *meth. med. cap.* 9. inter ea, quæ diaphragmatis parti tendinosæ, & quæ carnosæ infliguntur; atque illa statuit esse lethalia, hæc sanabilia. Scribit porrò *comm. in hipp. aphor.* 18. *sect.* 6. nervosæ diaphragmatis partis vulnera non semper lethalia, sed magna solum: plane enim gravia tum superveniunt symptomata, delirium puta, difficilis respiratio, febris, convulsio, singultus, risus sardonius, ut ridendo ægri moriantur.

Ventriculi. XIV. Haud secus *ventriculi vulnera* inter lethalia numerantur; & meritò, quia in parte hac magis

Digitized by Google

membranosa ægerrimè sanantur ; ac si infligantur superiori ejus orificio , quod Stomachus nuncupatur, ob nervorum ei insertorum copiam , convulsionibus & singultibus continuis ægrum occidunt : sin verò ventriculi fundo infligantur , ingesta alimenta mox effluunt in abdominis cavitatem ; illic alia viscera brevi corruptura.

Verum etsi usus & ratio illud hippocratis effatum confirment , hanc tamen regulam interdum , quamvis rarò , exceptionem admisisse , & subinde vulnus ventriculi sanatum fuisse , observatum fuit ; cujus curationis historias sibi visas describunt Fallopius *de cap. vuln. cap.* 12. cornax *in epistol. de poni. ad D. agidium hartogh.* Julius Alexandrinus *annot. ad cap. 4. lib. 6. Therap. Galeni.* DiemerbroecKius *anat. lib. 1. cap. 6.* & ex aliis collegit ScenKius *obs. med. lib. 3.* Sunt quoquè admirandæ illæ historiæ , quæ de duobus cultrivoris referuntur : quarum alteram describunt Bernhardus Suevus *in tract. de insp. vuln.* Crollius *in præfat. Basilicæ hymicæ.* Sennertus *prax. lib. 1. part. 1. sect. 1. cap. 15.* & *lib. 5. part. 4. cap. 3.* de Rustico Bohemo , qui 1602. Pragæ cultrum novem pollicum longitudinis deglutiit ; qui post septem hebdomadas è ventriculo excisus , & æger sanitati restitutus fuit. Alteram sibi ipsis visam enarrant Georgius Lothus , & Rutgerus Hempsingh *in peculiari germanico tractatu.* De juvene duos & viginti annos nato , qui regiomontii in Prussia 1635 cultrum longitudine duas transversas palmas excedentem, deorsum descendente manubrio , casu deglutiit ; qui post sextam hebdomadam à Cheirurgo excisus , ægerque intra mensem sanatus fuit. Culter hic postea à Daniele BecKero , Medico Dantiscano, D. Othoni Heurnio , quondam Lugduni in Batavis Medicinæ professori , donatus , ibidem inter alia rara in Theatro Anatomico asservatur.

Digitized by Google

Ex allatis igitur hiſtoriis haud immeritò concludimus, vulnera ventriculi fundo inflicta non abſolutè ſeu ex neceſſitate, verum ſimpliciter lethalia eſſe dicenda: ſed quæ ſuperius ejus orificium ſeu ſtomachum penetrant, omnem medelam effugere, adeoquè neceſſariò & ſemper ægrum interimere. Eo namque graviter afflicto, ob maximum cum cerebro & corde conſenſum, lethalia plerumque excitari ſolent ſymptomata.

Inteſtinorum. XV. Ejuſdem naturæ ſunt *inteſtinorum vulnera*, quæ ab hippocrate inter lethalia quoquè referuntur. Sunt tamen periculoſiora vulnera tenuium, quam craſſorum inteſtinorum; ob ſubſtantiam illorum membranoſam magis, minuſque carnoſam.

Hepatis. XVI. Succedunt *hepatis vulnera*, quæ inter lethalia etiam non ſine ratione enumerat hipp. *libr.* 1. *de morbis* & *lib.* 6. *aphor.* 18. propterea quod copioſa hæmorrhagia citius ægrum occidat, quam ſiſti medicamentis poſſit; & ſi forte ſiſtatur, tamen ulcus poſt vulnus relictum tam rarò & difficilè ſanetur, ut ex tribus millibus ea parte vulneratis vix unus aut alter evadat, & inter miracula fere habendi ſint, qui ſervati ex iis fuerunt. Equidem tradit Paulus Ægineta *lib.* 6. *cap.* 28. vulnerato hepate, abſciſſâque ejus parte, hominem ſervari poſſe. Et Hiſpanum Juvenem, cui magna hepatis portio per ilei dextri vulnus erumpebat, ſanatum fuiſſe refert Corn Gemma *Coſmocritic. lib.* 1. *cap.* 6. Et nobilem poſt inflictum circa hepatis regionem vulnus, ac particulâ ex ejus ſubſtantia abſciſſâ, extractaque, ſanum evaſiſſe, ſcribit Bertinus *med. lib.* 13. *cap.*7. Idem obſervarunt hildanus *cent.* 2. *obſ.* 34. Matthias Glandorpius *in ſpec. chirurg. obſ.* 34. Sed hæc ſunt naturæ miracula, qualia in curationibus aliquando contingere, olim averoës tradidit.

Lineis. XVII. *Lineis vulnera* eodem ferè modo ſe ha-

Digitized by Google

bent, ut hepatis; atque lethalia semper observantur.

XVIII. De *renum vulneribus* quæritur, sintne ea lethalia? Resp. profunda renum vulnera absolutè & ex necessitate esse lethalia, atque ex centum ità vulneratis vix unum sanitatem recuperare. Quæ quidem lethalitas non procedit à renum nobilitate aut præstantia; sed à symptomatum syndrome, uti à magna hæmorrhagia, vasorum dissectione, urinæ obstructione, ejusve continuo effluxu, inflammatione, dolore, & quidem præcipuè abscessu, ac exulceratione ob acris seri transitum vix curabili, aliisque, quæ ægrorum vires ad mortem usque conterunt. Renes quippe licet non sint partes principes, sunt tamen tales, quarum usu carere non possumus; quo sublato, vel graviter saltem impedito, vita tollitur. Contigit quidem nonnullos renibus vulneratos aliquamdiu supervixisse, & minus peritis sanatos visos fuisse, sed tandem tamen surperstites abscessus ægros è medio sustulisse. Sic fallopius, corn. Gemma, dodoneæus, forestus, valleriola, aliiquè, varia referunt renibus vulneratorum exempla, qui aliquot annos supervixerunt; tandem vero ex istis vulneribus mortui sunt. Quod autem alii citius, alii tardius fatis cedant, fit prout illa vulnera magis minusvè profunda, & symptomata majora vel minora fuerint. Renum,

XIX. Insuper in catalogo vulnerum lethalium apud Hipprocratem reperiuntur *vesicæ urinariæ vulnera*. Distinctione tamen hic opus est. Nam quod collo vesicæ infligitur vulnus sanari posse, docet litorhomia. At fundo ejus vulnerato, atquè penitus perfosso, ire solet patiens, unde redire negant quenquam. Vesicæ urinariæ.

XX. Tandem occurrunt & *venarum*, *arteriarumquè majorum vulnera*, quæ sæpius sunt lethalia. Venarum, arteria-

Digitized by Google

rumquè majorum, &c. Namquè cum ligaturâ constringi nequeant, cruore immodice effuso, vires subitò dejiciuntur, & patiens plerumquè extinguitur. Equidem cum chirurgus alius melius alio vulnus claudere possit, causa mortis in vulnerantem non semper conjicienda.

Vulnera nervorum majorum ferè incurabilia sunt, quandoquè lethalia.

Vulnera venenatis instrumentis aut *animalibus* inflicta ferè semper lethalia sunt.

XXI. Atquè hæc sunt vulnera, quæ hippocrates lethalia esse rectè scribit. Quorum tamen, seu dixi, quædam sunt absolutè vel omnino lethalia, quædam simpliciter lethalia. Absolutè vel ex necessitate lethalia farinaceus *tit. de homicid. quæst.* 125. definit, quæ non requirunt curam & consilium medicorum; sed sunt talia, è quibus vulneratus statim moritur, *hoc est*, ob quæ, quamvis omni arte & industriâ curentur, æger nihilominus moritur. Lethalia simpliciter, *id est*, non omnino mortalia, vel ad mortem certa, idem farinaceus describit, ex quibus vulneratus non statim moritur, & ex quibus quandoque etiam non moritur.

XXII. Quæ igitur vulnera simpliciter tantum lethalia sint, *hoc est*, è quibus etsi aliqui interdum convalescant, hic vel ille tamen ex iis revera mortuus dici possit, ex superioribus abunde patet. Hoc equidem addendum, *ex eventu maximè judicari, an vulnus actu lethale fuerit.* Nam etsi robustus aliquis, aut alias exacte sanus ex vulnere convaluerit, tamen non necessarium est, ut ex simili vulnere senex, puer, vel debilis quispiam convalescat: sed licet ille à simili vulnere sanatus fuerit, hic ex eo necessario mori potest. Enimvero ex præcedenti statu vulnerati vulnus accipitur conjecturâ majoris aut minoris periculi: vulnera namquè quæ fiunt in corporibus morbosis; cacochymicis, con-

Digitized by Google

valescentibus, valetudinariis, magis absque dubio periculosa sunt; & idcirco non male jurisconsulti voluerunt, vulnerantem infirmum, si ille decedat, teneri de homicidio, etiam vulnere non existente mortali. Nam quamvis vulnus per se non mortale possit fierilethale ex corporis vulnerati impuritate, videtur tamen vulnerans dedisse proximam causam mortis, ut in casu de quo manardus *libr. 6. epist. medic. 1.* in quo cum supervenerit vulnerato, duobus vulneribus læso non quidem mortaliter, ut ipse probat, erysipelas, ob corporis impuritatem mortuus est die quarto decimo; cumque unusquisque huic periculo subjici possit, non videtur ullo modo vulnerans excusandus, præsertim si deliberato animo occidendi vulneravisse constet, si lethalibus non existentibus vulneribus, vulneratus ex corporis impuritate decedat, ex qua tamen absque inflictis vulneribus non decessisset: qui enim causam damni dat, damnum fecisse videtur; at jurisconsultis hæc decidenda relinquimus.

XXIII. Insuper quæritur hic, *an vulnus, quod ex sua natura nequaquam lethale sit, possit incuriâ, medentis, vel ipsiusmet vulnerati, & per accidens, fieri lethale?* Res hæc videtur magni momenti, quia etiamsi quando vulnus est absolute & ex sua natura lethale, non excusatur vulnerans ex malo regimine, aut ex negligentia & imperitia medicorum, sed omnino de homicidio tenetur; quod dominetur præsumptio, vulneratum ex vulnere decessisse. At vero si vulnus fuerit ambiguum tam ad sanitatem, quam ad mortem, & vulneratus non adhibuerit medicum; aut adhibuerit imperitum; aut si suâ ipsius negligentia & inobedientiâ mortuus fuerit, tunc vulnerans de homicidio non tenetur, cum suâ ipsius culpâ præsumatur mortuus. Semper enim præsumptio militat, quod vulnere non exis-

Digitized by Google

tente ex neceſſitate lethali, vulneratus ex vulnere non deceſſerit; quoniam mortis præſumptio ex vulnere ſumi debet non ſimpliciter ex vulnere, ſed ex aliis quamplurimis, quæ vulneri conjungi conſueverunt. Sunt autem hæc reducenda vel ad medicum, vel ad ægrotum, vel ad externa.

XXIV. Quoad medicum, vel cheirurgum; vulnus non lethale aliquando occidit, ſi ex ignorantia. Ille non noverit vulneris qualitatem, ut in caſu, de quo Langius, ubi cheirurgus curaturus ſauciatum in capite Equitem cum cranii fractura, vulneris exiguitati fiſus, cranii fracturæ, nullo modo medicatus eſt, unde vulneratus eum ob errorem è medio ſublatus, aliàs forſan non periturus. Haud abſimilem caſum citat foreſtus *libr. 6, obſerv.* 2. de vulnere non lethali, ex quo tamen æger medici culpâ interiit. Idem quoquè antè biennium à nobis viſum fuit in ruſtico, qui vulneratus in ſiniſtro thoracis latere, hinc difficulter ſpirans, à medico ac cheirurgo ut pleuriticus curatus, vulnere fere neglecto, obiit. Namque eadem ratione, ſi medicus neſciat opportuna adhibere remedia, aut adhibeat contraria ægrum perimit.

Obſervatio.

XXV. Quoad ægrotum; manifeſtum eſt, ejus culpâ ipſum ſuccedere poſſe, ut ſi medicum non adhibuerit, aut adhibuerit imperitum; cum paria ſint, medicum non adhibere, aut adhibere imperitum. Farinaceus *de homicid. quæſt.* 120 *ſect.* 4. *num.* 76. Imo præſtat medicum non habere, quam inexpertum habere. Roder. à caſtro *med. polit. lib.* 1. *cap.* 7. Si item medicamenta opportuna ſibi adhiberi non permiſerit, aut quicquam moliri circa ſe renuerit, quod erat ad ſanitatem neceſſarium: ſi contra medicorum ſententiam aëri ſeſe expoſuerit: aut ſi quomodocunque in uſu ſex rerum nonnaturalium inſigniter peccaverit. Equidem non quilibet error vulnerati hac in re culpari poteſt, ſed debet eſſe

Digitized by Google

notabilis. Farinac. *loc. cit. quæst.* 126. *num.* 25. Et eo insignior, quo magis leve ac tutum vulnus à peritioribus judicatum fuerit: tunc enim oportet, ut talis sit negligentia, & tales sint errores in victu & medela, ut evidenter constet, ex eorum vitio ægrum decessisse. At tunc quidem debent periti medici de erratis hisce judicare, ac nominatim determinare, quod hic error cum hoc vulnere, tametsi non esset mortale, potuerit mortem accersere.

Insuper ex mala corporis vulnerati constitutione, vulnuscula aliquando nullius momenti & è quibus plurimi convalescunt, nonnullis possunt esse lethalia: sic de philæ puero scribit hipp. *libr.* 7. *Epidem* quod ex sola ossis denudatione in fronte, uno die febre superveniente, & osse livore contracto, mortuus fuerit, idem refert theodori cujusdam puerum ex ossis denudatione nullius pene momenti, die vigesimo tertio mortuum esse. Et magnæ navis perfectum quendam, cum anchora manus dextræ indicem & os collisisset, inflammatione ac convulsione superveniente, decimo tertio die vitam cum morte commutasse. Telephanem quoque ex harpeli liberta filium, plagam in pedis pollice accepisse, ex eâque inflammationem, vehementemque dolorem consecutum fuisse, quo remittente, ægrum in convultionem incidisse & tertio die mortem obiisse. Refert forestus *lib.* 6. *obs. chirurg.* 50. Consulem quendam alcmarinum, cum pedes more ipsi consueto lavaret, & callum sub pedis plantas cultello abradere & abscindere studeret, se vulneraſſe & statim subsequente spasmo extinctum fuisse. *Et observ.* 49. quendam tibiam ad rem duram allisisse, ipsamque cum contusione & vulnere læsisse, quem deinde superveniens gangræna sustulit. Hildanus quoque *cent.* 5. *obs.* 2. duo recenset exempla, unum de operatio, qui spinâ pedem

Digitized by Google

punxit; alterum de fœmina, quæ ſpina apicem indicis dextri vulneravit, qui ambo ſuperveniente gangræna mortui ſunt. Joh. matthæus *quæſt.* 27. ſcribit, quendam graſſatorem in humero haud adeo profunde vulneratum, mortuum fuiſſe: alium quoque in comitatu oldenburgico in media femoris regione cultello leviter vulneratum, confeſtim interiiſſe. Et Horatius Augenius *tom.* 1. *libr.* 9. *epiſt.* 2. plures eorum recenſet hiſtorias, qui ex parvo & levi vulnere perierunt. Atque hujus rei exempla alibi etiam paſſim nota ſunt, in primis apud jobum Meekeranum *in obſervationibus chirurgicis.*

Tanti igitur faciendus morboſus corporis apparatus in vulneribus, ut non ſolum in mediocribus, ſed & in minimis maxima ejus ratio ſit habenda, cum facile ex ejus culpa poſſit minimum vulnus, & ſalutare alioquin, pravitatem contrahere, ex qua deinceps ægrum perire facillimum eſt.

XXVI. Quoad externa; multa ſunt, quæ mortem ex non lethali vulnere adferre poſſunt: viz. ipſa armorum qualitas, aër externus, regio, temporis conſtitutio, & alia, de quibus abunde nunc dictum fuit.

Enimvero ſi gladius, vel telum, aut quodcunque quo vulnus inflictum eſt, inſtrumentum ſit venenatum, leve etiam vulnuſculum mortem adferre poteſt.

Dein aëris conſtitutio, ac loci proprietas hic peculiarem vim habent. Sic capitis vulnera, quæ in multis locis lethalia non ſunt, in aliis obſervantur lethalia. Scribit Vidus Vidius *libr.* 6. *de curat. morbor. cap.* 90. Florentiæ vulnera capitis pleriſquè eſſe lethalia, & cauſam refert in aërem frigidum tenuem; piſis vero, & Lugduni paucos ex iis interi-

Digitized by Google

re cum cœlum ibi sit crassius. Amatus Lusitanus *cent. 5. curat.* 100. inquit, florentiæ & bononiæ capitis vulnera esse periculosa, non ità raguſæ. Et abrosius paræus testatur, Lutetiæ quam Avenioni capitis vulnera esse difficiliora. Et sic de cæteris. Quæ utrum ejus momenti existimanda sint, ut reum ab homicidio excusare queant, non leviter dubitandum: illud certum est, non esse hæc talis ponderis, ut promiscuè in quocunquè leviſſimo vulnere mortis causa esse possint: in mediocribus tamen vulneribus multum cooperari haud dubitandum, ex quibus Jurisconsulti cætera decidere possunt, quæ ad id negotium facere videntur.

CAPUT III.

De vulnerum curatione in genere.

I. IN quolibet morbo curando prima indicatio ab ipsius affectus essentia desumi solet, quæ præcipit & ostendit *contrarium per suum contrarium esse tollendum.* Et hoc est, quod innuere videtur Galenus, quum *libr. de artis constitutione* sic inquit: „ quare „ generaliſſimus curandorum morborum scopus „ erit, contraria contrariis remedia esse, & par„ ticularibus particularia contraria.

II. Vulnus ergò, cum sit *solutio continui*, indicat *unitionem*, sicut quælibet alia continui solutio. Etenim hæc soluta unitas partes, quæ sejunctæ sunt, uniendas esse præcipit, quatenus quidem vulnus simplex est. Si vero alii affectus, seu morbi, seu causæ, seu symptomata vulneri conjungantur, tot dantur indicationes, quot ea sunt, quæ ità affectum compositum constituunt.

III. Sin aliquid de substantia carnis amissum sit, duplex datur indicatio; scilicet id quod divi-

Digitized by Google

ſum eſt, uniendum; quod deeſt, regenerandum. Si cutis & caro contuſæ ſint, quod contuſum eſt in pus mutandum, ut abſcedat. Et ità de reliquis affectibus, quæ vulneri conjunguntur, ſeſe res habet.

IV. Hæc vero unio, quæ eſt prima & generalis vulnerum curandorum indicatio, ſolius naturæ opus eſt; hujuſque unius operâ partes vulneratæ ut & fractæ, disjunctæ iterum coaleſcunt & conglutinantur. Cum autem ad id medium quoddam, & quaſi gluten requiratur, utitur naturâ ipſâ materiâ, quâ partes nutriuntur, ſanguine ſcilicet, continuo in partem propulſo; qui in poris parietum & labiorum vulneris hærens, in ſubſtantiam parti vulneratæ ſimilem mutatur: atque ità ejus ſeu naturalis cujuſdam balſami, beneficio, quæ disjuncta erant coaleſcunt, & ex duobus unum fit, haud ſecus ac taleolæ arbori inſertæ cum eadem arctiſſimè uniuntur. Atquè hoc quidem opus etſi ſolius naturæ ſit, Medicus tamen hac in re naturæ miniſter eſt, ac niſi Medicus naturæ ſubſidio veniat, ipſa in multis ſine ſuo fruſtratur, nec conglutinationem moliri poteſt.

V. Ea autem quæ Medico hac in re agenda ſunt, ad quatuor capita reduxit Galenus *art. med. cap.* 90. ubi ſic inquit: „ coaleſcere facit ea, quæ invicem „ diſtant, & priſtinam unitatem reſtituit ipſa na„ tura; noſtrum vero opus eſt, applicare extrema „ diſtantium partium, atque in unum coacta con„ ſervare, & tertio hoc cavere, ne quid labiis vul„ neratis incidat, & quarto ipſam partis ſubſtan„ tiam ſalubrem conſervare.

VI. Atque ità in vulnerum curationem quatuor à galeno recenſentur Medici officia, idque haud immeritò: namque ut Medicus ſuum finem ac intentionem *hoc eſt*, ſolutæ unitatis unionem, conſequatur, laborandum 1. Ut omnia ſymptomata vulneri

Digitized by Google

supervenientia; quæque unitionem impedire possunt, tollantur. 2. Ne quid extranei in vulnere & inter labia ejus hæreat, vel relinquatur. 3. Ut dehiscentes vulnerum partes conjungantur, conjunctæque ità serventur. 4. Ut partis vulneratæ temperies & robur conservetur.

CAPUT IV.

De vulnerum symptomatibus.

I. PRimam itaque indicationem in vulneribus curandis diximus, *accidentium sive symptomatum correctionem*, quæ admodum necessaria est, cum nullo pacto vulnera perfectè curari ac sanari queant, nisi symptomata, quæ ea consequuntur, abigantur, & profligentur; suntque aliquando tam magna, ut ad se totam trahant curationem: inter quæ primo numeratur *ingens sanguinis profusio*, quæ non solum vires dejicit, atque vitam interdum homini eripit, sed & curationem impedit. Quamdiù namque sanguinis fluxus continuatur, in curatione nihil proficitur. Accidit autem Hæmorrhagia vulneratis arteriis aut venis, vel majoribus vel minoribus. Hæmorrhagia in Vulneribus sistenda.

II. Igitur vulnere inflicto, si modicè sanguis fluat, permittendum ut tantum effluat, quantum commodum videbitur. Quod si immodice cruor profluat, ut vires dejiciat, quamprimum sistatur. Eum in finem omnia ea præstanda sunt, quæ motum ejus impedire ac inhibere possunt.

III. Impeditur sanguinis fluxus, si convenientibus remediis & deligatione orificium vulneris occludatur: occluditur vero vulneris orificium, vel labiorum vulnerati vasis conjunctione vel orificii obstructione. Conjunguntur vulneris labia, vel digitis orificium

Digitized by Google

vulneris tamdiù comprimendo, quousque sanguis grumescat, ac ità ipse vasis orificium obstruat; vel fasciis vulneris orificia invicem adducendo. Sed tutissimum est, operam dare, ut orificium vasis sanguinem fundentis obstruatur *linteo carpto*. Vel ejus loco vulnus impleatur *Fungo isto orbiculari* quem *crepi. tum lupit*, vulgò (*Bovyst* appellant.

IV. Equidem si huic soli fidere non libeat, fiat pulvis adstringens, qui excipiatur albumine ovi, atque cum linteo carpto vel stupa cannabina vulneri imponatur. Galenus *libr. 5. meth. med. cap.* 4. hoc medicamentum ad sanguinem sistendum præ reliquis commendat, & omnium quæ noverit optimum esse scribit:

℞. *Thuris* ʒj. *Aloës* ʒiß.
M. F. *Pulvis, qui misceatur cum ovi albumine, & pilis leporinis, vel stupâ canabina excipiatur, sicque vasi laso, totique vulneri imponatur.*

Possunt & alii pulveres adstringentes eum in finem præscribi. v. gr.

℞. *Boli armeni* ʒij. *farinæ volatilis* ʒß.
Mastichis, Thuris, cap. mort. vitrioli an. ʒj.
M. F. *pulvis, albumine ovi excipiendus.*
℞. *Gallarum* ʒij. *boli armeni* ʒij.
Terræ lemniæ ʒiij. *vitrioli cyprei* ʒß.
Aluminis crudi ʒj. *M.* F. *pulvis.*

Hildanus *libr. de gangræna & sphacelo cap.* 19. suum pulverem valdè extollit, cujus descriptionem dedimus *libr.* 1. *cap.* 17. *pag.* 106.

Hisce ità vulneri impositis conviens superjicienda ligatura. Neque ab usu horum medicamentorum desistendum, donec caro quæ gignitur, circa vas ità sit producta, ut ejus orificium claudat. Hoc enim nisi fiat, semper metuenda est hæmorrhagia.

V. quod si nec hisce sistatur sanguinis effluxus,

Digitized by Google

cauſticis nonnulli utuntur, quæ cruſtam inducunt, cujus beneficio vaſis orificium occludunt. Quo in caſu quidam laudant *liquorem ſtypticum*, momentaneâ coagulatione miraculoſè ſanguinem ſiſtentem, quem tradidimus quoquè *libr.* 1. *cap.* 17. *pag.* 106.

Si ne ſic quidem ſanguinis fluxus ſiſti poſſit, admoveatur *cauterium actuale*. Sed de hiſce latior erit dicendi occaſio, ubi de vulneribus arteriarum & venarum ſumus dicturi.

Vulneri ſupervenies Inflammatio.

VI. Non raro quoque vulneribus ſupervenit *inflammatio*, vel quum parum ſanguinis profluxerit, quod ſcribit hippocrates *libr. de ulceribus*: „ ſi ſtatim pro valetudine ſanguis plus minuſve à plaga „ fluxerit, & ipſum vulnus, & quæ juxta ſunt, minus inflammatione premuntur; vel ratione partis læſæ, ut ait Celſus *lib.* 5. *cap.* 26. ſic vulneribus partium nervoſarum ut plurimum inflammatio accedit, cum ob dolorem ſanguinis ad partem affectam affluxus concitetur.

Si ergo ſanguis non ſatis fluxerit, atque inflammatio metuatur, vel jam adſit, vena ſecanda, & pro viribus ægrotantis ſanguis evacuandus; quamprimum namquè ei occurrendum, cum vulnus ſanari nequeat, niſi inflammatio tollatur.

Dolor.

VII. Sæpiſſimè etiam *dolor* vehemens vulneribus accidit. Etſi enim nullum fere vulnus ſit ſine dolore; equidem non rarò ille tolerabilis eſt: interdum verò plane vehemens, id quod fit maximè cum nervi, parteſque nervoſæ vulneratæ ſint. Hinc quamprimum ſedari debet, cum excitet vigilias, vires dejiciat; nec non humorum in partem affectam affluxus, inflammationis, febris, gangrænæ, cauſa ſit.

Sed quum non ſemper eandem ob cauſam dolor accidat, ſi medicamenta acria nimis, & calida illum produxerint, mutentur illicò. Si externum aliquid

Digitized by Google

vulneri inhæreat, aut turunda nimis longa vel crassa sit, aut ossis fragmentum vicinas partes pungat, extrahatur. Si à puris retenti copia dolor proveniat, liber exitus ipsi detur. Inflammatio si doloris causa sit, venâ sectâ, imponatur hoc vel simile cataplasma,

℞. *Herb. malvæ, althææ, violariæ,*
Flor. sambuci, camomillæ an. Mj.
Coctis in aqua pura ad mollitiem, & contusis adde
Farinæ hordei ℥iß.
Fabarum, lini an. ℥j.
Pulv. croci ʒß.
M. F. cataplasma.

Pruritus. VIII. Inter symptomata quæ vulneribus accidere solent, observatur & *pruritus*, qui etsi leve videatur symptomata, tamen quia hoc etiam ægrotantem torquet, & si partem scalpat, vel inter dormiendum fricet, periculum est, nec immodicè è vulnere profluat cruor, vel dolorosa accedat partis excoriatio, vel humorum ad partem affectam conciretur fluxus; ideo removendus, præsertim quum à saniei acrimonia ut plurimum procedat. Igitur pars affecta aquâ tepidâ perfundantur ac abluatur; vel potius calidum applicetur fomentum, identidem renovandum, ut apertis poris materia pruritum excitans discuti facilius, ac evacuari possit: vel illinatur *Unguentum nutritum* aut *album camphoratum*, aut simile.

Convulsio IX. Insigne etiam, & periculosum symptomata sæpè vulneribus accidit, *convulsio* seu *motus convulsivus*; qui hîc fit vel à nervorum punctura, eorumque ingenti dolore; vel ab acri humore aut vapore partem nervosam vellicante: ad quem expellendum insurgens natura, irregularem spirituum in nervos influxum, seu eorundem expulsionem excitat, hinc & partium contractionem spasmodicam ciet. Sunt autem satis periculosæ convulsiones in vulneribus. Hippocr.

Digitized by Google

Hippocr. *sect. 5. aphor. 2. 3.*

Qua ratione vero spasmodicæ affectiones sint curandæ, non hujus loci est indagare. In convulsione tamen vulneri superveniente hoc unguentum laudat Barbette.

℞. *Olei limacum, lumbricorum, sesamini an.* ℥j.
Ping. Ulpis, arietis an. ℥ß.
Butyri insulsi ℥vj. *Spir. vini* ℥iij.
Coq. ad spiritus vini consumptionem, add.
Olei spicæ, rosmarini, succini an. ʒij.
Misceantur.

Ad hæc *Balsamus sulphuris, Balsamus peruvianus, Oleum therebinthinæ, Oleum Petræ, Oleum Philosophorum*, & similia valde commendatur.

Si ab ingenti dolore accedat convulsio ejus causa tollenda. Verum à nervi, partisvè nervosæ punctura aut morsu convulsis quomodo sit succurrendum, in sequentibus, de nervis tendinibusque punctim vel cæsim vulneratis, exponemus.

X Interdum & *caro* in vulneribus luxuriat *Fungosa*, & ultra modum excrescit; quæ efficit, ut cicatrix vel turpis fiat, vel nulla. Accidit autem hoc Medentis negligentiâ, qui minus quam par est, siccantia medic menta adhibuit. Quod ergò superfluum est, tollendum ut vulnus cicatrice claudi queat. Estque hoc opus medici, qui medicamentis fortiter siccantibus, detergentibus, ac si opus sit, etiam non nihil erodentibus carnem superfluam absumit. Eum in finem inspergatur *pulvis rad. iridis florentinæ*, vel *pulvis ex aq. part. ochræ & sabinæ*, vel *alumen ustum*, vel *Mercurius Præcipitatus Ruber*. Quidam sequentia commendant: Hyperæ sarcosis.

℞. *Aluminis crudi, viridis æris an.* ʒij.
Coq. in vini ℥xviij. *ad quartæ partis consumptionem, colat. add. camphoræ* ʒj.
Misceantur.

Digitized by Google

Ł. Gallarum, balauſtiæ, thuris
Myrrhæ, aluminis uſti an ʒj.
Ceruſſæ, æruginis, ſanguinis draconis an. ʒß.
M. F. Pulvis.

Febris. XI. *Febris*, quæ frequenter admodum vulneribus accidit, plerumque *Symptomatica* eſt, adeoque nec ità metuenda; quippè quæ rarò peculiarem ſui curationem requirit.

CAPUT V.

De Rebus Alienis è Vulnere eximendis.

I. DEindè ut vulnus ritè curetur, animadvertendum *ne quid extraneum illud ingrediatur* atque ideò quando *pili* circà vulnus ſunt, ii tondendi, vel radendi, vulnere prius molli linteo vel filamentis repleto, quoniam intra id ſi incidant, atquè non extrahantur, glutinationem impediunt. Nonnunquam etiam intrà vulnus reperiuntur ſanguinis grumi, pili, oſſis particula aſpera & pungens, calx, arena, terra, vel telum aliquod, ut ſagitta, vel mucro, vel ſpina, vel arundo, vel globulus plumbeus, vel ſimile.

II. Ex hiſce *ſi quid intra vulneris labia hæreat, ejus glutinationem impedit, adeoque id totum extrahendum.* Quod ut fiat, vulnus, niſi ſatis hiet, dilatandum, quantum opus fuerit, modo ne magnæ arteriæ aut venæ, nervi, tèndineſvè ſecentur. Atque ſi adſit *ſanguis in grumos concretus*, is expreſſione, ſuctione, aliovè modo auferri debet: ità enim & minus puris generabitur; & ſymptomatum copia minor notabitur. At vero quandiu hæmorrhagiæ metus eſt, cruor omnis ex vulnere eximi non debet.

III. Quum vero *pili* vel *calx*, vel *arena*, vel *terra* vel quid ſimile intrà vulnus reperiatur, vino

Digitized by Google

calido id abluendum, & abstergendum.

Ossicula fracta mobilia si sint in vulnere, prima in deligatione eximantur, nisi hæmorrhagia inhibuerit; si vero aliis ossibus adhuc adhæreant, naturæ conatus expectandus, & vivendum an ea iterum cum reliquo osse unitura, an separatura sint.

I V. Sin *Virum fractum*, *spina*, *festuca*, *sagitta*, *globus plumbeus*, vel aliud genus armorum, quo vulnus inflictum est, ei inhæreat, leniter ac jucundè vel digitis, vel volsellâ, vel forcipe, similivè instrumento, pro ut res postulare videtur, apprehendi & evelli debet. Sed priusquam extractionem hanc tentet Cheirurgus, videndum an Æger, extracto tali alieno corpore, vivere possit, ne is mortem patienti accersisse dicatur.

V. Modum vero *Globulos plumbeos* extrahendi quod spectat, primum perpendere oportet, num globulus tam altè carni insederit, ut oppositæ parti magis sit vicinus, & per cutem, aut subjectam quoque carnem exterius tangatur: solet enim ad tactum apparere ex duritie & figura, tuncque incidere, partem oppositam oportet, & globulum ità recipere. Quod si tam altè non insederit, ut exitus ejus ex parte oppositâ commodè haberi nequeat, tum specillo per vulneris foramen & globuli ingressum tentetur, globuloque reperto utcunque longum sit spatium, tentanda ejus extractio forcipe, vel volsellâ, quæ serratâ extremitate eundem apprehendit, vel instrumento apud Hildanum *cent.* 1. *observ.* 88. depicto.

Quod si globulus specillo non observetur, uti non raro evenit in vulnere profundissimo, membrum ità collocandum, ut suo pondere simul cum pure exire is possit. Hoc si non fiat, vulnus curetur, expectetque Cheirurgus, donec circà cutem sese manifestet globulus, quod non raro post longam annorum seriem demum fieri solet. Et

Digitized by Google

ſcribit Scenckius *obſerv. Medic. libr. 5.* Juvenem quendam æneo tormento ictum excepiſſe tribus ſub ventriculo digitis, globulo in viſcera adacto; eumque paucos cis dies, emiſſo per anum globulo, nullâque noxâ ullo in viſcere relictâ, ſanatum fuiſſe. Simile exemplum refert Patæus, de milite, qui nono poſt inflictum vulnus die glandem per anum excrevit, & planè intrà tres dehinc hebdomadas convaluit. De globulo plumbeo menſes ſex, nullo ſuperveniente ſymptomate, inter cranium & craſſam menyngen detento, exemplum ſingulare habet Hildanus *cent 2. obſerv. 2.* idem *cent 3. obſ. 67.* ſcribit, globulum plumbeum, icta ſcropeti in vacuum veſicæ immiſſum, triginta poſt annos calculoſâ materiâ, ovi molem adæquante, obductum inventum fuiſſe. Atqui audite eundem, quum *cent 1. obſerv. 88.* ità inquit: „ Non rarò globuli plumbei ſcropeto projecti per multos annos „ in parte aliqua corporis ſine dolore, aut alio „ aliquo incommodo deliteſcere poſſunt. Eſt tamen „ officium rationalis Chirurgi extrahere quidquid „ extraneum eſt in vulneribus, nec idcircò ullo „ modo in iis relinquendus eſt globulus donec e„ nim vel minima etiamnum feſtuca, aut oſſis „ fracti ſquamma; vel ſimile quid extraneum parti „ innæſerit, vulnus incurabile exiſtit. Globulus verò „ ſi nonnunquam ob peculiarem plumbi facultatem „ in corpore remaneat, longam & difficilem red„ dit curationem propterea quod ægrè carne ob„ duci poſſit globulus. Prætereà ſi globulus in par„ tem aliquam nervoſam projectus fuerit, & ner„ vum vel tendinem, vel membranam compreſſerit, „ maximos excitabit dolores; hinc varia & prava „ accidentia. Si circà ventris alicujus regionem „ lateat globulus, metuendum, ne temporis ſuc„ ceſſu in ventrem ipſum penetret, & de novo

Digitized by Google

„ morbum excitet : mutat enim ſitum & locum „ propter pondus. Si remanſerit globulus ſubrer „ vaſe quodam. & calloſâ ſubſtantiâ fuerit ob„ ductus, periculum eſt ne comprimat adjacentia „ vaſa & membri extenuationem ac interitum pro„ ducat. Hactenus ille.

VI. Eodem ferè modo extrahuntur *Sagittæ*. Et licet inter Chriſtianos milites hodiè non uſurpentur tela, Medici tamen, ac Cheirurgi intereſt ſcire, qua methodo in corpus immiſſa extrahi debeant. Hæc ritè extrahere ſatis difficilis eſt operatio, oriturque illa difficultas ex loco potiſſimum, in quem in corpus immiſſa penetraverunt. Modum equidem quæcumque tela è corpore extrahendi accuratè „ tradit Celſus *lib.* 7. *cap.* 5. „ Omne autem telum „ extrahitur, aut ab ea parte qua venit aut ab ea „ in quam tetendit. Illic viam qua redeat, ipſum „ ſibi facit. Hìc à ſcalpello accipit. Nam contra „ mucronem caro inciditur. Sed ſi non altè telum „ inſedit, & in ſumma carne eſt, aut certè magnas „ venas & loca nervoſa non tranſiit, nihil melius „ eſt, quam qua venit, id evellere. Si verò plus „ eſt, per quod telo revertendum, quam quod „ perrumpendum eſt : jamque venas nervoſque id „ tranſiit, commodius eſt aperire quod ſupereſt, „ itàque extrahere. Nam & propius petitur, & tutius evellitur, & in majore membro ſi medium „ mucro tranſiit, facilius ſaneſcit quod pervium „ eſt, quia utrinque medicamento fovetur. Sed ſi „ retrò telum recipiendum eſt, amplienda ſcalpello „ plaga eſt, quo faciliùs id ſequatur, quoque minor „ oriatur inflammatio : quæ major fit, ſi ab illo ipſo „ telo dum redit, corpus laniatur. &c.

Hoc modo igitur extrahitur telum ; vel manibus, ſi foras promineat, & in ſola carne infixum ſit ; vel volſellâ, cum profundius inhæreat ; vel aliis

Digitized by Google

instrumentis, cujusmodi sunt forcipes longæ, denticulatæ, rectæ, incurvæ, extremâ parte latæ, rotundæ, quibus recentiores Cheirurgi varia nomina à figura indiderunt, & rostrum corvinum, giconeæ, anatis, anseris appellarunt, quorum icones habentur apud Joh. Andr. à Cruce, & Ambr. Paræum. Sed de telorum extractione plura videantur apud Celsum *loco citato*, & Paulum Æginetam *lib. 6. cap.* 88.

VII. Si vero ossis frustulum, vel spina, vel festuca, vel quid simile carni inhæserit; quod nec manu, nec instrumentis extrahi possit, id medicamentis hâc vi præditis extrahendum multi volunt, qualia dicuntur *Dictamnus*, *Gummi Galbanum*, *Sagapanum*, *Pix*, *Axungia Leporis*, *Mus Vivus dissectus*, *musca Vulgares*, *Stercus Anseris*, *Magnes*, *Fermentum Acre*, *Emplastrum Opodeldoch*, & plura alia; è quibus præparantur Emplastra, quæ videri possunt apud Fallopium, Peccettum, Sennertum, Barbette, aliosquè. Sed talia, utpote parvi momenti, & forsan nullius utilitatis, lubenter negligimus.

VIII. Atqui cum nulla arte telum, vel quidquid amorum est, è vulnere extrahi possit, totum negotium naturæ committendum, quæ non raro miracula hîc præstat, & præter naturam corpori immissa, per vias quascunque potest, expellit. Cujus rei historiæ passim occurrunt. Sic Hippocrates *libr. 5. Epidem.* cuidam, qui juxtà inguen sagitta percussus fuerat, cuspiden post sex annos eduxit. Et Hildanus cuidam cultrum, qui spinæ dorsi infixus erat, post biennium extraxit *cent 1. Observ. 62.* Simile quid se vidisse refert Sennertus *Prax. lib. 5. part. 4. cap. 5.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

Modus exponitur, quo Vulneris Labia sint conjungenda, conjunctaque servanda.

I. TErtium, quod in vulnerum curatione necessarium pronuntiavimus, est, *ut divisa ac disjuncta vulneris labia ad se invicem adducantur, adductaque conserventur*, quo possit natura, mediante naturali quodam balsamo, eadem arctissimè unire, haud secus ac taleolas arbori insertas cum eâdem coalescere videmus.

II. Fit autem *Adductio* hæc vel *Deligaturâ* vel *Sutura*, vel *Glutine*, vel *instrumento comprimente*: his omnibus vel simul, vel separatim uti possumus. Deligatura, Sutura, & Instrumentum comprimens, sunt materiæ antiquitus inventæ; Glutinum vero, seu Gluten est materia à posterioribus excogitata.

III. *Deligaturam* seu *fasciationem* quod spectat; ea nonnunquam sufficit in vulneribus artuum secundum longitudinem factis, & non admodum profundis; atquè ubi speramus, solâ deligaturâ vel fasciatione vulneris labia conjungi posse, non temerè instituenda est sutura. Sit autem fascia linea, nec dura nimis, nec mollis, cujus latitudo ea esse debet, ut semel injecta non vulnus tantum, sed & utrinquè aliquid ad oras ejus comprehendat. At longius si fuerit vulnus, melius angustâ & strictâ fasciâ, *hoc est*, trium circiter digitorum, deligatio perficitur. At ligatura hæc nec nimis laxa sit, nec nimis arcta: si enim laxior sit, non continet adducta vulneris labia; sin strictior, dolorem, humorum affluxum, atque inflammationem parit. Terminus ergò ac strictionis bona erit ægri tolerantia Deligatura.

Digitized by Google

Sed ut facilior fiat labiorum in magnis vulneribus adductio, adhibeatur insuper *splenia* utrinque labia comprimentia.

Sutura. IV. Alterum instrumentum quo vulneris labia adducuntur, adductaque conservantur, est *sutura*; quæ per *acum* fieri solet, optimum foret, cheirurgum acu nunquam indigere: sic enim æger à dolore, vulnus ab inflammatione, ipsequè cheirurgus à variis molestiis liberaretur. Equidem res nonnunquam exigit, potissimum in vulneribus transversim inflictis: aut cum fasciationem locus affectus non patitur; aut ubi particula nondum à suo continente separata est, sed per tenuem adhuc cutis portionem eidem adhæret.

V. Ad suturam igitur ritè instituendam opus habemus *acu triangulari* cu us cuspis nonnihil incurva sit; *Filo cerâ oblito*; & *canali* extremâ parte *fenestrato*, cui vulneris labium innitatur, ne in hanc aut illam partem, dum acus adigitur, commoveatur.

VI. Fit autem Sutura hoc modo: in medio vulneris acu duplex filum cereatum trahente, si vulnus sit magnum, vulneris labia transfiguntur, & facto nodo, filum paulò supra nodum resecatur. Hæc suturæ species usu venire potest in vulneribus superficiariis, quæ cutem non excedunt; eaque *intersecta* vocatur. quod post singulos punctus facto nodo filum abscinditur.

VII. Sed interdum suturam instituimus, cum acum unam pluresvè in carne relinquimus, iisquè filum circumglomeramus, haud secus ac mulieres acus in vestibus fixas asservare solent, & ita consuevit fieri in labiis leporinis, aut admodum profundis vulneribus.

VIII. Quandoquè pellionum more, acum cum filo sæpius traducimus & circumvolvimus; qualis sutura debetur vulneratis intestinis, abdomini, & partibus pendulis.

Digitized by Google

IX Interim verò notandum, ne nimis rara, nec nimis crebra fit futura: etenim nimis rara non continet; nimis crebra dolores & inflammationes parit. Igitur tale intervallum inter unum & alterum punctum intercedat, ut cutis ducentem quasi subsequatur, & oræ ipsæ ex toto se contingant, exceptâ parte exiguâ, turundæ inserendæ inserviente, ut puri superfluo exitus detur.

X. Atqui fascitatio ubi non sufficit, & futura non necessaria est, conveniens valde *Glutinum* seu *Emplastrum glutinatorium*; idquè adhibetur in vulneribus faciei, ad evitandam deformitatem, quam alioquin puncturæ acus adferre solent. Insuper & glutini usus est in transversis, & magnis, sive longis vulneribus. Glutinum

Quondam fiebant emplastra glutinatoria ex pannis lineis triangularibus per habenas adductis: viz. lintea comparabantur valida, æqualia, mollia, quadrangularis, triangularis, vel alterius figuræ, prout vulneris situs & membri, cui applicari debebant, natura requirebat, quæ in parte, qua vulnus respiciunt, complicabantur, aut suebantur subtiliter, & fila per latitudinem eorum aliquoties trajiciebantur. Istis linteis annectebantur ansulæ è filo duplicato vel multiplicato, & contorto, cerâ oblito, ea distantiâ, quam futuræ habere solent, aut etiam minore. Linteis istis inducebatur glutinum è medicamentis adstringentibus & viscosis compositum: quæ hoc modo glutine inducta & ansulis suis instructa, duo utrinquè ad latera vulneris, pollicis distantiâ, ità apponebantur, ut ansulæ sibi rectè respondèrent, & tamdiu reliquebantur, donec glutine siccato lintea cuti firmiter adhærerent lintis cui jam arctè de hærentibus ansulæ seu fila mutuo colligebantur, & constringebantur, ut vulneris labia rite unirentur, videantur Joh. Andr. à cruce *lib.* 2. *tract.* 2. paræus

Digitized by Google

libr. 10. *cap.* 26. Guillemæus *tab.* 6.

XII. Suturam verò per glutinum applicandi modum peculiarem habet Cæsar Magatus; viz. Ceratum aliquot extendit super linteum, dein ex linteo hoc tot partes longitudine digitum æquantes, vel etiam longiores, latitudine autem ligulam adstrictoriam, in extremitatibus verò paulò latiores, quot punctura in vulnere requiri videntur, abscindit; primamque in vulneris medio applicat, ità tamen, ut uni saltem lateri vulneris dimidiâ sui parte adhæreat, reliqua libera sit. Huic è latere oppositio aliam applicat; atque ità per vices procedit, unam in dextra, alteram in sinistra parte applicando: postea partes quæ liberæ sunt, nec dum cuti adhærent, unam quidem dextrâ, alteram sinistrâ manu apprehendit, & utramque versus labium oppositum contrahit, donec labia ad mutuum contractum adducantur. Hinc utramque portionem, quam manu continet, labio oppositio, cui non adhætet, applicat, utque recte omni ex parte adhæreant, curiosè studet, sicque in reliquis procedit, ità ut inter unam & alteram tantum sit intervallum, quantum aliàs inter acus puncturas solet intercedere.

Et sanè sufficiunt nunc pro glutine, emplastra digiti minimi latitudine, cuti pertinaciter adhærentia; quæ adeò validè vulneri conglutinantur, ut nec sanies, nec sanguis, nec alia quævis humiditas. Ea solvere queat. Quem in finem sæpe usurpatur *emplastrum stipticum crollii*, vel aliud quoddam glutinatorium, cujus formulæ variæ ex variis auctoribus peti possunt; hîc tamen meritò excellit *emplastrum diapalma* ritè præparatum.

XIII. Hildanus *lib. de gangræna & sphacelo cap.* 19. Glutinum ad labia vulneris applicat, ita tamen ut labia minimè attingat, sed spatium minimi ferè digiti sit inter labia vulneris & emplastrum. Poste-

Digitized by Google

ro die emplastro siccato, & tenaciter cuti adhærenti, acum filo trajectam inserit, sicque vulneris labia haud secus conjungit, ac si ipsam cutem & carnem perforasset. Glutini autem, quo utitur, descriptio hæc est;

℞. Farinæ volatilis ʒi.
Pulv. rosar. rubr. mastichis, thuris,
Sang. draconis, gum. tragacanth. an ʒij.
ℳ. F. *Pulvis subtilis, cui adde albumen unus ovi, aquæ rosaceæ q. s. ut mollis spissitudinem acquirat; ità relinquatur per noctem, & si altero die nimis spissum sit glutinum, iterum effunde aquam rosarum, aut plantaginis, ac dein utere.*

Instrumentum comprimens.

XIV. Insuper prætermittere hîc non debemus *Instrumenta* quæ *comprimendo* venæ arteriæquè læsæ orificia, ad earundem consolidationem non parum juvant; sive ea ex ligno, sive ex ferro, sive ex ære, sive ex alia quavis materia conficiantur, quorum icones apud Scultetum, aliosque passim licet videre.

XV. Deniquè circa vulnerum delitionem indagandum, an vulnus simplex & unicum sit, an vero duplicatum. Accidit namquè interdum, ut licet in cute unum sit vulnus, in musculis tamen sub cute duo sint, vel tria vulnera. Hoc enim si fiat, & Cheirurgus unum saltem vulnus curet, reliquum, quod latet, negligat, pus in altero colligitur, atque dolorem inflammationem; febrem, aliaque gravia excitat symptomata; cujus rei historias notavit hildanus *cent.* 3. *observ.* 84. 85. ubi etiam docet, qua ratione sinus ille latens possit aperiri, ac instrumenta ad eam rem idonea depicta exhibet.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De medicamentis ad vulnera curanda necessariis, & partis vulneratæ substantia salubri conservanda.

I. ATque hæc Cheirurgi officia sunt, quæ circà vulnerum curationem præstare debet: ipsa vero partium vulneratarum unio & coalitus opus naturæ est; quæ non raro sine ulla medicamentorum ope, (quod præcipuè in vulneribus internis accidit) ea, quæ disjuncta sunt, glutinat.

II. Fit autem unio hæc & coalitus alicujus glutinis interventu, cujus materia nulla alia esse potest, quam eadem; ex qua nutriuntur ipsæ partes; scilicet sanguis sanus, qui ad partes nutritionis gratiâ delatus in parietibus vulneris, nec non porositatibus & tubulis carnium hinc inde roris instar resudans à naturali partis calore elaboratur, & excoquitur viscidiorque redditur ac densatur, ut necessario per eum coëant, quæ distabant partes.

III. Cum igitur natura sit efficiens causa conglutinationis, sanguis materia; duo hæc ut rectè se habeant necesse est. Et quoad prius; duo sunt in sanando vulnere naturæ officia. Primum ut laudabile pus generet. Alterum ut ea, quæ disjuncta sunt, conglutinet. Namque licet Galenus ejus rei expressam mentionem non faciat, cum de vulneribus curandis in genere agat; tamen rhases, avicenna, & celsus, pus ex vulnere jam ad sanitatem spectante fluere, primoque pus movendum hinc purgandum, & implendum, tandemque cicatrice vulnus claudendum docent. Atque felix experientia istam curandi rationem probavit; & medicamenta, quæ eo fine applicantur, *digestiva* vulgo nuncupantur.

Digitized by Google

IV. Medicus enim hac in re naturæ succurrere debet, medicamenta admovendo digestiva, postea sarcotica seu glutinantia. In praxi equidem hîc discrepare videntur auctores; dum alii, suppurantibus seu digestivis neglectis, mox siccantia adhibent, Balsama scilicet vel naturalia, vel artificialia, quibus & vulnus illinunt, quæque in profundum instillant, & per turundas imponunt; alii pus moventia seu digestiva præmittunt. Et sane αὐτοψία docuit, utramque curandi rationem, finem suum assequi. Non tamen sine discrimine utraque medicamenta usurpanda videntur. Digestiva enim si incaute & nimis diu adhibeantur in ulcus sordidum non raro degenerat vulnus. itaque tutissimum puto, non semper uni medicamento confidere, sed pro affectæ partis temperaturâ ea componere, & digestiva sarcoticis ac glutinantibus miscere, cum experientia testetur, talia longè felicius, quam mera suppurantia usurpari.

V. Parantur autem digestiva seu pus moventia è *Vitellis ovorum, melle communi terebinthina, gummi elemi, oleo rosarum, farina tritici, hordei, &c.* v. gr. Digestiva seu Pus moventia

℞. *Therebentinæ, Mellis an* ℥j.
Vitellum unius ovi, farinæ hordei q. s.
M. F. Digestivum.

℞. *Olei rosarum* ℥ij. *Ceræ citrinæ* ℥ß.
Thuris, Mastichis an. ʒj.
Vitellum unius ovi, butyri Insulsi q. s.
Misceantur.

VI. Ubi detersum est vulnus, & laudabile pus apparet, proximum est, ut quod vulneratum & disjunctum est, carne repleatur, ac conglutinetur. Atqui abunde detersum & mundificatum vulnus esse constat, quod colore rubro appareant infectæ partes carnosæ, nervosæ vero albæ ac splendentes, os-

Digitized by Google

ſa itidem candida vel ſubrubra. Tunc autem ſarcotica apellata medicamenta imponantur. Ea tamen minus ſcitè ità dici manifeſtum eſt, cum re verâ carnem non gignant, ſed tantum impedimenta removeant; temperando viz. Acrimoniam puris acidam, & abſumendo omnem humiditatem, quæ inter agglutinanda ora poſſit eſſe impedimento, quo minus vulneris labia inter ſe uniri ac coaleſcere queant.

Sarcotica. VII. Sunt vero ſarcotica dicta medicamenta varia. v. gr. *Radix ariſtolochiæ rotundæ, conſolidæ majoris; ſanicula, centaurium, hypericum, pimpinella, plantago; ſemen fænigraci, lini; thus, aloës, bolus, colophonia, reſina pini, gummi elemi, maſtix, myrrha, ſarcocola, ſtyrax, therebinthina, cera, ceruſſa, lapis, calaminaris, lythargirum, plumbum uſtum, oleum hyperici, laurinum; unguentum, aureum, baſilicon; balſamum peruvianum, ſulphuris, mel roſarum*, & plura alia, è quibus compoſita varia pro re nata parari ſolent.

Injectio hæc carnis generationem egregiè promovet, & cava, ſinuoſaque vulnera replet;

℞. *Balſami Sulphuris therebintinati* ʒij.
Olei hyperici, camomillæ,
Styracis liquidæ an. ʒiß.
Mellis Roſacei ʒij.
Lactis dulcis vel *vini albi gallici q. ſ.*
Miſceantur pro injectione.

Alii ſequentia laudant,

℞ *Therebentinæ, gummi elemi an.* ʒiß.
Ping. caſtrati ʒij. *Porci antiq.* ʒj.
Liquefiant ad ignem, & miſceantur.
℞. *Reſinæ, ceræ, therebinthinæ,*
Olei roſarum an. ʒij.
Thuris, maſtichis, myrrhæ an. ʒij.
M. F. S. *A. Unguentum.*

Digitized by Google

Aquapendens *operat. cheirurg. part. 2. libr. 2. cap. 7.* tanquam medicamentum præstantissimum, in primis ad partium nervosarum vulnera commendat id quod sequitur : additque, se ab Hispano quodam sacerdote ejus descriptionem accepisse; qui retulit in Hispania non licere hoc medicamentum componere, quod homines medicamenti viribus confisi, facile degladientur, inquè arenam descendant. Est autem hoc;

℞. *Olei vetustissimi* ℥iv. *Therebenthinæ claræ* ℥viij.
Frumenti integri ℥iß. *Florum Hyperici* ℥ij
Rad. Valerianæ, cardui bened. an. ℥j.
Thuris pulverisati ℥ij.

Radices & Herbæ crasso modo contundantur, in olla ponantur, & tantum vini Albi superaffundatur, ut omnia in vino submergantur, atque per biduum factâ infusione, Oleum & frumentum adjiciantur, omniaque coquantur ad vini consumptionem: mox factâ forti expressionem addatur Thus ac therebintina, & iterum parum sinantur bullire, atquè in vase vitreo serventur.

Sanat vulnera, ut aiunt, spatio viginti quatuor „ horarum. Modus autem utendi hic est: „ vulnere „ prius vino albo frigido abluto; statim totum vul„ nus inungatur oleo hoc calente : quod si hoc „ commode fieri nequeat, per siphonem intra vul„ nus immittatur, & confestim vulneris labia ad mu„ tuum contractum adducantur deligaturâ, aut su„ tura, aut glutine; deinde partes adjacentes eo„ dem quoque inungantur oleo; at suprà vulneris „ labia jam reducta linteum imponantur hoc oleo „ madens, & super hoc aliud vino nigro imbutum „ atque expressum; mox alia lintea sicca; dein fas„ cia circumligetur.

Et plura hujusmodi olea, unguenta, & balsama vulneraria ex sennerto, cæsare magato, peccetto,

Digitized by Google

aliisque auctoribus peti possunt ; inter quæ tamen haud infimam laudem merentur *unguentum basilicon*, *balsamum sulphuris therebinthinatum* vel *succinatum*, nec non *balsamum peruvianum*.

Insuper emplastra sarcotica dicta varia à Chirurgiæ scriptoribus proponuntur ; sed quoniam ea in curandis vulneribus operculi vicem tantum præbere possunt, hinc operæ prætium non existimavi ullas eorum formulas hic exhibere.

VIII. Ubi vulnus carne repletum fuerit, cicatrice claudendum, cutis, seu ejus loco cicatrix, generanda, ejusque beneficio soluta continuitas plane unienda. Atqui ut in gignenda carne natura est opifex, materiam sanguis suppeditat ; ità quoque in producenda cicatrice accidit. Medicus namque impedimenta tantum removet, medicamenta imponendo magis siccantia, quæ idcirco epulotica seu cicatricem inducentia dicuntur talia sunt *radix consolidæ*, *mirrha*, *mastix*, *sarcocolla*, *lapis calaminaris*, *lythargyrum*. *Minium*, *plumbum ustum*, *tutia* ; *unguentum de tutia*, *album camphoratum*, *diapompholicos*, *desiccativum rubrum*, *&c.* *Emplastrum diapalma*, *gryseum*, *opodeltoch*, de *minio*. *&c.* In quibus eligendis partis affectæ temperatura & structura probe consideranda est.

Barbette hoc habet emplastrum,

℞. *Empl. diapalmæ, gryseï, diapompholigos an.* ℥j.
Gummi elemi ʒij. *Sachari saturni* ʒß.
Cera q. s. M. F. S. A. Emplastrum.

Sed inter epulotica dicta medicamenta palmam facilè præripit *Mercurii amalgama*, quippe quo, justo tempore usurpatum, citius cicatricem inducit ; cujus hæc est descriptio :

℞. *Plumbi* ℥j *liquefacto adde.*
Argenti vivi ℥j.
Effunde super chartem. Dein excicatum, pulverisatum,

Digitized by Google

verisatum, Emplastro diapompholigos, vel simili misceatur, ac usurpetur.

IX. Externis hisce remediis *Interna* quædam, *Vulnenaria* dicta, jungemus, quæ in vulnerum curatione non parum prodesse observantur. Sunt autem ea leviter adstringentia ac detergentia, adeòque puris laudabilis generationem promoventia, hinc vulnus mundificantia & consolidantia: qualia dicuntur *Radix, consolidæ, Gentianæ, aristolochiæ, zedoariæ, bistortæ; pyrola, sanicula, archimilla, bugula, plantago, millefolium, artemisia, agrimonia, vinca per vinca, pilosella, virga aurea; dictamnus, centaurium minus, oculi cancrorum, &c.* Ex quibus varia, pro partis affectæ structura & temperaturâ, præparantur composita, imprimis potiones vulnerariæ. Vulnerariæ internæ.

X. Equidem de potionibus vulnerariis dissentiunt practici. Nonnulli eas quidem admittunt in vulneratis iis partibus, ad quas ejusmodi potiones pertingunt, quales sunt Gula, Ventriculus, Intestina, Reges, Vesica urinaria, tuncque sunt loco Topicorum Medicamentorum: in partibus vero vulneratis externis eas prorsus rejiciunt, utpote ad quas ob situs distantiam penetrare posse non credunt.

E contrario Joh. Manardus Potiones ejusmodi ad vulnera nova & antiqua utiles, esse, seque eas non semel expertum, atque curasse iis solis pessima & desperata ulcera, testatur. Easdem usurparunt & alii, non solum Empirici, sed quoque doctissimi Medici ac Cheirurgi, ut Guido, Joh. de Vigo, Nicolaus Massa, Joh. Tagaultius, Johan. Andr. à Cruce, Fallopius, Matthiolus *comment. in dioscor.* Ambr. Paræus, Aquapendens, Ludov. Septalius, & plures, quos experientia, docuit, Potiones hasce ad vulnera curanda maximè utiles esse. Ideoque experientiæ refragari, & medicamenta longo usu pro-

Digitized by Google

bata rejicere, aut negligere, nefas sit. Etenim *præstat ea quæ fiant, quomodo fiant, quærere; quam, quod fiant, negare.* Galen. 5. *de loc. aff.* c. 3. Et sanè cum sanguine, seu vehiculo, arteriarum ductu particulas vulnerariorum medicamentorum ad quaruncunque partium vulnera pervenire posse, haud dubitandum; ubi acrimoniam puris acidam temperando, hinc & detergendo ac mundificando, eorum consolidationem non parum juvare queunt.

XI. Non tamen usurpandæ istiusmodi potiones in principio, & ubi nihil periculi in vulnere est, atque ad integram sanationem sola topica sufficiunt; sed tum imprimis, quum, ob vitiosam partis constitutionem, curationem vulnera non facilè suscipiunt; hinc non solum in vulneribus, sed & ulceribus ac fistulis feliciter usurpantur. Qua de re Ambr. Paræus sic scribit: „ natura tali potione „ adjuta planè mira faciſſe, mihi non raro visa „ est in carioſorum ossium correctione, & ulcerum „ consolidatione. Hæ namque potiones etsi humo„ res noxios per alvum non expurgent; valdè ta„ men efficaces sunt detergendis ulceribus, & ab „ omni excrementitiorum humorum colluvie vindi„ candis, sanguini desæcando, & ab ichoribus, om„ nique impuritate repurgando, fractis ossibus aglu„ tinandis, & nervis unioni restituendis. Hæc me„ dicamenta admirabili & propè divinâ vi suâ sic „ sanguinem expurgant ut ex eo, tanquam ex ma„ teria apta & laudabili caro & quævis alia subſtantia „ deperdita promptè restitui & reponi possit, & „ pars pristinæ unioni reddi. Et Matthiolus *com„ ment. in libr.* 4. *dioscorid.* ait; ejusmodi potioni„ bus vidi ego cum thoracis, tum inteſtinorum vul„ nera sanari, quæ lethalia & nullo prosus auxilio „ curari posse censebantur. Plura de decocto vulnerario, deque ejus usu ac abusu, videantur apud

Digitized by Google

Hildanum *in observatione singulari de vulnere sclopeti gravissimo, operi suo post tractatum de ambustionibus inserta, pag. mihi & libr. de Ichore & Meliceria celsi cap. 7.*

XII. Hujusmodi verò decocti vulnerarii variæ occurrunt formulæ. v. gr.

℞. *Rad. consolidæ Maj.*
Aristolochiæ rotund. an. ʒvj.
Herb. bugulæ rec. Mij.
Pyrolæ Sanículæ, alchymillæ an. Mj.
Coq. in Aquæ comm. part. ij *vini rubri part.* j. *ad* ℥xxx.
Colatura detur usui.

℞. *Herb. alchimillæ, sanículæ artemisiæ, Consolid. saracen. hederæ terrestr. an.* Mj.
Vini albi gallici ℔ij.
Coq. in vase clauso & colentur.
℞. *Rasuræ ligni guajaci* ʒiv.
Rad. Salseparillæ ʒiß.
Santali citrini ʒß.
Contusa macerentur per noctem in aquæ puræ ℥xix.
dein s. a. coq. add.
Herb. pyrolæ, sanículæ, fragariæ, Summ. hyperici an. Mj.
F. S. A. *Decoctio* ℥xxxx.

Barbette sequens extollit.

℞. *Rad. aristolochiæ rot.* ʒiß.
Cyclaminis ʒj.
Herb. prunellæ, geranii robbert. an Mj.
Sabinæ ʒiij.
Mumiæ, Galangæ an ʒij.
Oculor. cancror. ʒß.
Contusa & concisa coq. in vino rubro ad ℔iij. *colaturæ add. syrupi de symphito fern.* ʒiv.
Misceantur.

Digitized by Google

Alii laudant decoctum D. Freidachii. viz.

℞. *Rad. consolidæ maj.* ℥ij.
Herb. saniculæ, pyrolæ, ambrosianæ, melissæ, Veronicæ, artemisiæ, hyperici, cent. min. an. Mj.
Ocul. cancror. pulv. ʒj.
Coq. in cervisiæ melioris nota ℔vij. *ad* ℔iv ß.
Colatura usurpetur.

Nonnulli extollunt sequentia.

℞. *Ocul. cancror. crud. pulv.* ℥j.
Aceti vini fortiss. ℥xiv.
Digerantur simul, atque bis tervè quo idiè vulneratus sumat circiter unum cochlear.

℞. *Ocul. cancror. crud. pulv.*
Rac. zedoriæ an ℥ß.
Herb. saniculæ virid. Mij.
Coq. in vini rhenani ℔ij. *aquæ puræ* ℔j. *dein colentur.*
Bibat patiens manè & vesperi ℥v. *aut circiter.*

Vel quotidiè exibeatur vulnerato *pulvis ex oculorum cancrorum* ℥ß. *vel* ℈ij.

Diæta vulneratorum, &c.

XIII. Cæterum ut partis vulneratæ substantia salubris conservetur, rerum quoque nonnaturalium usus conveniens sit temperaturæ vulnerati in genere, & in specie parti læsæ accommodatus. *Aër* nec frigidus sit, nec calidus valdè; verum *temperatus* potius, seu *tepidus*. *Cibus & potus* tales sint, è quibus sanguis generetur laudabilis, quique pravis symptomatibus occasionem præbere nequeant. *Quies* vulneratis convenit, in primis parti vulneratæ. Recta præterea instituatur *Somni & Vigiliarum* ratio. *Animi* quoque *motus nimii* sunt vitandi, *Ira* præsertim, uti id exemplis confirmat Hildanus *cent. 1. observ. 17. 18.* Et Fallopius *tract. de vulner. in genere cap. 16.* ait: „ quandoque in vulneribus puerorum noxia quædam esse concedenda, „ ne fiat fletus, qui maximè nocet puerulis vul-

Digitized by Google

;; neratis, & ne alia pejora ſuccedant incommoda. Inſuper & *veneris uſus* nocet vulneratis: *Alvus* autem ſi non reſpondeat, aperta ſervetur Clyſtere potius, quam medicamento exhibito purgante.

Denique, ſi ſanguis in corpore vulnerati abundet, ut metuatur ejus ad vulnus defluxus, hinc & varia metuenda ſint accidentia, *Venæſectio*, ut inſtituatur, niſi anteà cruor multum fluxerit, ſummoperè neceſſarium erit.

CAPUT VIII.

De *Particulari vulnerum curatione.*

ET PRIMUM,

De vulnere carnis ſimplici, & profundo.

I. IGitur in genere de vulnerum curatione, nec non de methodo, qua eorum ſymptomata aut impediri aut moderari debeant, abundè dictum fuit: nunc geſtit animus, quonam ordine ad ſpecialem uniuſcujuſque vulneris curationem ſit procedendum, exponere. At vulnera, quæ externas duntaxat corporis partes occupant, ſunt aut in cute, aut carne, cum vel ſine contuſione, aut in carne cum continuitatis ſolutione in venis, arteriis, aut nervis, partibuſvè, nervoſis: de hiſce primum; deindè de partium compoſitarum (capitis puta, thoracis, abdominis, &c.) vulneribus agere conſtitui.

II. Communiter autem per *Carnem* intelligitur cuticula, cutis, Pinguedo, Panniculus Carnoſus, ac ſubjecta muſculorum caro. Eſtque hujuſmodi CARNIS VULNUS, quod incidendo contingit, aut ſimplex & ſine ſubſtantiæ deperdi-

Digitized by Google

tione aut cum deperditione vel amissione substantiæ. Atqui quod simplex est, & atque substantiæ amissione, aliud est in superficie, & in summo residens, aliud profundum, aliud magnum, aliud parvum, aliud mediocre. Quod vero est cum substantiæ deperditione, aliud est cum solius cutis, aliud cum subjectæ quoque carnis amissione.

Vulnus carnis simplex.

III. Vulnus vero cuti duntaxat & carni inflictum, si leve sit & simplex, curari non raro solet naturæ ipsius beneficio, solâ adhibitâ ligaturâ, aut levi quopiam imposito remedio. Enimverò cum in simplici vulnere superficialis tantum adsit divisio, hinc Medici intentio simplex & unica esse solet; viz. id quod divisum est, reuniri debet. Sed priusquam hoc fiat, si quid extraneum inter vulneris labia hæreat ut sanguinis grumi, pili, pulvis, vel quid simile, id in primis removendum; nec non immodicus cruoris effluxus, si adsit, cohibendus. Quo supresso atque deterso, mundatoque vulnere, labia ad se invicem adducenda, simulque unienda, & unita servanda, nec non petiæ ex linteo discerpto, *balsamo peruviano* aut *italico*, similive seu naturali seu artificiali, imbutæ imponendæ, ac superponendum *emplastrum diapalmæum* vel *defensivum*, vel *opodeltoch*, ut possit natura, mediante naturali partis læsæ nutrimento, disjuncta vulneris labia denuò reunire.

Vulnus Carnis profundum.

IV. Sed vulnus carnis quum profundum sit citra substantiæ amissionem, tunc in primis animadvertendum, quo spectet vulneris orificium, ejusque fundum. Si deorsum spectet orificium, sic ut sanies libere effluere possit, decenti ligaturâ, & suturâ quoque, si opus fuerit, admotis insuper sarcoticis ac glutinantibus, facillime curam suscipit.

Sin vero sursum spectet vulneris orificium, deorsumque fundum, atque in cavitate ejus sanies de-

Digitized by Google

tineatur, tum videndum, utrum partem vulneratam commodo ſitu ità collocare queamus, ut deorſum orificium, ſurſumque fundum ſpectet, adeoque libere exeat purulenta materies: tunc enim expulſivâ ligaturâ, nec non convenientibus impoſitis medicamentis, citò curabitur, nec novâ opus erit ſectione.

Atqui niſi deorſum ſpectet vulneris orificium, neque conveniente ſitu & figurâ pars vulnerata ità collocari poſſit, ut orificium vulneris deorſum, ejuſdemque fundum ſurſum tendat, aç ſanies in fundo contineatur, ibidem apertio facienda, ut puti exitus detur, vel tota cavitas, *hoc eſt*, ab orificio ad fundum uſque ſecanda. Factâ ſectione pro primo apparatu petiæ ex linteo diſcerpto immittendæ, ſanguiniſque fluxus ſiſtendus; dein conveniente digeſtivo vulnus detergendum, hinc Medicamentis utendum ſarcoticis & vim conglutinandi habentibus, tandemque epuloticis ſeu cicatricem inducentibus.

V. Interim ſi vulnus profundum ſit & anguſtum, adeoque inciſione dilatandum, cavendum ne nervi, aut venæ arteriæve majores lædantur: aliter petiis immiſſis craſſioribus curandum, ut vulneris orificium non conſolidetur, niſi bene deterſum, & carne impletum fuerit; quo facto paulatim eſt imminuenda, tandemque relinquenda petia, & vulnus impoſito emplaſtro ad cicatricem perducendum. Vel quum dilatare anguſtum vulnus inciſione non audeat Cheirurgus ob vicina vaſa majora, & ob ſubjectas nervoſas tendinoſaſque partes, vulneri immittatur *medulla ſambuci*, aut *turunda ex radice gentianæ*, vel *ſpongiæ præparatæ*, qua intumeſcente & vulnus ex voto medentis ampliatur.

Præparari autem ſpongia ad vulnera dilatanda ità ſolet:

Digitized by Google

℔. *Spongiam novam*,
Ceræ flavæ q. s.
Cerâ liquefactâ immittatur spongia, quæ dein inter duo linteamina oleo madefacta in torculari exprimatur, hinc exsiccetur, & usui servetur.

CAPUT. IX.

De Vulnere carnis composito, seu cavo, & cum Substantiæ deperditione.

I. SImplici *carnis vulneri* CAVUM succedit; viz. tum illud, in quo aliqua adest substantiæ deperditio, ut cutis, eique subjectæ carnis musculosæ; tum id, in quo etsi nulla adsit substantiæ deperditio, atque ex simplici incisione factum fuerit, equidem labia vulneris, ob ejus magnitudinem, & nimiam inter se distantiam ad mutuum contactum adduci in fundo nequeunt, atque ideo cavitas ibidem remanet: quæ ut impleatur, utque disjunctæ partes simul uniantur, nova carnis generatione opus est. Enimvero in hujusmodi vulnere cum duo succurrant, scilicet *unitatis divisio*, & *cavitas*; ideo duplex ejus curationis scopus erit. Quod namque divisum est, *unionem*, & cavitas *repletionem* desiderat. At quum partes à se invicem divisæ hîc uniri nequeant, nisi prius impleatur cavitas; ideo prima indicatio curativa erit, novam carnem generare, dehinc cavitatem replere.

II. Quia vero in tali vulnere materia quædam præter naturam semper continetur, quam pars læsa expellere nequit; idcirco hæc prius digerenda erit, & detergenda. Quem in finem digestiva & detergentia simul misceantur; ita tamen, ut digestiva primum; deinde detergentia prævaleant: utendum vero digestivis, quousque bonum pus appareat,

Digitized by Google

hoc est, quod sit album, leve, æquale, & minimè fœtidum: tunc enim si digestivis porro uteremur, in sordidum ulcus hujusmodi vulnus commutaretur.

III. Conveniens autem digestivum seu suppurationem movens Medicamentum paratur ex *therebinthina, melle, & ovi vitello.* At si digestiva ac detergentia miscere cupimus, hoc vel simile conficiatur.

℞. *Mellis comm.* ℥iß. *Therebinthinæ* ℥j.
Farinæ hordei ʒvj.
Pulv. aloës, mirrhæ an. ʒij.
Croci gr. xv.
Vitellos duorum ovorum, spir. vini ℥ß.
Fiat ex his S. A. Digestivum.

Suis quoque laudibus hic meretur *mundificativum ex apio.*

Verumenimvero angustum si sit vulnus, simulque profundum, *injectio* conducit ex *vino gallico, vel spiritu vini, cum pulvere myrrhæ & aloës.* Vel

℞. *Herb. malvæ, violariæ, artemisiæ,*
Summ. hyperici, centaur. min.
Flor. camomillæ an. Mj.
Coq. in aqua pura ad ℥xvj. *colat. adde mellis rosacei* ℥ij. *Spir. vini* ℥iij. *Misceantur pro injectione.*

IV. Postquam vulnus abunde detersum, & ritè mundatum est, imponenda sunt sarcotica seu carnem gignentia: quæ quidem carnem non generant, sed carnis gignendæ impedimenta tollunt; ut dictum supra, *cap.* 7. Talia sunt *unguentum basilicon, unguentum aureum, balsamum peruvianum balsamum sulphuris*, &c. quæ vel sola, vel inter se & cum aliis mixta utiliter usurpari solent.

Impositis sarcoticis superponendum *Emplastrum diapalmæ*, vel simile, tum ad detinenda imposita medicamenta, tum ad vulnus ab aëre frigido defendendum. Alii emplastri loco utuntur *linteis expressis in vino calido, vel fomento conveniente*, ad

Digitized by Google

partem vulneratam corroborandam.

V. Vulnere carne ferè repleto ab usu Sarcoticorum desistendum, & cicatrix inducenda impositis epuloticis, *hoc est*, medicamentis exsiccantibus & leviter Adstringentibus: qualia sunt *unguentum de tutia*: *de Cerussa*, *Diapompholigos*, *emplastrum gryseum*, *de menio*, & alia superius exposita.

VI Cæterum etsi carnis generatio sit naturæ opus; tamen non rarò ex medentis negligentia supercrescens caro in vulneribus enascitur: quando non, uti decet, exsiccantia medicamenta apposuit, & diu nimis Sarcoticis fuit usus. Quamobrem cum caro ad justam magnitudinem & altitudinem excreverit, imponenda *carpia sicca*. Sin nihilominus ultrò excrescat, absumenda est eo modo, ut *cap.* 7. exposuimus.

CAPUT X.

De Vulneribus Vasorum, hoc est Venarum & Arteriarum.

I. VENARUM ET ARTERIARUM MAJORUM VULNERA totam ad se trahunt curationem, idquè non vulneris ratione, quod facile uniri potest; sed ob gravius symptoma, quod nunquam non istiusmodi vulneribus supervenit: viz. sanguinis profusionem, quæ animi deliquia, atquè similia excitare solet accidentia. Sed cum sanguis fluat vel ex venis, vel ex arteriis, & quidem nunc majoribus, nunc minoribus; qui è venis profluit cruor, crassior est, nigrior, obscurior, atquè sine pulsu æqualiter effluit, qui verò ex arteriis prodit, tenuior apparet, spumosior, & coccinei coloris, nec non cum pulsatione exilit. Si majus vas sit apertum, majore copiâ & impetu sanguis profunditur; minore autem,

Digitized by Google

si minus vas sit vulneratum. Insuper ab Anatomes Perito è sede, locoque vulneris haud difficulter, cognoscitur num sit in parte, per quam venæ & arteriæ, vel majores, vel minores transeunt.

II Horum verò vasorum vulnerum curatio dirigenda est, & ad immodicum cruoris effluxum cohibendum, & ad apertum vas occludendum. Atque hinc, etsi vulnus vasis nondum coaluerit, ut sanguinis fluxus prohibeatur, omnia ea sunt facienda quæ ejus motum impedire ac inhibere possunt. Impeditur sanguinis fluxus, si convenientibus remediis, & deligatione orificium vulneris occludatur, ut *cap.* 4. abunde docuimus.

Hujusmodi Vasorum vulnera quomodo sint curanda.

III. Quoad aperti vasis occlusionem; ea fieri potest; vel labiorum simus adductione & conjunctione, vel orificii obstructione. Adducuntur labia nonnunquam suâ sponte, interdum Medici operâ. Spontaneo motu ad se invicem accedunt, quando ob nimiam sanguinis profusionem tunicæ vasorum concidunt, sicquè labium super labium cadit. Medicus verò id facit manuum operâ; viz. vel digitis vulneris labia & vasis orificium eo usque comprimendo, ac detinendo ut sanguis grumescat, atquè vas vulneratum obstruat; vel fasciis liquore adstringente madefactis, & aliquoties supra vulnus revolutis, vulneris labia comprimendo; vel futurâ vulneris labia simul adducendo.

IV. At si non speramus hæmorrhagiam sedari posse, adducendo ad mutuum contactum vulneris labia, vel digitis, vel deligaturâ, vel futurâ, *vas vulneratum filo vinciatur*: volsellâ seu alio quopiam adunco instrumento vas apprehendatur, paululum elevetur, dein filum undique obvolvatur, & stringatur. Quo facto sarcoticum ac sanguinem sistens Medicamentum imponendum, & vincula non removenda, donec ex se cadant, atque apertum

Digitized by Google

vas penitus occlusum sit. Sed hic sanguinem sistendi modus in primis locum habet in arterarium vulneribus.

Sin verò apertum vas vinculo ligari nequeat; ob venæ arteriæve profundiorem situm, tunc integrum vas oblique præcidendum; ut hoc modo vasis dissecti extremis retractis, & sub carne absconditis, hinc & occlusis, sanguis supprimatur.

V. Scultetus *in armament. chirurg. tab.* 18. *fig.* 4. describit atque depingit instrumentum ad carpi arteriam, consultò aut fortuitò apertam, comprimendam; idque in arteriarum carpi vulneribus utilissimum esse, ait *in explicatione tab. ultim. pag. mihi* ubi etiam refert patavii suo tempore fuisse exercitatissimum arteriotomum, qui ex consilio Medicorum arteriam in carpo nonnunquam incidebat, factaque sanguinis evacuatione hoc instrumento vulnus ità comprimebat, ut ne gutta quidem sanguinis citrà Cheirurgi voluntatem profunderetur, neque ullum ex compressione symptomata eveniret. At qua ratione hoc suo instrumento vulneratam in carpo arteriam compressit, sanguinemque suppressit, videri potest *post armament. chir. observ.* 89. Insuper & alia instrumenta nunc passim habentur, quæ vulneratam in carpo arteriam tuto comprimere, hinc curare queunt.

VI. Atquè hi omnes sanguinem suprimendi modi præcipue in vulneribus absquè substantiæ deperditione, & ab instrumento incidente factis conveniunt, verum si portio quædam substantiæ ipsius vasis sit deperdita, tunc vulneris labia ad invicem ducenda non sunt; sed obstruendo vasis aperturam, sistenda sanguinis profusio. Hæc autem obstructio sit per sanguinem intus concretum: digitus enim fissuræ imponitur, ac tamdiu detinetur donec circa digitum sanguis concrescat. Quo facto, prudenter digitus auferendus, &, si opus videatur, alia medicamenta

Digitized by Google

imponenda ; ſin minus , relinquendus eſt grumus, donec ſponte decidat. Et hoc fuit conſilium Leonardi Botalli , uti refert Illuſtris Satrapa Hooffdius *in Hiſtoria Batava libr.* 19. vulneratam venam jugularem in collo celſiſſimi Principis Auriaci Gulielmi Primi , impoſito ſupra eam digito obturatam, atquè ſanguinis ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe.

VII. Niſi hoc modo ſuccedat , extrinſecus vaſis orificium obſtruendum ; vel reducendo vulneris partes carnoſas ; aut cutem ſuprà vulneris oſculum , quod cum fieri poſſit , optimum eſt , quoniam haud difficulter ea conglutinantur. At ſi vulneris figura hoc non patitur , ſicco linteo diſcerpto vulnus implendum , aliiſvè conglutinantibus medicamentis utendum.

VIII. Sin verò nec his auxiliis ſanguis ſiſti poſſit , ut quando magna vaſis portio eſt ablata , ad cruſtam vel eſcharam inducentia eſt deveniendum. Quæ tamen curatio admodum tuta non eſt : nam ſi forſan contingat , ut, priuſquam ſanguinis profuſio ſiſtatur , cruſta cadat , augetur utiquè hæmorrhagia ; quod ex vaſis uſtione amplius factum ſit orificium. Quapropter hujuſmodi remediis non utendum , niſi reliqua fruſtrà fuerint experta. Efficiunt verò cruſtam aut ferramenta candentia , aut cauſtica Medicamenta , quibus , præter vim erodendi , facultas adſtringendi ſit conjucta.

IX. Inductâ eſcarâ , quam citiſſimè carnis generationi danda opera, ut priuſquam cruſta cudat , vas carne occluſum ſit. Hinc eſcaræ caſus feſtinandus non eſt, quoniam majus fieret ſanguinis profluvium; verum curandum potius , diutius adhæreat.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Vulneribus Nervorum, & Nervosarum Partium.

Nervorum & Tendinum Vulnera dupliciter sunt considerandа.

I. VULNERIBUS NERVORUM etiam eaquæ TENDINUM sunt comprehendimus, eo quod in curatione nullum occurrat discrimen. Sunt verò *Nervorum* vel *tendinum Vulnera duplicia*; viz. *punctura* aut *incisio* prout instrumentum vulnerans punctim, vel cæsim vulnus infert.

Quibus istiusmodi vulnera cognoscuntur.

II. Cognoscitur autem nervum vel tendinem esse vulneratum, ex loci vulnerati consideratione, & ex Anatome, quæ quibus membris nervi, tendinesve inserantur docet: dein ex dolore vehementi, qui statim post inflictum vulnus ægrum infesta quemque pulsatio, inflammatio, convulsio, & similia plura sequuntur accidentia; nisi nervus transversim totus sit dissectus. Enim vero habent nervi sensum exquisitissimum, & propterea iis vulneratis statim in parte vulneratâ gravia hæc symptomata oriuntur; quod fibrillis quibusdam in nervo dissectis, reliquæ integræ adhuc, tanto magis patiantur à tentione continua, per vehementiorem spirituum animalium influxum producta. Insuper Nervum vel tendinem *Punctim* vulneratum esse, cognoscitur ex ipso teli genere, & vulneris conditione; si nimirum id angustum sit, & nihilominus gravis mox subsequatur dolor, atque hinc pulsatio, inflammatio, febris, convulsio, &c.

Atqui si nervus vel tendo non punctim, sed *cæsim* vulneratus sit, indagandum, an secundum longitudinem, an verò per transversum, & quidem, an nervus vel totus dissectus, vel ex

Digitized by Google

parte tantum vulneratus sit, & quantum cutis superjacentis sit divisum; cum hujusmodi horum vulnerum differentiæ non parum curationem varient. Si itaque nervus si cæsim vulneratus, verum non totus dissectus, symptomata haud ità gravia sunt, ac si punctim vulneretur. Si secundum longitudinem nervus vel tendo sit vulneratus, convulsionis metus tantus non est, cum fibræ non ità afficiantur. Sin totus dissectus sit, equidem tantum periculum non adfert, nec ullus convulsionis metus est: aliud tamen incurabile malum subsequitur, partis scilicet, cui nervus vel tendo inseritur, debilitas in sensu & motu, cum spiritus animales eam in partem amplius deferri nequeant.

Horum vulnerum Prognostica.

III. Cæterum omnia nervorum vulnera quanquam sint periculosa, punctura tamen periculosior est, quam sectio. Tendinum vulnera minus periculosa sunt, quam nervorum. Vulneri superveniens Convulsio, lethale, ait hipp. *aphor.* 2. *sect.* 5. quod potissimum de partium nervosarum vulneribus intelligendum censemus.

Curatio.

IV. Quoad *curandi methodum*: in omni nervorum atquè tendinum vulnere, cum dolor valdè affligat, & inflammatio immineat, danda opera, ut dolor leniatur, ac inflammatio prohibeatur, quem in finem *venæsectio* adeo conducit, ut ab ea oporteat Medicum vulnerum horum curationem semper auspicari.

Specialis vero curatio ab aliorum vulnerum curatione differt, propterea quod alia consolidari debeant, hæc vero dilatari; quorum essentia considerandæ est, & species. Nam incisus omninò si nervus fuerit, minora toti corpori infert symptomata, quam si aliqua tantum ex parte sectus sit; sed adfert impotentiam, membrum actione privans. Si incisio in longum fuerit. Minus incommodi parit, quam quum in transversum. At punctio omnium deterri-

Digitized by Google

ma est, ob extremum dolorem, nec non gravissima ac periculosissima accidentia, quibus promptè ac diligenter occurrendum est.

In Nervi, Tendinisvè Punctura quid agendum, &c.

V. Igitur nervus vel tendo si *punctim* vulneratus fuerit, considerandum num *punctura* sit cæca, vel aperta. *Cæca* fieri solet ab acu, sagitta, pugione, aut simili instrumento: quo in casu cutis incidenda est, vulnusque dilatandum ad sub-rectum usque nervum vel tendinem, ut sanies exire, & medicamentorum particulæ ad punctúram penetrare queant.

At punctura si cæca non sit, verum *aperta*; patens tale vulnus servandum, &, si opus sit, latius quoquè incidendum: hinc imponenda medicamenta siccantia, calida, tenuium partium, ut nervus punctus roboretur, dolor mitigetur, qualia sunt *Terebinthina. Cera, gummi elemi, tecomahaca, caranna, opobalsamum, balsamum, copaivæ, balsamum peruvianum, balsamum sulphuris, spiritus vini, oleum therebinthinæ, oleum ceræ, oleum succini*, & similia: etenim in partium nervosarum vulneribus, ubi nervus vel tendo est denudatus, nec unguentum, nec oleum pingue unquam admovendum; quippe quod vehementem mox excitare solet inflammationem.

Fallopius inter omnia medicamenta principem locum *euphorbium* tenere ait, idque in nervi tendinisque punctura *sacram anchoram* appellat.

Galenus piscatoribus, qui continuo à spinis piscium pungebantur, singulare excogitavit remedium; viz. *Therebinthinam*, quam calidam in punctúram instillabat. Et sane præstantissimum ac præsentaneum remedium est *oleum therebinthinæ*; quod nervo aut tendinis denudato actu calidum sit admovendum, ut ipsius particulæ in majori motu positæ facilius & altius penetrent: insuper imponenda petia hoc vel simili digestivo illita,

Z. Terebinthinæ

Digitized by Google

℞. *Therebentinæ* ℥jß.
Mellis, Unguenti basiliconis, olei therebinthinæ an. ziij.
Pulv. Myrrhæ ziß. *Vitellum unius Ovi,*
M. F. S. A. Digestivum.

Scultetus *post armam. chir. Obs.* 64. in nervi punctura vehementer extollit id quod sequitur;

℞. *Therebrntinæ* ℥ß. *Pulv. euphorbii.* ℈i.
ceræ parum. M F. Unguentum.

VI. Notandum ergò, nulla medicamenta nervo vel tendini vulnerato esse admovenda, nisi actu calida, imò & fervida nonnunquam. Et si in nervi, tendinisvè punctura, impositis dictis medicamentis, dolor non sedetur, quin exacerbetur potius, cum affectæ partis inflammatione, labiorum vulneris tumore, & serosæ, tenuis arquè virulentæ saniei exudatione, *Spiritus vini* vel *oleum therebenthinæ fervens* instillandum, eoquè imbuto linteo spatulæ extremo alligato aliquoties contingenda non modo vulneris superficies, sed & ima ejus pars. Hoc enim, seu cauterio, inusto nervo vel tendine, sensus adimitur, proindequè dolor sedatur. Hac methodo ambr. Pareus carolum nonum galliæ regem (cui loco venæ nervus fuit punctus) curavit: *instillato* scilicet *in vulnus fervente oleo therebinthinæ cum Spiritu vini, & applicito super totum brachium emplastro diapalmæ in aceto & oleo rosaceo dissoluto, obvolutâ insuper fasciâ expulsivâ, quæ à carpo ducto initio, in summum humeri articulum desinebat.*

VII. Ad *dolorem* sedandum, *cataplasma ex mica panis, lacte, & croci tantillo*, parti affectæ utiliter. Vel,

℞. *Micæ panis albi* ℔ß. *farinæ althææ* ℥iß.
Flor. camomillæ, anethi an. Miß.
Coq. in lacte dulci ad mollitiem, & dein contunde.
Pro cataplasmate.

Digitized by Google

Quum autem dolor non tantum, ſed magna inſuper adſit *inflammatio*, uti non rarò contingit, hoc vel ſimile applicetur:

℞. *Mica panis albi* ℔j. *Farinæ hordei* ℥ij.
Foli. ſcordii rutæ,
Flor. ſambuci an ℥j.
Summ. abſynthii ℥ß.
Fiat pulvis, ex eoque cum ſ. q. Vini gallici vel lactis dulcis S. A. cataplaſma.

Dolor verò ſi vehemens ſit, & inflammatio inſignis adeoquè *convulſio* imminere videatur, nervus omninò ſecandus eſt, quo ea impediatur. Nec refert, ſi ex eo membrum futurum ſit paraliticum: ſatius enim eſt, motum alicujus partis perire, quam totum hominem.

VIII. Deniquè in Nervi tendiniſvè punctura quoquè animadvertendum, ut vulnus non conglutinetur priuſquam optimè fuerit purgatum, quod ex doloris ſedatione, aliorumquè ſymptomatum imminutione dignoſcitur. Interim tamen induſtrius ſit cheirurgus in ambiente frigido aëre arcendo, quandoquidem ille *acidum acre* in ſe continet, cujus ratione nervis ſit inimicus. Hipp. *Aphor.* 18. *ſect.* 5.

Notatu digna porrò nervi puncturæ exempla videantur apud Jobum meekeranum *obſerv. cheirurg. cap.* 62.

IX. Haud ſecus procedendum, ſi nervus vel tendo *caſim* vulneratus fuerit. At ſi totus ſit inciſus, ſuadet M. A. Severinus *Efficacis cheirurg. lib.* 2. *cap.* 123. ut nervus, & præſertim tendo diſciſſus conſuatur. Hoc tamen minimè admittendum, quoniam ſi ſuendo pungeretur, eadem ſymptomata acciderent, quæ alias in nervorum punctura oriri ſolent. Idem affirmat petrus de Marchetis *obſerv. cheirurg.* 63. ubi addi, ſe obſervaſſe, incautè nervos, aut

Digitized by Google

tendines à quibusdam barbitonsoribus fuisse consutos, secutâ convulsione, & morte Ægrotantium.

CAPUT XII.

De Vulnere cum Contusione.

I. CÆterum differunt vulnera non solum partium læsarum ratione; sed & instrumenti, quo vulnus infligitur, conditio vulneris aliquam adfert differentiam. Etenim vulnera alia instrumentis infliguntur acutis, alia obtusis; quod non parum curationem variat. Atquè ideò quum de vulneribus punctim aut cæsim inflictis hactenus dictum sit, nunc ut de iisdem obtusis instrumentis illatis agamus, ordo huius Tractatus expostulare videtur.

II. Solutæ igitur Unitatis illa species, quam instrumenta obtusa in parte molli efficiunt, CONTUSIO apellatur. Fit autem *contusio in vulneribus*, quando telum aut instrumentum, quo vulnus infligitur, non solum incidendi & secandi, sed quoquè contundendi vim habet: id quod fit, quum istiusmodi vulnerans instrumentum retusum sit, aut grave; quo modo & sine vulnere, & cum vulnere mollis pars contundi, & quasi comminui potest. Vulnus cum contusione quale sit.

III. Cognoscitur autem Vulnus cum contusione ex instrumento, quo vulnus inflictum fuit; si scilicet obtusum, & grave id fuerit: dein ex dolore, & livido partis læsæ colore. Atquè tale vulnus periculosius, & difficilius curatu est, quam quod est sine contusione: præsertim quod pars contusa, & sanguis ex dilaceratis vasis effusus si putrescere incipiat, gangræna non rarò oriatur. Quomodo cognoscatur, &c.

IV. Atqui in vulneris hujus curatione cum duo occurrant, vulnus nimirum, & contusio: hinc intentiones curativæ duæ sunt, quarum altera ad vulnus, Curandi methodus

Digitized by Google

altera ad contusionem spectat. Enimverò cum id quod contusum est, in integrum restitui nequeat, & sanguis è vasis effusus in parte contusa hæreat, adeoquè facilè corrumpatur; danda opera ut utrumquè vel discutiatur, vel potius in pus mutetur, docente id Hipocrate *Libr. de Ulceribus*: „ Si quid carnis collisum, attri„ tumquè à telo fuerit, ita curandum est, „ ut quam „ celerrimè suppuretur: nam & minus inflamma„ tione prænditur, & necesse est collisam de„ tritamquè à Telo carnem in pus conversam tabescere, deinde novam creari. Duæ igitur indicationes in contuso Vulnere curando nobis ab Hippocrate proponuntur; suppuratio nimirum, & novæ carnis generatio. Quibus scopis ut simul satisfiat, vulneri cum petiis immittatur hoc, vel simile digestivum.

℞. *Terebinthnæ* ℥iß.
Mellis, unguenti basilicónis, olei rosacei an. ℥ß.
Pulv. croci ℈j. *vitellum unius ovi.*
M. F. S. A. Digestivum.

Patres verò contusæ dolorem lenientibus, ac leviter resolventibus inungendæ. v. gr.

℞. *Olei rosarum, camomillæ, trifolii odorati an.* ℥ß.
Cera ℥j.
Misceantur pro litu.

At magna si sit contusio, insuper admoveatur fomentum.

℞. *Herb. malvæ, althææ, rutæ, artemisiæ.*
Scordii, absynthii,
Flor. camomillæ, meliloti an. Mj.
Coq. in s. q. cerevisiæ tenuis ℥xxx.
Colatura sit pro fotu.

Vel, quoniam quæ contusa sunt quam citissimè suppurari debent, ejus loco calide imponatur, & identidem renovetur cataplasma:

℞. *Rad. lilior. albor. rec.* ℥iij.
Fol. malvæ, althææ,

Digitized by Google

Flor. camomillæ meliloti an. Mj.
Caricarum pinguium No. viij.
Coctis in aqua pura ad mollitiem, & minutim contusis, add.
Farinæ hordei, ſem lini an. ℥iß.
Unguenti baſiliconis ℥ij.
Pulv. croci ʒß *Vitello duorum ovorum.*
M. F. *S. A. Cataplaſma.*

V. Vulnere abundè ſupurato, ad detergentia deveniendum: qualia ſunt *Unguentum baſilicon, unguentum aureum, unguentum apoſtolorum, mel roſaceum*, & ſimilia; quibus penicilli, ſive turundæ ex filamentis factæ imbuendæ, & vulneri immittendæ, ac deſuper ſicca linamenta, vel aridæ ſtupæ imponendæ, & contentivâ faſciâ continendæ. Purgato verò, ac deterſo vulnere, impoſitis ſarcoticis vulnus carne implendum; quod facilius conſequemur, turundas in dies imminuendo: hinc ad cicatricem perducendum.

Contuſio & ecchymoſis ſine vulnere.

VI. Equidem non ſemper contuſioni adeſt vulnus ſed effunditur quandoquè ſanguis, integrâ manente cute, in ſpatia partium, unde oritur Affectus, qui ἐκχύμωμα ἐκχυμωσις appellatur; latini *Effuſionem, Suffuſionem, ſugillationem*, verterunt. Eſt autem ECCHYMOSIS nihil aliud, quam *cruoris in vicina ſpatia, ob vaſorum apertionem effuſio*, ſi nimirum, cute illæsâ, vaſa ob contuſionem lacera ſanguinem effundant. Etſi verò ſæpius pars in tumorem non attollitur, ſed ità ſanguis effuſus in ſpatia partium ſeſe inſinuat, ut nullus tumor appareat interdum tamen pars intumeſcit ſi extravaſati cruoris copia major ſit: imo interdum tanta in copia ſanguis effunditur, ut ſub cute inter muſculos collectus ſinum efficiat, atquè partem in tumorem attollat; hinc inflammationis, & tandem gangrænæ cauſa evadat. At quam periculoſæ ſint

Digitized by Google

magnæ contusiones, & quam facilè in gangrænam degenerent, exemplo docet hildanus *cent.* 2. *observ.* 83.

Qua ratione Cuxari debeat.

VII. Itaquè facta contusione, sanguinis in locum affectum fluxus præcavendus, ne inflammatio excitetur: id optimè fiet per *Venæsectionem.* Qua de causa galenus jubet, ut in casu ab alto, & percussionibus, mox vena aperiatur. Deinde parti contusæ applicetur *spiritus vini*, vel *simplex*, vel *camphoratus*, aut illinatur *oleum cera*, ac superponatur *emplastrum de cumino*, *vel Emplastrum de spermate cœti*, cuius hæc est descriptio:

℞. *Cera alba* ℥iv.
Spermatis cœti ℥ij.
Gummi galbani in aceto soluti ʒj.
Fiat ex his. S. A. Emplastrum.

At contusio si magna sit, emplastri loco, calidè applicetur fomentum, identidemquè renovetur:

℞. *Fol. malvæ, althææ, rutæ artemisiæ, calamenthæ,*
Scordii, dictamni,
Flor. rosar. rubr. an. Mj.
Camomillæ Mij.
Sem. cumini ʒvj.
Incisa & contusa con. in cerevisia tenui, vel vino gallico ad ℔iij. *pro fomento.*

VIII. Hisce verò si nulla fiat resolutio, sive contusio non sit valdè magna, locus affectus incidendus, dein detergendus, tandemque more aliorum absceſſuum curandus. Cum autem suppurationis notæ adsint, utpote cum locus affectus nonnihil intumescat, ad tactum mollis appareat, dolor quidam pulsatilis & rubedo circum apparere incipiat, promovenda est suppuratio. Facta suppuratione, absc[illegible] aperiendus, dein ulcus purgandum, & de[illegible]dum, hinc carne implendum, tandemquè cicatrice claudendum.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Vulneribus Morsu Animalium illatis, aliisque Venenatis.

I. AD Vulnera cum contusione pertinent EA, quæ ANIMALIUM MORSU inferuntur. Sunt autem *hæc* vel *Venenata*, vel *Veneni expertia*. Enim verò accidit interdum, ut homo à cane, similia, equo, asino, aliisvè animalibus non rabidis, vel etiam ab alio homine mordeatur. Nihilominus tamen omnem feræ morsum quoddam virus habere, scribit C. celsus *libr. 5. cap. 27.* Id quod de feris, iratis præsertim, facilè negari non potest. Et quamvis nulla omnino virulentia sit in vulnere morsu animalis inflicto; contusio equidem, quæ omnia vulnera periculosiora & curatu difficiliora reddit, vulnera hæc graviora facit. Nam cum animalium dentes non ità acuti sint, ut gladius, vel culter, vel aliud armorum genus, dum vulnerant, simul contundunt.

Vulnera Morsu Animalium illata, qualia sint

II. Quam periculosa autem sint vulnera etiam Hominis morsu illata, docet Jobus meekeranus *observ. chirurg. cap. 64.* exemplo cujusdam furis, qui lictorem morsu in pollice dextræ manus ità excepit, ut in plures particulas os comminutum, & mors sequuta fuerit. Affirmat idem tribus exemplis Hildanus *cent. 1. obs. 84. 85.* Quorum primum est mercatoris, inter pocula morsu alterius in apice dextri indicis vulnerati; cui ex morsu tota manus fuit inflammata, & gangræna sequuta, cum convulsionibus, febre ardente, syncope, & maxima inquietudine. Alterum est de medico, à phrenetica, cum incautè linguæ explorandæ gratiâ, digitum in os mulieris immitteret, demorso; cui vehemens

Digitized by Google

dolor non ſolum in digito, ſed & toto in brachio ſtatim exortus fuit. Tertium eſt viti, ab alio furioſo ad primam pollicis articulationem graviter morſi; cui itidem dolor vehemens per totum brachium mox exortus eſt, febriſquè ſequuta, & ſyncope. Haud abſimilem hiſtoriam recenſet Matthias Glandorpius in *Speculo cheirurg. obſ.* 49. de viro, qui dentibus alterius irati in pollice circa primum articulum ſauciatus fuit; unde dolor maximus, totius manus inflammatio, febris, corporis inquietudo, lypothymiæ frequentes, & intenſus capitis dolor exortus eſt. Et ſanè vulneri hæc periculoſa ſunt, tum ex ſe propter contuſionem, tum quod ſaliva iratorum animalium venenati aliquid conjunctum habeat, & eò magis periculoſa ſunt, ſi partes nervoſæ mordeantur.

Quomodo curari debeant.

III. Igitur cum in vulnere morſu Animalium illato adſit contuſio, nunc major, nunc minor, prout dentes animalis ſunt magis minuſvè acuti, & ex contuſione magnus inferatur dolor, præſertim quum virulentia quædam morſui adſit, ideo diverſam curationem hujuſmodi vulnera ab aliis requirunt; atque tum contuſionis, tum malignitatis, tum doloris habenda eſt ratio. Quapropter ſanguis primum diligenter è vulnere exprimendus, idque abluendum *aceto acerrimo*, vel potius *ſpiritu vini*, aut *ſimplici*, aut *camphorato*, ſeu *ſpiritu vini in quo diſſoluta Theriaca*: hinc imponendum hoc vel ſimile Digeſtivum;

℞. *Unguenti Baſiliconis* ℥j.
Mellis Therebinthinæ an. ℥ß.
Theriaces, Olei Scorpionum an. ʒvj.
Vitellum unius ovi.
Miſceantur pro Digeſtivo.

Interim ad malignitatis virus per corporis habitum expellendum, & ſymptomata graviora præcavenda,

Digitized by Google

mixtura continnò utatur patiens sudoriferâ & alexipharmacâ, ex *aqua melissæ, cardui benedicti, confectione hyacinthorum, sale absynthii, oculis cancrorum, &c.* At à venæsectione, & purgatione, quas multi hîc nimis temerè proponunt, omnino abstinendum.

Ad inflammationis & doloris sedationem admoveatur cataplasma: v. g.

℞. *Farinæ avenaceæ*, vulgò (*havergort*,) ℥xij.
Pulv. fol rutæ, scordii,
Flor. sambuci an. ʒvj.
Coctis in cerevisia tenui ad pultis consistentiam add.
Butiri rec. ℥ij. *aut* ℥iij.
M. F. *Cataplasma.*

Dolore sedato, morsuquè probè digesto, vulneri imponatur mundificativum v. g.

℞. *Mellis* ℥ij. *Therebinthinæ* ℥j.
Theriaces, farinæ hordei an. ʒv.
Pulv. aloës, myrrhæ, aristoloch. rot. an. ʒj.
Croci gr. xv.
Spir. vini ℥j. *vitellum unius ovi.*
M. S. A. pro mundificativo.

Detersо tandem, & mundificato vulnere, carne id replendum, & cicatrice claudendum, ut aliàs fieri solet.

Sin gangræna imminere videatur, pars affecta scarificanda, & porro tractanda, ut *lib.* 1. docuimus.

Vulnera Venenata quænam sint.

IV. Denique & peculiarem requirunt curationem VULNERA VENENATA; sive venenum globis, sagittis, telis, aut quocunque armorum genere sive animalium, ut canis vel lupi rabidi, vel alterius venenosi morsu, sive ictu scorpionis, aspidis, vel aliùs venenati insecti inferatur.

V. Hujusmodi autem venenata vulnera ab aliis minus venenatis, haud ità difficulter dignoscuntur. Si namque ab animalibus venenosis inflicta sint, ex

Digitized by Google

ægri relatione innoteſcunt. Verum à globulo plumbeo, vel telo, vel alio armorum genere ſi vulneratus ſit patiens, cognoſcitur id ex eo, quod in loco vulnerato ſenſus doloris & punctionis major ſit, partis vulneratæ color naturalis muterur, & in lividum ac nigrum degeneret, moxque ſimptomata præter rationem vulneris gravia ſequantur; viz. toto in corpore nunc ardor, nunc obſtupeſcentia, & præcordiorum anguſtia, interdum & tremor ac lypothimia percipiatur. Quamprimum enim venenum per venas & nervos receptum eſt, ſeſe in ſanguinem & ſpiritus diffundit, quibus infeſtum admodum eſt; unde gravia hæc excitantur ſymptomata. Quæ quidem generalia venenati vulneris ſigna ſunt; quibus tamen plurima alia pro veneni cujuſque naturâ accedunt ſymptomata.

VI. Cæterum omne vulnus, quod venenato armorum genere, vel à venenoſo animali inflictum eſt, longè gravius & periculoſius eſt, quam quod veneno caret; adeo ut vulnus etiam exiguum venenatum mortem adferre poſſit, cum magna etiamnum vulnera aliàs ſanari queant.

Qualis curatio ipſis competat.

VII. Quoad *indicationes curativas*: vulnus, quatenus vulnus, quomodo curandum ſit, nunc abunde expoſuimus. Sed ſi ſpectetur ut venenatum, danda opera, ne altius in ſanguinem & ſpiritus penetret venenum; dein ut ejus vis infringatur alexipharmacis.

Primum ergo attendendum, an telum venenatum adhuc intrà vulnus hæreat: omnis ſiquidem fruſtrà tentatur curatio, niſi id extrahatur; atque ideo, ut manus operâ quamprimum eximatur, laborandum.

Deinceps venenum ipſum extrahendum, & ad exteriora evocandum. In quem finem veteres adhibebant *ſuctiones* & qui id præſtabant *pſylli* apellabantur,

Digitized by Google

existimabantque, eos proprietatem quandam habere venenum suctione extrahendi, eidemque resistendi; cum tamen id saltem audaciâ præstarent. De hisce Celsus *lib. 5. cap. 27.* ita scribit: „ Si ne id quidem est, homo adhibendus est, qui vulnus exugat. Neque hercules scientiam præcipuam habent „ hi qui psylli nominantur, sed audaciam usu ipso „ confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quædam „ etiam venatoria venena, quibus galli præcipue „ utuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Et „ *paulo post*: „ Ergo quisquis exemplum psylli secutus, id vulnus exuxerit, & ipse tutus erit, & „ tutum hominem præstabit. Illud, ne intereat, „ ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat. Hic modus, venenum è vulneribus & ictibus venenatis educendi, in India Orientali nunc etiamnum familiaris est, ut sæpius mihi narravit Nob. ac Illustr. D. D. van Rheede tot Draakestein; oculatus testis; ubi hoc curationis genere multi victum & amictum sibi quærunt: viz. ex ictibus, morsibusve serpentum, aut aliorum venenosorum animalium venenum suctione extrahendo; dum interim ore identidem colluto ac deterso *limonum succo*, sese præmunire, ac tutos reddere norunt ad acrimoniam & malignitatem exucti veneni.

VIII. Alii venenum è vulneribus venenatis, præsertim è morsibus ictibusvè venenosorum animalium, extrahunt *cucurbitulis*, quæ eo potentius operantur, si profundiores adhibeantur scarificationes. Amotis cucurbitulis gallinam vel columbam vivam deplumato podice, vel per medium sectam, vulneri imponunt.

Alii, si locus affectus nervosus non sit, in venenatis vulneribus, carnem undique exscindunt, vel partem læsam abscindunt, & refert Galenus, vini-

Digitized by Google

torem quendam, à vipera morſum, confeſtim læſum digitum falce abſcidiſſe; atque ità omne periculum evitaſſe, ac evaſiſſe.

1 X. Abluere quoque vulnus utile erit *aceto acerrimo*, aut *ſpiritu vini ſimplici*, vel *camphorato*, aut *aqua contra gangranam*, aut *ſpiritu vini in quo theriaca diſſoluta*.

Nonnulli ſi vulnus non ſit in parte nervoſa, ſeu efficaciſſimum remedium, laudant *actuale cauterium* quod vi ignis & venenum abſumere, & ne ad interiora penetret prohibere valet: atqui curandum, ut citò decidat cruſta; quod niſi fiat, ſcalpello ſeparanda, nec ulcus ſtatim conglutinandum, at diu apertum ſervandum, tandemque ſenſim curandum. Ipſi autem vulneri imponunt *cepam cum ſale*, vel *allium ſylveſtre*, vel *rutam cum theriaca aut ſtercore columbino contuſam*, vel tale emplaſtrum;

℞. *Caparum coctarum* ℥iij. *Theriaces* ℥ß
Stercoris caprilli ℥j. *Pulv. rad. angelica* ʒiß.
Olei ſcorpionum ℥iß. *Mellis & ceræ q. ſ.*
M. F. *S. A. Emplaſtrum aut cataplaſma.*

Barbette ex guidone proponit, & laudat hoc, quod ſequitur:

℞. *Gummi, galbani, ſagapœni opoponacis, Myrrhæ,*
Aſſæ fœtidæ, piperis, ſulphuris an. ʒvj.
Stercoris columbini, anatis an. ℥j.
Mumiæ ℥ß. *pulv. rad. conſolid. maj.* ʒiij.
Olei Hypericonis. q. ſ. M. F. *S. A. Emplaſtrum.*

X. Interea dum hæ fiunt, & quidem ſtatim acceptо vulnere, exhibenda ſunt antidota, quæ veneno reſiſtunt, idque per latum cutis ſpiraculum, excitato ſudore, expellunt; qualia ſunt *Theriaca*, *Mithridatium*, *diaſcordium*, *confectio hyacinthorum*, *Lapis bezoar*, *cornu cervi*, *antimonium diaphoreticum*

Digitized by Google

bazoardicum minerale, *Unicornu*, *&c.* At venæsectio, & purgatio nocent summoperè.

Atque hæc in genere sufficiunt de vulneribus venenatis. In specie de morsu canis rabidi, & de variorum animalium venenosorum, viperæ puta, scorpionis, aranei apis, muscæ, &c. morsibus, ictibusve agere animus non est. De quibus videri possunt C. celsus *libr. 5. cap. 27.* Senertus *prax. libr. 1. part. 2. cap. 16* & *libr. 6. part. 8.* Hildanus *cent. 2. observ. 98.* & plures alii.

CAPUT XIV.

De Vulneribus Sclopetorum.

I. INsuper ad contusa vulnera non sine ratione EA, quæ SCLOPETIS infliguntur. Etenim Vulnus à glande sclopetorum factum non simplex est vulnus, sive simplex continui solutio; sed est vulnus cum contusione, & laceratione plerumque musculorum, vasorum partium nervosarum ac non rarò quoquè cum ossium fractura conjunctum.

II. Igitur vulnera sclopetorum globis inflicta differunt à Vulneribus acuto telo illatis, partium, quas globus pertransit, contusione & dilaceratione. Equidem differunt hujusmodi vulnera inter se; quod alia magna sint, alia parva; alia profunda, alia minus profunda; interdum globus ex sclopeto emissus partem pertransierit, interdum in parte adhuc hæreat; interdum solus globus in corpus penetraverit: interdum armaturam, vel alias res, per quas transiit, secum corpus rapuerit. Vulnera Sclopetorum in quibus ab aliis vulneribus differant.

III. Signa, quibus hæc vulnera in genere cognoscuntur, tradere opus non est; cum sufficiat, cognitum habere, aliquem à globo è bombarda Horum vulnerum diagnosis

Digitized by Google

emisso vulneratum esse. Quæ autem partes vulneratæ sint, vel stilo immisso explorandum, vel è partium situ, per anatomen noto cognoscendum.

Prognosis

IV. At sclopetorum vulnera, quoniam insignem conjunctam habent contusionem, sunt longè periculosiora, quam ea, quæ gladio aut telo infliguntur. Atque ideo ex quibus vulneribus gladio illatis multi sanantur, puta ventriculi, intestinorum, vesicæ, &c. ex iisdem sclopetorum glande factis rarò quis convalescit. Sed quanquam hæc vulnera sint periculosiora vulneribus instrumento acuto inflictis; non tamen facilè æger desperandus, cum hîc natura sæpè miracula faciat, & eos, qui sepulturæ tradendi videbantur, convaluisse observatum sit. Cujusmodi historiæ passim notæ sunt, ac singularem istiusmodi observationem & curationem operibus suis quoque subjicit Fabritius Hildanus *post librum de combustionibus pag. mihi 935. ad 949.* in qua multa lectu digna narrantur.

Cæterum quo plures partes & nobiliores sunt vulneratæ, contusæ & dilaceratæ, ac in primis si ossa simul fracta & comminuta sint, eo vulnus est periculosius, & curatu difficilius.

Scopi curationis.

V. Indicationes curativas horum vulnerum quod spectat: eæ tres sunt. Prima est, globi, si adhuc parti vulneratæ inhæreat, extractio. Secunda, contusæ carnis in pus mutatio. Tertia, quæ reliquis vulneribus communis est, ut vulnus carne impleatur, ac porrò cicatrice claudatur.

VI. Primum ergò quæcunquè extranea in vulnere fuerint, ut in dumentorum frustula, globi, ossium fragmenta separat & pungentia, ac alia quæ conservari nequeunt, ut sanguis extravasatus, caro contusa ac lacera, pus, & similia, si absquè maximo dolore fieri potest, extrahenda; & hoc faciendum vel digiti, vel volsellis, aut tenaculis, aut

Digitized by Google

forcipibus denticulatis ac noſtri inſtar aduncis, aliiſvè ſimilibus inſtrumenti, uti Cap. 5. latius expoſuimus.

VII. Deinde curetur, ut id quod contuſum eſt in pus mutetur, & à carne ſana, partibuſque ſanis ſeparetur. Atqui cum contuſæ partes facilè putreſcant, & hinc gangrænæ periculum immineat, vulgata illa in aliis vulneribus digeſtiva & ſuppurantia hîc ſimpliciter locum non habent; præſertim ſi partes nervoſæ contuſæ ſint, quæ hujuſmodi humida & pinguia non tolerant, ſed ſicciora requirunt. Hinc in ſclopetorum Vulneribus à multis laudatur hoc *oleum catellorum*; cui mira vis eſt dolorem ſedandi & ſuppurandi, ſi calidum vulneri inſtiletur.

℞. *Olei Violarum* vel *liliorum alborum* ℔iiij. *in eo coquantur catelli duo nuper nati, ad oſſium diſſolutionem addendo interim,*
Lumbricorum terreſtr. in vino lotor. ℔j.
Coq. ſimul, & ſine forti expreſſione colentur. In colatura liquefiant,
Therebenthinæ Venet. ℥iij. *Spiritus vini* ℥j.
Miſceantur.

Utilia ſunt & hæc;

℞. *Olei Sem. lini liliorum alborum an.* ℥iij.
Unguenti baſiliconis ℥j
Miſceantur.

A. *Therebenthinæ* ℥iiij. *Thuris, maſtichis an,* ℥iij
Myrrhæ ℥j. *Olei hypericonis* ℥ij.
Vitellos duorum ovorum. pulv. croci ℈j.
Miſceantur. S. A.

Barbette in ſclopetorum vulneribus ſequens extollit.

℞. *Therebenthinæ, galbani, picis liquidæ an.* ℥ij.

Digitized by Google

Mastichis, Thuris nitri, salis armoniaci an. ʒj.

Aluminis ʒß. *viridis Æris, vitrioli albi, camphoræ*

Pulv. lumbricorum an. ʒj. *Olei lini, rosarum an.* ʒij.

Olei lumbricorum, therebenthinæ an ʒj.

M. F. *S. A. Mundificativum.*

Interim hîc laudandum non videtur consilium Jouberti, Quercetani, aliquorumquè, qui sclopetorum vulneribus per aliquot primos dies imponi volunt *Mercurium præcipitatum rubrum cum axungia porci, aliave pinguedine mixtum.* Mercurius namquè præcipitatus, præterquam quod contusioni non prosit, parti vulneratæ gangrænosam constitutionem addet. Hinc aliquod ex propositis digestivis potius ut urpetur; vel post tertiam, quartam, aut quintam deligationem; haud inutile erit hoc:

℞. *Therebenthinæ venet.* ʒiiij.

Olei rosarum ʒj. *Mellis rosacei* ʒiij.

Pulv. myrrhæ, aloës, mastichis aristoloch. rot. an. ʒiß.

Farinæ hordei ʒiij. *Vitellos duorum ovorum.*

Fiat ex his S. A. Digestivum.

Insuper parti sanæ ad dolorem sedandum cogimur quandoquè imponere anodynum cataplasma. v. g.

℞. *Herb. malvæ, althææ, hyperici absynthii,*

Flor. camomillæ, meliloti an. Mß.

Coctis in lacte vaccino ad mollitiem, & minutim contusis, add.

Farinæ althææ, fabarum an. ʒjß.

M. F. *Cataplasma.*

Circa applicationem verò medicamentorum, & hoc monendum, ne turundæ sit nimis crassæ, ut sanici exitum prohibeant, & sic inflammationem, aliaquè gravia inducant syptomata; vel ne nimis longæ sint,

Digitized by Google

sint, ut pungant; vel duræ nimis, ut lacerent. Adhæc si globus totum membrum penetraverit, ut vulnus utraquè parte pateat, utriquè foramini turunda immittatur. In principio etiam una deligatio quovis die sufficit: vulnera enim sclopeto inflicta rarò ante diem tertium aut quartum pus exhibent: deinceps puris copia aut acrimonia satis semel, an bis, tervè de die deligatio sit instituenda, determinabit.

VIII. Postquam abundè digestum est vulnus, atquè id quod contusum est, maxima ex parte, in pus mutatum, vulnus abstergendum, carne implendum, ac cicatrice claudendum. Et quidem ubi vulnus purum fuerit, necessaria omninò est carnis generatio; cum contusa caro in pus mutetur, & vulnus omnino cavum fiat.

Ad abstergentia vero quod attinet; ea mitiora vel fortiora esse debent, prout major vel minor puris copia adest, & vulnus vel purius vel sordidus est: quem in finem conducunt *Unguentum aureum, apostolorum*, & alia in superioribus proposita. Quædam autem Vulnerum sclopetorum globis inflictorum exempla, lectu digna, videri possunt apud Scultetum *post armament. chirurg. observ.* 17. 53. 58. 94.

Facies pulvere pyrio adusta, & maculata quomodò curanda.

IX. Sed in sclopetorum Vulneribus non raro contingit, ut *Facies pulvere pyrio comburatur, & nigris maculis inficiatur.* Et quidem, explosâ bombardâ, duobus modis per pulverem pyrium facies læditur, atquè aduritur: nimirum, aut à pulveris flamma, si prope hominem accendatur, vultumque contingat; aut citrà flammam ab ipso pulvere, qui dum in faciem è sclopeto prospergitur, cutem per vim trajicit, nigrasque maculas ac vibices producit ut adeo fœdum in modum facies deformetur: si namque grana hujus pulveris integra profundè cuti inhæreant, & non eximantur; maculas istiusmodi

Digitized by Google

pariunt nigricantes & lividas.

X. Quum igitur facies à pulveris pyrii flamma aduratur, nihilque pulveris cutem trajecerit, omnes jam factæ veſiculæ forfice ſunt incidendæ, ut acris humor effluat. Sed cum tali in caſu oculi plerumquè afficiantur, pluriumque interſit oculorum, ſumma viſui conſervando adhibenda eſt diligentia quare ſæpius *lac mulibre, vel vaccinum recens ac tepidum* oculis inſtilletur, eoque linteamina duplicata vel triplicata imbuentur, oculiſque imponantur. Loco lactis recentis ac tepidi, oculis inſtillari & admoveri poteſt *aqua roſacea, in qua tantillum ſeminis cydoniorum & fœnigraci maceratum eſt.* Dolor vero ſi admodum vehemens ſit, imponatur inter duo linteamina hoc, vel ſimile cataplaſma:

℞. *Pulpa pomorum acidul. repurg.* ℥iiij.
Coq. in ſ. q. Aqua roſarum & fœniculi, dein conter. & add.
Mucilag. ſem. fœnigraci. ℥iß.
Lapid. hæmatitid. præp. ʒiß.
Albumen unius ovi.
Fiat ex bis. S. A. cataplaſma.

Partibus verò faciei ambuſtis admoveatur unguentum dolorem leniens, cutem combuſtione induratam emolliens, ac cicatrices impediens. Quem in finem Hildanus *in tract. de ſclopetaria curatione cap.* 3. hoc commendat;

℞. *Gummi elemi puriſſimi.* ʒj.
Olei ovorum, amygdalar. dulc.
Ping. vrſinæ, humanæ an. ℥ß.
Mucilag. ſem. cydonior. in aq. roſ. extract, ʒij.
M. S. A. pro Linimento, quo tota facies illinatur.

Scultetus *poſt armament. chirurg. obſerv.* 33. ſequens valdè laudat:

Digitized by Google

℔. Butyri rec. ſæpius liquefacti, & in ad. ſperniolæ loti ℥iij.
Olei è vitellis ovorum ℥j.
Miſceantur pro linimento.

XI. Si verò pulvis ſclopetarius cuti infixus fuerit, is confeſtim acu, aliovè acuminato inſtrumento, quantum fieri poterit eximendus; quodquè hoc modo auferri nequeat, id ſpongiâ aquâ calidâ imbuta eluendum, nequè deſiſtendum, niſi omni omnino pulvere exterſo; dein facies aliquo ex ſupraſcriptis linimentis inungenda. At vehemens ſi urgeat dolor, linteum *Aquâ roſaceâ & plantaginis, in qua tantillum ſeminis cydoniorum & fœnigraci ſit maceratum*, imbutum calidè prius imponendum.

Nitratus item pulvis oculis inſperſus diligenter quoquè parvâ ſpongiâ lacte calido madefactâ eluendus; dein acquieſcendum, omnique alio, vel aciculæ, vel cæterorum inſtrumentorum uſu, cui extra oculos locus eſt, ſuperſedendum, ne patiens de viſus, vel cheirurgus de exiſtimationis diſcrimini laboret. Etenim pulvis hic ſi pupillæ fuerit infixus, vulneratus de viſu ut plurimum periclitatur.

CAPUT XV.

DE

Partium Compoſitarum Vulneribus.

De Vulneribus Capitis.

I. VULNERARI poteſt, CAPUT pluribus modis: vel enim tantum cutis afficitur; vel cutis & pericranium; vel cum his etiam cranium, &c. Vulnerum capitis diſferentiæ.

Vulnera quæ ſunt in cranio, vel totum cranium

Digitized by Google

penetrant, vel non quæ penetrant, vel sunt cum craſſæ menyngis læſione, vel ſine ea: ſi læditur craſſa menynx, ea vel ſola vulneratur, vel ſimul cum tenui menynge, nonnunquam & incluſo quoquè cerebro.

II. Species verò ſolutæ unitatis, quæ in cute & pericranio fieri poſſunt, ſunt *inciſio*, *punctio*, *contuſio*. At in crani quinquè recenſeri ſolent; viz. *Fiſſura*, *contuſio*, *depreſſio*, *ſedes teli*, & *contrafiſſura*.

III. FISSURA ſeu RIMA eſt *aiviſio quædam continui in cranio tennis & ſubtilis, qua utplurimum habet circumpoſitum os colliſum & contuſum.* Accidit autem fiſſura, cum ab inſtrumento gravi ac contundente, ut lapide, ligno, caſu ab alto, & in rem duram impulſu, cranium ita læditur, ut vaſis teſtacei in modum findatur, ſeu rimam contrahat. Et ſemper quidem à re gravi & contundente rima provenit, nonnunquam tamen ſimul ab incidente & acuta, ut gladio acuto ſimul & gravit. Atqui ex fiſſuris aliæ utramquè cranii laminam non penetrant, aliæ totum cranium penetrant, ubi ſcilicet utraquè lamina ad craſſam uſquè menyngem finditur: cui fiſſuræ interdum & hoc accidit quod menynx ab interna calvaria ſeparatur, unde vaſa divulſa ſanguinem effundunt, qui ſub cranio collectus, niſi via ipſi ad exitum patefiat, ægrotanti extremum diem adfert. Vel ubi utramquè cranii lamina ad menyngem uſquè finditur, non rarò cranii fruſtula abſcedunt, quæ menyngem comprimunt, pungunt, & variis modis afficiunt, unde gravia, imo lethalia ſuccedunt accidentia. Equidem externa cranii tabula finditur quandoquè, illæsâ interna. Vel interna rimam ſeu fiſſuram contrahit, tabulâ externâ manente integrâ, cujus rei exempla citant fallopius *in libr. Hippocr. de vulner. capitis cap.* 13. Scultetus *poſt armament. chirurg. obſ.* 14.

Digitized by Google

Tulpius *obs. Med. libr.* 1. *cap.* 2. Arquè in interna hac cranii lamina, externâ remanente integrâ, fissura oriri potest, quando exterior lamina tantum contunditur in se ipsam cedendo, inferior verò lamina cum durissima sit, eumquè propter summam ejus duritiem in se cedere non possit, rimam contrahit.

IV. Secunda solutæ unitatis in cranio species est CONTUSIO seu COLLISIO, cum sine rima & fissura, ab irruente & illiso extrinsecus violenter, aut obstante aliquo duro & obtuso corpore, os ità contunditur, ut, etsi externa ejus facies ad sensum permaneat integra, in profundo tamen sit continui solutio, dum intus deprimitur, & in se cogitur cranium; ut idem ferè ei contingat, quod carnibus, dum à re dura & gravi læduntur, accidere solet.

V. Tertia differentia est DEPRESSIO seu INTROCESSIO, cum finditur cranium, sed non, ut in simplici fissura, in suo loco manet verum intrò cedit: id quod fit ex validis obtusorum telorum, lapidum, fustium ictibus, vel capitis ex lapsu ad rem duram obtusam vehementiore allisione. Equidem deprimi deprimitur interdum cranium sine rima & fissura, quod in puerorum capitibus; quorum ossa sunt molliora, ferè accidit. In adultis verò rimam introcedendo plerumquè contrahit: quorum enim ossa sunt duriora, in iis vix deprimi potest cranium, quin simul frangatur.

VI. Quarta est SEDES, SESSIO VESTIGIUM, cum à telo acuto cranium læditur, ita ut acici teli impressum vestigium, & sedes, qua parte telum insedit, manifestè appareat.

VII. Quinta & ultima solutæ unitatis in cranio differentia vulgò censetur CONTRAFISSURA, qua findi cranium dicitur in parte opposita illi, in qua ictus fit, hanc Hippocrates videtur

Digitized by Google

deſcribere *lib. de vulneribus Capitis* cum ſic ait: „ os ſub vulnere frangitur alia capitis parte, „ quam qua vulnus eſt, & os nudatum eſt. Atquè ex hoc Hippocratis loco plurimi de hac fiſſuræ ſpecie non dubitarunt; eamquè nic. Fontanus *annot. in cap. 1. Epitom. Veſalii*, etiam confirmare nititur exemplo pueri, qui è muro quindecim pedes alto ceciderat, in quo fractura cum multis fiſſuris mox deprehenſa fuit circa Muſculum Temporalem: ſed ſecto poſt mortem cranio, adhuc duæ aliæ contrafiſſuræ in latere oppoſito repertæ ſunt. Equidem haſce contrafiſſuras fallopius *de vulneribus Capitis, cap. 13.* Galenus, Paulus Æigineta, & plures alii ſtrenuè negant: quibus & nos calculum noſtrum addimus. Enimvero fiſſura in cranio contingens ſe non exténdit ulterius, quam per unum os, & ad proximam ſuturam ſiſtitur.

Quantum ad citata Hippocratis verba: ille non loquitur ibi de contrafiſſura, ſed docet, interdum pus ſub cranio alia parte colligi, quam quæ os fractum eſt: aut ſaltem non dicit in parte oppoſita ſemper cranium frangi, ſed alio loco, quam quo vulnus eſt, oſquè nudatum fuit; & addit, non ſcire poſſe medicum, ubinam malum hæreat, & quanam parte vulneratus ſit æger: cum tamen facile id ſciri poſſet, ſi in contraria parte ſemper læſio eſſet.

Signa vulnerum capitis diagnoſtica.

VIII. *Diagnoſtica vulnerum capitis ſigna* quod ſpectat: Ea quæ partidus cranio ſuperpoſitis accidunt, & *cutis, carniſque vulnera* dicuntur vel ipſo intuitu, vel ſaltem ſpecilli indagine patefiunt. At *pericranium* ſi ſimul vulneretur, graviora accedunt ſymptomata, præſertim quum incaute de barbitonſore pinguia admoveantur medicamenta; qualia ſunt dolor vehemens, capitis totius inflammatio, febris continua, ſopor, &c. Cæterarum verò

Digitized by Google

partium læsiones non ità facile innotescunt; æque petuntur primum ab effectis seu symptomatibus, quæ plagæ supervenire statim solent. Ipsa calvaria cum ossea plane sit, sensusque per se expers, neque dolorem, neque aliud grave symptomata excitare potest; sed tantum ex menyngum & cerebri compressione, punctura, lancinatione, mala accidentia oboriri solent: de quibus C. Celsus *libr.* 8. *cap.* 4. „ pertusâ calvariâ, protinus requirendum est, num „ bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæ„ cati sint, num obmutuerit, num per nares au„ resve sanguis ei effluxerit, num conciderit, „ num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Hæc „ enim non, nisi osse fracto, eveniunt. Quibus addi potest oculorum rubedo, vertigo tenebricosa. Augetur suspicio, si Æger in percussionis actu stridorem quasi fracti ossis perceperit. De his etiam loquitur Hippocrates *sect.* 6. *aphor.* 50. *sect.* 7. *aphor.* 14. 24. 58.

Verum signa hæc etsi propria, equidem inseparabilia semper non sunt: atque accidere potest, ut fracto etiamnum Cranio nihil istorum appareat; si scilicet fractura sit parva, & caput robustum. Testatur quoquè paræus, ex enumeratorum signorum absentia non usque adeò firmiter illæsam esse calvariam pronunciari posse, dum multis cranium fractum fuisse fatetur, quibus nihil tale ab ictu supervenerit Memorabile exemplum narratur ab Hildano *cent.* 5. *observ.* 24. de rustico in capite vulnerato, cum fractura cranii, & læsione atque effluxu cerebri substantiæ; in quo vino nihil planè illorum signorum, quæ auctores requirunt, apparuit, toto morbi decursu, præter symptomaticam febriculam, quæ brevi cessavit.

Equidem horum symptomatum quædam ut plurimum statim invadunt; viz. subitus in terram la-

Digitized by Google

pſus, vertigo, oculorum caligo, vomitus biliosus, ſanguinis è naribus, auribuſve, aut ore fluxus, aphonia; quædam poſtmodum ſuperveniunt, ut convulſio, febris delirium, ſopor, paralyſis.

IX. Adhæc ſigna quoquè deſumenda ſunt ab omnibus iis, quæ ad contuſionem efficiendam concurrunt. Percunctandum igitur, num facta ſit percuſſio lapide, ligno, aut ferro, & num levi vel ponderoſo, aſpero vel leni, vehementer aut leviter, num patiens ſit juvenis vel ſenex robuſtus vel debilis, num habuerit caput ſanum, an male diſpoſitum, &c.

X. Veruntamen ipſe ſenſus, fideliſſimus teſtis, fracturas detegit, & hîc Hippocrates jubet, ut medicus, priuſquam aliquid tentetur, quo ægrum & adſtantes ſibi confidentiores reddat, primo capillos conſideret. Si enim hi telo ſunt diſſecti, & ipſo in vulnere continentur oſſis denudati & læſi ſignum id eſſe docet. At certior explorandi modus eſt, qui fit per ſpecillum.

C. Celſus ſpecillo contentus non eſt, & licet nec minima rima appareat; tamen ſi ex teli vel ictus conditione, & ſupervenientibus ſymptomatibus de cranii fractura ſuſpicio ſit, oſſi atramentum ſcriptorium inducere jubet & poſtea os radere. Quod enim fiſſum eſt, quia nigrum colorem in ſe recepit, nigrum manet, reliquum verò raſurâ album fit, & naturalem colorem acquirit. Arquè repertam hoc modo fiſſuram porrò radere ſecundum profunditatem oportet: ſi enim raſione omnis nigredo eximatur, indicio eſt fiſſuram minorem eſſe; ſin deleri nequeat, profundiu penetrat.

Quidam præter hæc ſigna, etiam his utuntur: ſumunt *Thuris, ceræ, ladani, an.* ℥ij *Therebinthinæ, Aceti, farinæ fabarum an.* ℥j. Hæc mixta imponunt capiti deraſo, in loco contuſo, & ſequenti die auferunt:

Digitized by Google

siquè medicamentum in una parte, magis quam in alia, siccatum appareat; ibi os fractum subesse dicunt.

Alii volunt, ut patiens in una extremitate filum dentibus apprehendat, in altero extremo manu teneat, idquè dein baculo vel digito percutiatur: hinc si æger in aliqua capitis parte dolorem sentiat, ibi os fractum esse putant.

Nonnulli suadent, ut æger dentibus admygdalum vel nucem frangat, & ubi dolor sentitur, ibi os fractum censent. Sed incerta esse ultima hæc signa, exemplo docet scultetus *post armament. chir. obs. 19.* Scribit quoquè paræus etsi utrumquè sæpius tentaverit, horum tamen signorum veritatem experientiâ non potuisse comprobare.

Insuper calvaria interdum non frangitur in loco contuso, sed in parte vicina; & talis fractura in principio cognosci non potest, verum in progressu ex accidentibus, ut sunt bilis vomitus, vertigo, obcæcatio, &c. demum constat. Hisce enim præsentibus, si in loco, ubi cuti discissa est, fractura non apareat, alia in parte considerandum, num locus sit mollis, num tumeat, unum doleat: hæc ubi apparuerint, cutis protinus incidenda, sub qua os fractum non rarò reperitur.

Capitis vulnerum prognostica.

XI. Quoad *prognosin*: quæ vulnera etsi per se periculosa non sint, præcipuè cuti & panniculo carnoso inflicta, nemoque ex iis, si recte tractentur, moriatur; tamen nec illud male dicitur, *nullum capitis vulnus contemnendum esse*, quod monuit Hippocrates in *præmio libr. de vulner. capitis.* Atque ideo in iis curandis, quam in aliarum partium cutaneis, & non profundis vulneribus, plus diligentiæ adhibendum; cum, si quid negligatur, magnum sæpe accersatur periculum.

XII. Si cranium quocunque modo læsum sit, periculo non vacat, nec vulnus contemni debet;

Digitized by Google

etiam ubi omnia bene se habere videntur: scribitque paræus, & à veteribus proditum, & experientiâ confirmarum esse, in cranii fractura neminem extrà periculum positum censeri debere, nisi post centesimum diem. Minus tamen periculi est, si externa saltem tabula læsa sit: & minus adhuc, si incisa solum: contusio verò majus conjunctum habet periculum.

Si verò utraque lamina divisa sit totaque aperta carvaria, majus adest periculum: minus, si sit sedes teli, aut lata & ampla fissura: majus, si fissura sit angusta: adhuc majus, si sit contusio & rima simul; ac imprimis si rima illa sit angusta: maximum periculum est, si rima sit in aliâ parte ab ea, quæ ictum excepit.

Augetur periculum si præter cranium & crassa menynx, ac præsertim si simul tenuis menynx, & ipsum cerebrum læsa sunt: & quo vulnus profundius penetrat, eo periculosus est.

Insuper & hîc considerandæ sunt aëris ambientis, regionis, ipsius vulneris conditio, aliaque accidentia. Atque hinc æstate capitis vulnera sunt periculosiora, ob imminentis inflammationis metum: hieme quidem etiam ob frigus: quod tamen aëre igne temperato facile evitari potest. Etiam in humida regione capite vulnerati plus periclitantur, quam in sicca.

XIII. Cæterum in occultis rinis & contusionibus summe periculosum, si inter duas cranii tabulas diploë compressa sit, sanguinisque aliquid effundat; qui eo loci putrescens ossis corruptionem adfert, ut interdum non solum aliquot post acceptum ictum hebdomadibus, sed & mensibus, nihil mali suspicans æger moriatur; cujus rei notabile exemplum habet Petrus Pavius *in comment. ad hipp. de vulner. capit.* de quodam, poculo stanneo in ca-

Digitized by Google

pite percusso, in quo nulla fissura deprehensa fuit; & vulnere consolidato æger bene se habere putans, post decimum mensem inter deambulandum vertigine correptus concidit, neque diu post obiit. Aperto cranio deprehensum est, os in loco ictus plane corruptum fuisse: & menyngem in consensum traxisse haud absimilem historiam refert. Scultetus *post armament. cheirurg. obs.* 7. cujusdam rustici, qui ab aliis pugnis exceptus, valide in nudo capite percussus fuit, crebrosque ac vehementes ictus sustinuit; quod tamen magni non æstimavit, & per aliquot dies consueta munia obiit, quamvis dolores non parvos ex percussione senserit. Quid fit? ingravescentibus postmodum symptomatibus, rusticus hic centesimo demum die, ob intermissum trepani usum ivit unde redire negant quemquam.

XIV. Porrò vulnera in media capitis parte periculosissima censentur; in occipitio contrà sese res habet; in parte anteriore, *hoc est*, in fronte medio modo se habent. Item quæ ad futuras fiunt plagæ sunt periculosæ cum propter cranii eo loci imbecillitatem, tum propter crassam menyngem, quæ fibris ibi annectitur.

Simplex capitis contusio quomodo fiat, & qua ratione curari debeat.

XV. Igitur capitis vulnerum differentiis, diagnosticis, & prognosticis abundè expositis, ordo nos ducit ad eorundem curationem, tum generalem, tum specialem. Enimvero varia & diversimoda cum sint capitis vulnera, diversæ quoquè erunt. Illorum curationes; quas singulatim describere oportet, initium ducendo à *Simplici capitis contusione*. Est autem *contusio* interna alicujus partis solutio continui, & collisio, cute plerumquè manente integrâ, quæ fit à re gravi, dura, & obtusa, quam sequitur ἐκχυμωσις ἐκχύμωμα *sanguinis* scilicet *subter cutem effusio*. Hæc in capite fit, cum vel fuste, vel alia re obtusâ id percutitur, vel ex casu rei duræ ac non acutæ alliditur, & cute plerumque integra, exigua subcutanea

Digitized by Google

vascula aperiuntur, sanguisque exiis effunditur; unde *tumor mollis, lividus absque magno dolore* excitatur. Qui si ritè tractetur, omni vacat periclo. At si vel *pericranium* vel *cranium* afficiatur, vel si *musculi temporales* contundantur, non rarò gravia, imò & lethalia quandoque succedunt symptomata, puta delirium paralysis convulsio, &c. qualia exempla habet glandorpius *in spec. chirurg. cap.* 10. 11. 12.

XVI. Ut autem *curetur simplex capitis contusio*, humorum affluxus est prohibendus, dolor si adsit mitigandus, & sanguis sub cutem effusus evacuandus. Eum in finem nonnulli repellentia & adstringentia adhibere solent, locumque affectum *oleo rosaceo* inungunt; deinde *ovi albumen benè conquassatum, vel solum aquâ & aceto rosarum mixtum, & stupâ exceptum* imponunt, & istiusmodi plura applicant. Sed ut fatear, non video quo jure talia prodesse possunt; quandoquidem poros obstruendo, hinc exhalationem impediendo, humorem extravasatum in parte affecta detinent magis, quapropter discutientia & resolventia, simulque partem affectam roborantia potius usurpentur. Et quidem, si contusio magna sit calide admoveatur hoc, vel simile fomentum, ac identidem renovetur;

℞. *Fol. betonicæ* Mij.
Rosmarini, majoranæ, menthæ, rutæ,
Flor. anethi, camomillæ an. Mj.
Rosar. rubr. stachad. arab. an. Mß.
Bacc. lauri, Juniperi an. ℥ß.
Sem. cumini ʒiij. *vini gallici* ℔iiij.
Coq. S. A. in diplomate, pro fomento.

Forestus *lib.* 9. *observ.* 32. laudat cataplasma helidei, quod mirum in modum humiditatem in contusionibus discutere ait;

℞. *Herb. absynthii, betonicæ,*
Flor. camomillæ, rosar. rubr. an. Mj.

Digitized by Google

Cortis ad molliriem, & dein contusis, add.
Farinæ fabarum, ℥iij.
Olei rosacei, vini Nigri stiptici an. q. s.
M. F. S. A. Cataplasma.

Jacobus à roonhuysen ad omnes capitis contusiones hoc suum emplastrum admodum extollit;

℞. *Ceræ flavæ, emplastri diachalciteos an.* ℔ß.
Olei myrtillorum, rosarum an. ℥iij. *Laurini* ℥ij.
Pulv. myrtillorum ʒij. *Sem. cumini* ʒvj.
Fiat ex hisce emplastrum.

Si contusio nimis magna non sit, mox ab ictu locus affectus inungatur *oleo ceræ*, ac imponatur *emplastrum è cumino*, aut *despermate cœti*, vel si affluxus humorum metuitur, *emplastrum defensivum*. Et sanè hoc modo contusiones ingentes, quæ pueris ex casu contingunt, non raiò sanantur. Loco olei ceræ utitur nonnunquam forestus *oleo. anisi.*

XVII. Si verò ob sanguinis extrà vascula effusi copiam, in totus discuti nequeat, & suppuratio impediri non possit; tumor statim incidendus, & contentus intus humor educendus, ne pericranium eique subjectum cranium corrumpat; uti observavit scultetus *post armam. chirg. obs.* 16. in puero, qui ex capitis contusione, tribus mensibus, instante novilunio, convulsionibus vexatus fuit: à quibus tamen, capitis sectione ad cranium usque factâ, & evacuatâ materiâ ibibem hærente; nec non cranio nigro ac aspero debitè deraso, curatus fuit. Sed & magna capitis contusio in prima curatione non raro aperiri debet, cum subjectum cranium nonnunquam fractum sit, ejusquè fragmenta crassam menyngem vellicent, atque ideo eximenda; cujus rei notatu dignum describit exemplum Jobus meekeranus *observ. chirurg. cap.* 1.

XVIII. At vero vulneratur quandoquè caput simpliciter, *hoc est*, cranio manente integro: viz. Curatio vulneris

Digitized by Google

capitis simplicis, *hoc est*, sine cranii, meningum, & cerebri læsione.

ubi solummodo cutis, pannicului carnosus, musculi nonnunquam & pericranium læditur. Quo in casu indagandum, quousque tale vulnus penetret. Si namque sola cutis sit læsa, nulla alia curandi ratio est, quam quæ cæteris cutaneis debetur vulneribus. Nimirum sanguis, si vehementer fluat, sistendus, capilli circa vulnus abradendi, & vulneris labia unienda, unitaque servanda, aut futura aut potius medicamento agglutinante. Reliqua autem capitis vulnera, quæ sunt cum pericranii læsione, tutò non consuuntur, nec agglutinantur; sed per carnis generationem curari debent.

XIX. Cum igitur primâ læsionis horâ ad vulneratum, ex sola pericrani incisione, vocatus fuerit medicus, vulnus statim carpiâ siccâ impleatur, quo sanguinis fluxus comprimatur, ac disjuncta teneantur vulneris labia; capiti vero mappis laneis imponatur fomentum in contusionis curatione propositum;

Vel,

℞. *Herb. betonicæ* Mij.
Rosmarini, Majoranæ, menthæ an. Mj.
Flor. camomillæ, stachad. arab. an. Mß.
Bacc. juniperi ℥ß. *Vini albi* ℔iij.
Coq. S. A. in diplomate, pro fomento.

Altero die, sanguine cohibito, capillisque in ambitu derasis, vulneri imponantur petiæ digestivo *ex therebinthina ovi vitello, ac mellis rosacei & spiritus vini tantillo*, illitæ, desuper applicandum *Emplastrum Diapalma*, vel simile, & superponendum fomentum: atque ità pergendum, donec pus appareat bonum; quod est album, & non fætidum. Quo appatente, pro vulneris mundificatione digestivo aliquod *detergens* admisceatur, donec omninò detersum ac mundatum fuerit, tuncque carnis generationi studeat cheirurgus, quapropter unguentum Basilicon,

Digitized by Google

balsamum peruvianum, simileve sarcoticum, filamentis aridis inductum, apponat, desuper emplastrum, deinde fomentum, convenientemque fasciam. Atque hisce utendum ad perfectam usque carnis generationem, hinc vulnus cicatrice obducendum.

Historia vulneris, in quo capitis cutis ad pericranium usque divulsa erat, sic ut tota ad occipitis initio in frontem & faciem dependeret, curari habetur apud paræum *libr.* 10. *cap.* 15. Haud absimile exemplum citat Petrus de Marchettis *obs. chir.* 16. pueri septem annorum, cui capitis cutis ursi unguibus cum pericranio, ad futuram usque lambdoidalem discerpta erat, succrescente in ejus locum alio tegmine, priori analago, cum capillis.

XX. Quod si detectum sit cranium, atque ab aëre ambiente vel alteretur tantum, vel etiam nigrescat undique tunc abradendum vel ad coloris mutationem, vel donec sanguis ex eo dimanet: ossi verò derasso *sicca carpia* imponenda, ac vulnus porrò, ut artis est, tractandum.

At cutis & pericraniis vulnus si sit cum contusione, & valdè angustum incisione dilatandum est; sique vulneris post dilatationem instrumenti sedes in Cranio appareat, Scalpris abradatur.

Curatio solutæ unitatis in cranio, sine meningum & cerebri læsione.

XXI. Sed quum vulneratur Cranium ipsum; vel læditur ab instrumento incidente aut perforante, & hoc fieri solet aliquandò sine cutis vulnere, nonnunquam cum ejus apertione. Præterea fractura seu rima vel totum apprehendit, frangitque Cranium, vel desinit in aliqua cranii parte.

XXII. Si igitur Medicus ad curandum vulnus capitis cum denudatione Cranii fuerit vocatus quamprimum capillos abradat, & ossis statum vel stilo exploratorio, vel oculis, vel utrisque simul quam diligentissimè perquirat; sique fracturam vel rimam invenerit, aut ex antecedentibus & præsentibus

Digitized by Google

ſymptomatibus fracturæ ſuſpicionem habuerit; aut ſaltem de fractura dubitaverit, vulnus ſtatim in formam crucis aut trianguli dilatet, ut denudatum Cranium neceſſarias manuum operationes per ſcalpra aut terebram admittere poſſit.

Rima ſeu fiſſura non penetrans ſi ſit in cranio quomodo deleri debeat.

XXIII. Vulnere ſatis dilatato, Cheirurgus quamprimum ejus labia & ipſum Pericranium, vel obtuſo aliquo inſtrumento, vel unguinibus à Cranio ſeparet, ſuper os filamenta arida ponat, ac reliquum vulnus carpiâ ſiccâ impleat; non ſolum ut ſanguinis fluxus ſiſtatur; verum etiam ne vulnus concidat, utque in proximum diem abundè pareat. Atqui rima ſi tunc appareat, ſcalpris Cranium abradendum, donec rima ſi penitus deleta ſit, oſque ſub ea album & ſanum appareat; quod certiſſimum ſignum eſt, rimam non penetraſſe.

Oſſi deraſo filamenta arida ſunt imponenda, labiiſque digeſtivum, vel ſarcoticum aliquod unguentum, deſuper fomentum, & conveniens faſcia.

Fiſſura ſi utramque cranii laminam penetret, quid agendum.

XXIV. Quod ſi Medicus, dum ſic ſcalpris operatur inveniat rimam Cranii utramque laminam penetrare, eamque gravia comitentur ſymptomata, quæ collectam inter Cranium & Craſſam Menyngem materiam arguunt, remotis ſcalpris, mox trepano Cranium eſt perforandum, juxtà Hippocratem *text.* 2. *de vulnere cap.* „ poſtquam ſcalpro „ os deraſeris, ſi tibi exigere ſectionem videtur, „ ſecare debes neque pati, ut res tertium diem excedat, priuſquam ſeces, ſed intrà id ſpatium ſecabis. Ab initio enim neglectâ perforatione, propter compreſſionem, aut punctionem Menyngum ab oſſiculis factam, augetur dolor, & membranæ inflammatione corripiuntur: hinc febris, delirium, vomitus, ſpaſmus, paralyſis, aliaque accidentia, imò & mors ipſa, celerrimè ſupervenire conſuevere. Hildanus *Cent.* 4. *Obſerv.*

Nonnulla

Digitized by Google

Nonnulla circà Capitis Vulnera, cum Cranii fractura obſervanda, magni momenti, & notatu digniſſima, habet Petrus de Marchettis *Obſerv. chirurg.* 15. ubi inter cætera docet, ſi rima, vel ſedes inſtrumenti deſcenderit ad Diploën, omninò deveniendum eſſe ad terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate. Quod idem affirmat Scultetus *obſerv.* 2.

XXV. Sin plaga in ſutura contigerit, quæritur *an cranium in ipſa ſutura liceat perforare?* Hildanus negat, atque varias pro ſua ſententia adfert rationes *in Epiſtola a Joh. Fredr. Werdenburgio M. D. poſt obſerv.* 8. *cent.* 2. inſerta. Quæſtio.

Joh. Baptiſta Corteſius *com. in Hipp. de vulner. capit.* inquit: „ catu ità expoſtulante verendum „ non eſt, ad perforationem ſuprà futuram deve„ nire: majus enim incommodum accidit vulnera„ tis ex dilatatione atque ſectione cutis, & Peri„ cranii à ſubjecto oſſe ſeparatione, quam ex o„ peratione in futurarum regione. Huic adſtipulatur Jacobus Berengarius *de cranii fractura cap.* 36. ubi teſtatur, ſe aliquoties operationem hanc feciſſe, eique ex voto ſemper ſucceſſiſſe. „ Nec eſt „ (porro inquit) tam grande periculum in com„ miſſuris operari, ſicut aliqui dicunt: videmus enim cauteria fieri in commiſſuris: & tamen nullum ſequitur nocumentum.

E contrario Cæſar Magatus *de rara vulner. Med. lib.* 2. *cap.* 33. ait: „ ſi rima ad ſuturas facta „ fuerit, os perforare oportet utrâque ex parte „ futuræ in ſutura vero fugienda eſt terebratio, ſicut & abraſio. Fallopius quoque *in Hipp. de vulner. capit. cap.* 19. vult ut propè ſuturas cranium trepano perforetur, non in ſuturis.

Petrus de Marchettis *obſerv. chirurg.* 16. non tantum vult ab hac perforatione ſuprà ſuturas ca-

Digitized by Google

vendum esse, sed etiam juxtà ipsas, ut pote pernitiosâ. Quinimo si vulnus fuerit influctum supra futuras, cum levi earundem labe, lethale plerumque esse ait.

Joh. de Vigo *Pract. part. 2. libr. 1.* inquit: „ si percussio supra commissuram evenire contige„ rit, dico utramque partem ossis esse perforan„ dam; viz. in dextra & sinistra parte commissuræ, „ & hujusmodi instrumento semper commissuram „ intactam relinquendo. Et sane si plaga ad futuram contingat, sic ut cranium ibidem deprimatur, & quandoque etiam findatur adeoque, & trepano particula ossis exscindenda sit; nunquam in futura, verum ab utraque parte juxtà futuram Cranium erit perforandum, ne crassa Menynx, quæ ipsis commissuris inhæret, laceretur.

XXVI. Quando igitur ictus ratione ex instrumenti qualitate, & supervenientibus symptomatibus, certum est, fissuram penetrare, tunc magna sane diligentia explorandum, *an rima sit satis lata pro evacuatione materiæ, quæ per ipsam ad crassam Menyngem defluxit, nec ne?* non satis lata Cheirurgiam per trepanum instituendam expetit, quo per factum in cranio foramen exire possit & evacuari tum sanguis, tum sanies, quæ præter naturam sub eo continetur. Igitur, derasis capillis, cutis unà cum Pericranio novacula est incidenda (nisi à vulnere divisa fuerit) in formam crucis aut trianguli. Hoc facto, Pericranium à subjecto cranio unguibus, aut *separatorio* instrumento diducendum; ne vero vulneris labia iterum ad se invicem accedant, & nudatum os tegant, impositis plumaceolis diducta sunt servanda. Hinc altero die, situato ut decet ægro, ministrorum unus caput teneat quam firmissimè, ne vacillet; tum cranium aperiendum, & trepano prope rimam, in

Modus cranium trepano perforandi exponitur.

Digitized by Google

loco decliviore, pro faciliore exitu materiæ suprà crassam Menyngem collectæ, perforandum. Primo nimirum adhibendus *modiolus mas*, in cujus medio *clavus* est, & debitè circumvolvendus, donec tale cranio impresserit vestigium, ut ei modiolus fœmina firmiter insistere possit. Dein remoto mare, trepani vertibulo *modiolus fœmina* dictus est adaptandus, qui fortiter & æqualiter quoque circumvolvendus, & per intervalla ab osse auferendus, tum ut scobs è cranis modioli auferri possit, tum ut queamus examinare: quousque penetraverit instrumentum. Signum autem certissimum, ad Diploën seu Meditullium nos perveniisse, sanguis præbet ex ejus arteriolis læsis erumpens; unde jam valde prudenter, & suspensâ manu perforatio est continuanda, ne crassa menynx à demergente modiolo offendatur. Ubi vacillare incipit osticulum, non solum cautius & mitius terebra comprimatur, verum etiam sæpius eximatur, ad conjectandum, quantum ossis perforandi adhuc super sit; quum autem undique æqualiter modiolum penetrasse *pecillo lato* cognoverimus, tentandum est, an blanda vi osticulum *volsellâ* auferre possimus. Quo facto foraminis in ambitu asperitas læviganda *lenticulari* instrumento. Atqui, ut sanies exire commodè possit; *decussorio* dicto est deprimenda crassa menynx, ægerque interea clausis ore & naribus spiritum contineat, sic ut materia inter cranium & menyngem profundius contenta egredi possit.

Hisce ità peractis, supra crassam menygem per foramen dimittatur linteolum ex sericro rubro, vel lineo albo, instar orbis rotundum, filo alligatum, ut extrahi possit, & *melle rosaceo, additâ tertiâ vel quartâ parte spiritus vini*, immersum; ut membranam mundam servet, eamque ob pulsationem ab allisione ossis defendat. Linteo immissi

Digitized by Google

foramini globulus ex aridis filamentis inferendus; ne pus in vulnere genitum ad menyngem descendat, ossi denudato linamenta arida, at labiis digestivo quodam illita adhibenda; tandem conveniens fascia superliganda.

Alii loco Mellis Rosacei cum Spiritu Vini crassæ menyngi cum linteolo imponunt *Balsamum Peruvianum*, quod hoc in casu valdè laudant.

Fissura si admodum lata sit, quomodo tractanda.

XXVII. At fissura si hiat ità, ut pus per eam libere possit expurgari, neque perforatione cranii, neque dilatatione vulneris per scalpellum opus est: unde eos animadversione & reprehensione dignos merito judicat Chalmatæus, qui non tantum in parva cranii fissura, verum etiam in maxima rima satis audacter modiolum abhibent quo errore curatio in longum tempus protrahitur, cum summo ægrotantis damno, & Medici famæ detrimento.

Cranium quum fissum sit sub musculo temporali, quid faciendum.

XXVIII. Cum vero cranium sub musculo temporali rimam contraxerit, haud secus procedendum, modo incisio in musculo temporali fiat ad ductum fibrarum. Ità Petrus Pavius *comm. in Hipp. de vulner. capitis*, si necessitas expostulet, etiam tempora dividere, & ægrum omni ope non destituere, jubet: refertque se vidisse alâ molæ puero ità contusum tempus dextrum, ut aliquot pertusi ossis fragmenta per vulnus eximerentur; nihil tamen incommodi toto curationis tempore patiente puero: imo tempora aperiri manu Cheirurgi non semel vidisse absque ullo symptomate. Sed duo hic monet: primum, ut non nisi summa urgente necessitate tempora dividantur; deinde, ut novacula semper secundum ductum fibrarum musculi temporalis ducatur.

Exemplum vulneris capitis in musculo temporali cum rima cranii latissima, & duræ matris inflammatione, curati, videre est apud scultetum *post armam. cheirur. observ. 3.*

Digitized by Google

XXIX. Sin punctura seu sedes instrumenti sit in cranio, eaque non penetrans utramque laminam, cranium abradendum, quousque punctura penetret, uti in cranii fissura capillari & non penetrante fieri solet: vel *terebra triformi* punctura amplietur, & deleatur ejus vestigium calvariæ impressum. Quum vero utramque perforet laminam, cranium aperiatur modiolis, adhibendo ipsi puncto clavum modioli maris, donec vestigium aderit, cui modiolus fœmina insistere possit. Punctura seu sedes instrumenti in cranio, qua ratione sit tollenda.

XXX. Interdum quoque accidit, ut cranium, integra manente cute, patiatur depressionem, nonnunquam simplicem & citrà rimam, interdum cum rima seu fissura depressio citra fracturam in solis pueris contingit; at in adultis introcessio vix unquam fit sine fissura propter summam cranii duritiem.

Igitur cranium in pueris sub illæsis integumentis si depressum sit, ita ut tangentibus vel intuentibus fovea mediocris, quam nulla prava sequuntur symptomata, appareat, ab omni Cheirurgia abstineatur: at capilli circa depressionem tantum abradantur, & fomentum aliquod cephalicum calidè cum pannis laneis applicetur, identidemque renovetur; quô solo in pueris simplex cranii depressio, sine rima, plerumque curari solet. Hac de re Cæsar Magatus *de rara vulnerum medicatione lib. 2. cap. 19.* sic loquitur: „ compertum est „ etiam experientiâ, non semper ad ossis introcessionem sequi prava symptomata. Habui ego præ „ manibus puellam, annum circiter septimum agentem, cui ex casu in frontem os effatu digna „ quantitate introcessit, & nullum omnino superve„ nit simptoma. Habui etiam puerum, annum „ circiter decimum agentem, cui ex casu in syn„ ciput versus latera os introcessit ad unguis mi- Depressio cranii sine rima in pueris quomodo curanda sit.

Digitized by Google

„ noris digiti quantitatem, & nullum ſupervenit „ ſymptoma. Adultum etiam vidi ab oſſis introceſſione in fronte convaluiſſe, licet minime elevatum fuerit os depreſſum & fovea remanſerit. „ Quo fit, ut exiſtimem non ſupervenire mala „ ſymptomata, niſi compreſſioni adjunctum ſit „ aliquid, quod membranam pungat, aut quando „ etiam ſanguis ſupra membranam effuſus ſit, aut „ compreſſio fuerit inſignis, ita ut cerebrum comprimatur. Haud ſecus Petrus de Marchettis *obſerv. chir.* 8. refert, ſe puerum ſeptem annorum curaſſe, cum inſigni depreſſione in fronte, quam attollere non potuit; ſed rimam, quæ aderat, ſcalpro derafforio dilatavit, & cætera lege artis peregit. Et *obſ.* 9. ſcribit de quadam puella, quæ in poſtica capitis parte inſignem oſſis depreſſionem paſſa eſt, & tamen ſanata fuit, ſuperſtite inſigni foveâ, ſine ullâ noxâ. *Non proinde*, ait, *metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem ipſius cranii.* At rarius eſt, quod habet ſcultetus *poſt armament. chir. obſ.* 37. de introceſſione cranii minime fiſſi in ancilla triginta annorum, ejuſdemque curatione, nullis ſupervenientibus ſymptomatibus.

Depreſſio cranii cum rima in adultioribus quomodo tractanda.

XXXI. Enimvero in adultioribus hujuſmodi depreſſiones ſub integra cute rariſſimè ſine fiſſura in cranio reperiuntur. Atqui diſſectâ cute, ſi rima in exteriore cranii lamina non appareat, timendum erit, ne interior tabula patiatur fiſſuram, per quam materia ad menyngem quidem deſcendere ſed iterum per eam evacuari minimè poſſit. Qualem fracturam obſervavit ſcultetus in milite, qui ob depreſſionem cranii ſecundo die mortuus eſt. Quoties igitur in adultorum capitibus talis apparet fovea, ſtatim cutis ſcalpello in trianguli, vel crucis formam incidenda, pericranium à cranio ſeparandum, ac vulnus hians carpiâ ſiccâ ſervandum, non ſo-

Digitized by Google

lum ut medicus certior fiat, an fissum vel depressum sit cranium, verum etiam ut, re exigente, trepano commodè perforari id possit quod ut plurimum ad latus depressionis fieri solet nonnunquam duobus in locis modiolis cranium excidendum est, dein foraminum interstitium serrulâ auferendum, ut ossicula, quæ interdum ab interna cranii tabula separantur, & aculei instar Crassam menyngem pungunt, volsellâ eximi queant. Testatur marchette *obs.* 5. quod viginti intra dies quatuor molitus sit perforationes, ob gravia permanentia symptomata, scilicet paralysin linguæ & brachii sinistri; atque in quarta perforatione impegerit modiolo in ossis frustulum, membranas & cerebrum pungens: quo educto, non diu post motum linguæ & brachii patiens receperit.

An dura mater possit aperiri.

XXXII. Idem marchette *obs.* 14. quæstionem movet; scilicet, *num crassa menynx liceat secare, quo exitus pateat purulentæ, materiæ, supra piam matrem & cerebrum collectæ*: & tandem concludit; quando certò constat, materiam inter menynges esse collectam, tum tutò posse deveniri ad hanc operationem, utcunquè periculi non expertem, cum alioquin, nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atque ex celso præstet anceps experiri remedium, quam nullum, impiumquè sit relinquere ægrum remediis destitutum.

Coiter *in obs. anatom. & chir.* de hac quæstione sic scribi: „ Nisi metuerem reprehensionem & „ calumnias, in gravibus & periculosis capitis vul„ neribus; ubi vel contusionis cerebri, vel vasis „ perrupti sub membrana, manifesta haberem sig„ na, auderem duram cerebri membranam perscin„ dere: etenim ut in omnium, sic in horum vulne„ rum curatione præcipuum est, perficere, ut „ vulnera optimè expurgentur, nam omne quod „ tangitur à putrido putrescit.

Digitized by Google

Fallopius *in libr. Hipp. de vuln. capit. cap.* 43. aperire menyngem, & materiei exitum dare suadet, licet fateatur, se nunquam feciſſe.

Paræus quoquè vult, ſi conjectura ſit puris concluſi, ſcalpello eſſe aperiendam craſſam menyngem; idque in multis ægris ſe fortunâ variâ feciſſe inquit *libr.* 10. *cap.* 21. Hinc ut concludendum omnino videatur, craſſam menyngem, ſi neceſſitas id poſtulet, potius aperiendam eſſe, quam permittendum, ut æger ſine auxilio moriatur. Cujus rei hiſtoria habetur apud glandorpium, *in ſpeculo chirurgiæ obſ.* 4. de quodam pugili, cui cum graviter in capite vulnerato tertio die gravia ſymptomata ſupervenirent, ut ſuſpicio eſſet, materiam ſub cranio collectam eſſe, cranium apertum eſt; verum nihil effluxit, ſed dura mater in tumorem elata in conſpectum venit; quæ cum ſcalpello incurvato, ne ipſum cerebrum læderetur, aperiretur, maxima copia ſaniei effluxit, quæ non inter cranium & duram matrem, ſed inter duram & piam matrem latuerat; qua evacuata & idoneis adhibitis medicamentis æger ſanitatem recuperavit.

Curatio cranii fracturæ cum menyngum & cerebri læſione.

XXXIII. Veruntamen quum tam alte penetret capitis vulnus, ut & craſſa menynx lædatur, adeoquè ſanguis copioſè profundatur, & dolor in parte hac membranoſa valde urgeat; os, niſi antea ex vulnere pateat, ſtatim aperiendum, fragmenta cranii fracti, ſi adſint, eximenda, hinc membrana detegenda, eique imponenda, ad cohibendam cruoris profuſionem *carpia ſicca*. At in ſecunda deligatione imponatur *mel* vel *ſirupus roſarum, cui vel tertia vel dimidia pars ſpiritus vini mixtus eſt*: aut ejus loco applicetur *Balſamum peruvianum*. Quorum medicamentorum applicatione dura mater læſa uniri ſolet per carnis, aut ſubſtantiæ ei analogæ generationem. Hoc in caſu Joh. Andr. à cruce ſequens laudat;

Digitized by Google

℞. *Olei therebinthinæ, spiritus vini, Syrupi de rosis sicci an.* ℥j. *Misceantur.*

XXXIV. Sed tenuis menynx seu pia mater, quoniam tenuis omnino est, & cerebro prorsus, adderet, vulnerari nequit sine cerebri ipsius læsione. Atque hujusmodi capitis vulnera, in quibus non solum cranium & crassa menynx, sed simul tenuis menynx & cerebrum læsa observantur, valde periculosa sunt; & quo profundius penetrant, eo periculosiora merito haberi solent. Equidem in cerebri substantia absessum fieri posse, vel quemquam cerebri portione absciss posse convalescere, superius cap. 2. abunde probavi: idque paræus *libr.* 10. *cap.* 23. auctoritate veterum, ac propriâ experientiâ quoquè affirmat. Videatur etiam Petrus de Marchettis *obs. chir.* 1. 2. 3. 4. 5.

Itaque in hujusmodi vulneribus curandis abstinendum omninò ab Oleosis & pinguibus, ob quæ crassa menynx facile inflammationem, & cerebri substantia putredinem concipere solet. Verum, seu diximus, admoveantur *mel* vel *syrupus rosarum, cui tertia circiter pars Spiritus vini, vel aquæ theriacalis, vel aquæ contra gangrænam admisceatur.* Etiam conducit *Balsamum peruvianum*, si cum plumaceolis tepidè imponatur.

Interim dum vulnus solvitur, & medicamenta mutantur, multi sartaginem ignitam suprà caput patientis suspendunt, ad aëris frigus temperandum; verum id æstivo tempore minimè necessarium est: hybernâ tempestate cubiculi aër ab exstructo foco calefactus sit, & subinde linteum calefacere, ac loco vulnerato imponere sufficiat.

XXXV. Porrò ex vulneratis cerebri membranis interdum caro quædam mollis & fungosa pullulat, quæ idcircò *fungus cerebri* appellatur. Ut

Fungus cerebri quid sit, &quomo-

Digitized by Google

do tolli debeat.

enim per arborum cortices humor quidam vitiosus quandoquè extillat, qui in fungum concrescit; ità si cerebri membranæ vulnerentur, humor exudans in mollem ac carnosam substantiam, quæ fungi instar est, mutatur, ac brevi temporis spatio magnum sæpè incrementum sumit, ut suprà cranium & cutem nonnunquam emineat.

Sunt vero hi cerebri fungi periculosi, & non raro lethales; cum ob vitiosi humoris ad cerebrum affluxum proveniant, tandemquè putrescentes gangrænam minentur. Atque hinc quamprimum tollendi, & absumendi siccantibus medicamentis. Acriora namquè hic vitanda excisio autem quæ ferro fit, ut & ligaturâ ac filo serico, adeo tuta non est; cum gravia supervenire soleant symptomata. Si tamen nimium increscat fungus, filo serico arctius ad radicem ligandus, ut decidat; reliquum medicamentis siccantibus absumendum. Quem in finem paræus inspergit hunc pulverem.

℞. *Sabinæ* ʒij. *Ochræ* ʒj. *M. F. Pulvis.*

Sed hoc in casu utiliter aliquando usurpatum vidimus *pulverem ex scœnantho & spica nardi.* Quo remedio Petrus de Marchettis sæpius istiusmodi fungos etiam sanavit, quodque proinde tanquam arcanum proponit *obs. chir. 6.*

CAPUT XVI.

De Vulneribus Faciei.

Faciei vulnera quomodo curanda.

I. FACIEI VULNERA Nihil ab aliorum vulnerum curatione differunt, nisi quod faciei forma & pulchritudo conservanda sit, dandaquè in primis opera, ne relinquatur cicatrix: id quod fiet, si vulneris labia aut suturâ, aut deligaturâ, aut glutinante medicamento ritè colligentur,

Digitized by Google

ac inter se uniantur. Sutura vero in faciei vulneribus prudenter facienda est, nec magna carnis cutisquè crassities capienda: illa namque per se satis uniuntur, quod cuti, carni sic adhæresçat, ut alterum alteri facile conglutinetur & coalescat. Quod si emplastrum glutinans per se satis fuerit efficax, eo utendum. Etenim faciei vulnera per suturam curari non debent, si aliter fieri potest, ne cicatrices eam deformem reddant: sin minus, communis usurpanda erit sutura, & puncta propius adjungenda.

Sed quum magnum sit, ac profundum, vulnus, multumquè à se distent ejus labia, nec glutinis, nec vulgaris, Suturæ vix ullus usus est. Quare acubus utendum triangularibus, vel quadrangularibus, quo in carnem promptius & facilius subeant, filum cerâ obductum ducentibus: hisque vulneris labra transmittere, &, quoad vulnus perfecte agglutinatum fuerit, acus in eo relinquere oportet, sæpius circa easdem filum glomerando; haud secus ac mulieres acus vestibus infixas asservare solent.

II. Cæterum ad vulnera faciei referri solent vulnera frontis, Superciliorum, palpebrarum, genarum &c. Atque in FRONTE si vulnus inflictum sit, idque *cum ossis læsione*, tum decori non est studendum, sed securitati, quia periculosum est vulnus, & curari debet sine suturis, vel aliis instrumentis, quæ possunt vulneris labia unire; quin imo vulnus apertum servare oportet, os deradere, & porro eam adhibere curationem, quæ fieri solet in vulneribus capitis cum cranii fractura vel depressione. At quum frontis vulnus sit *sine ossis læsione*, quantum fieri potest, venustati est attendendum, idque curandum ut vulnus capitis simplex, *hoc est*, sine cranii, menyngum, & cerebri læsione. Vulnus frontis.

III. Haud secus procedendum si vulnus in SU- Vulnus supercilii.

Digitized by Google

PERCILIO contingat secundùm *longitudinem*: Si verò *transversim* fiat; vulnus hoc, nisi diligenter curetur, sequitur casus supercilii, adeoque & palpebræ super oculum: unde, quantum possibile, exactè tale vulnus est glutinandum. In quo casu à futuris, & quidem profundioribus abstinendum non est, ut labiorum superficies adamussim se mutuo contingant. Quod si vulnus hoc sit cum deperditione substantiæ, caute admodum procedendum, ne relinquatur cicatrix ità dura, ut sursum retrahat palpebram, & impediat, quo minus ea oculum tegat.

Vulnus palpebrarum.

IV. Verum PALPEBRA si vulnerata sit, absque ulla oculi offensione, non magnopere quidem mutuendum, cum non difficulter hujusmodi vulnus sanetur. Quum tamen vicinarum oculi partium vulnera, ob materiæ affluxum, cæcitatem aliquando induxisse observatum sit, palpebrarum vulnera parvi facere non semper debemus. Refert Fabritius Hildanus *cent. 5. obs.* 17. Quendam vulnus exiguum acie pugionis ad radicem frontis, & quidem in ipsam Palpebram Superiorem accepisse, idque ab initio, ob sui exiguitatem, neglectum fuisse: at paulò post: exortus est dolor gravissimus totius capitis, cum tanta oculi intumescentia, ut ad ovi circiter magnitudinem extra orbitam suam promineret, cum corneæ tunicæ ruptura, humorum oculi effluxu. Hildanus medicamentis tum internis, tum externis ægrum quidem restituit; visum tamen, ob membranarum rupturam & humorum deperditionem, nunquam recuperavit. Idem *cent. 6. obs. 6.* scribit, puero cuidam quatuor annorum, jactu bacilli ex una parte acuti, vulnus ad Palpebram Superiorem sinistram inflictum fuisse. Cecidit mox in terram puer, cibumque indigestum evomuit, nec quicquam cibi & potus in ter-

Digitized by Google

tium diem usque retinere potuit. Accedens Barbitonsor fructulum pinguedinis extrà vulnus propendens reperit, quod filo serico ligatum post dies aliquot forfice abscidit, vulnusque quindecim intrà dies, nullis immissis turundis, cicatrice obduxit. Mensibus aliquot elapsis, puerum hunc cæcum esse altero oculo observatum fuit; interim tamen extimæ omnes oculi partes illæsæ erant, imò ne motus quidem depravatus fuit: quibus Hildanus suspicatur, vulnus hoc inter cranium & oculum ad nervum opticum usque penetrasse; unde ille vel læsus fuit, vel à materia aliqua cruda eo confluente compressus: aut obstructus.

V. Igitur Palpebræ vulnus si sit simplici incisione factum, & quidem *transversum*, consui non potest, quoniam musculi orbicularis fibræ sunt incisæ, unde suturæ non tenent nisi subjecta membrana simul consuatur; quod fieri non debet, quoniam oculi bulbum filum attingeret, ipsumque offenderet, & inflammaret. Quapropter hoc in casu suturâ siccâ, *hoc est*, emplastro glutinatorio magis utendum est.

Quod si vulnus per *longitudinem* palpebræ fiat, neque per subjectam membranam penetret, suturâ uti possumus, & sæpe debemus, quæ fiat acu, & filio tenuissimo, cerâ oblito. Sive aut sutura fiat, sive imponatur glutinatorium emplastrum, & ita labia adducantur, adductaque serventur: medicamentum imponendum est, quod citissimè possit palpebram glutinare; quale est *balsamum sulphuris*, aut *peruvianum* simileve.

VI. Palpebrarum vulnera sequuntur proximè VULNERA GENARUM; de quibus Fabritius ab aquapendente *oper. chir. part. 2. libr. 2. cap. 31.* ità scribit: „ in genarum vulneribus il- „ lud peculiare observari, talia vulnera esse obno- Vulnus Genarum

„ xia ſanguinis profuſioni, propter venas & arterias „ ſurſum per genas excurrentes ; quæ ſanguinis „ profuſio vulneris glutinationem impedit, adeo- „ que illi primum eſt occurrendum medicamentis, „ & modis, in vulneribus venarum propoſitis, „ poſtea labiis adducendis, & vulneri glutinando „ incumbendum eſt. In hujuſmodi vulnere illud „ non eſt ignorandum, ſcilicet non oportere vul- „ neratum maſticare, neque loqui, neque buccas „ inflare, neque ridere, neque flere neque incli- „ nato corpore ſtare, neque ſpiritus cohibitione „ uti. Memini namque juvenem quendam in gena „ vulneratum, inflatâ buccâ, focum accendere „ voluiſſe, & ſtatim tanta copia ſanguinis profuſa „ eſt, ut ferè perierit.

„ Hæc genarum vulnera aliquando adeo profun- „ da fiunt, propter muſculos & multam pingue- „ dinem, quæ oſſi ſuperſtant: ut cum non poſſint „ labia in profundo exactè committi, neceſſarium „ ſit ſinum quendam intercedere ; & ſic vulnus ſim- „ plex in compoſitum degenerat, ut carnis gene- „ ratione indigeat. Quod ubi accidit, omnino ve- „ nuſtati cicatricis eſt attendendum, quia gena eſt „ pars ſpectatiſſima ; unde in propoſito caſu, pri- „ mo labiis glutinô adductis, oportunum fuerit „ foramen in parte inferna parare, quod immiſſâ „ turundâ apertum ſervetur, ut inde profunda pars „ vulneris expurgetur ; quod eſt efficiendum, quan- „ do vulnus genæ in barbam deſinit, unde cicatrix „ ex adventu barbæ occultatur. At ſi vulnus totum „ extrà barbam ſit, vel labia vulneris non ſunt „ adamuſſim anſulis adſtringenda, vel quatenus „ amplectenda, ut per ipſa ſanies poſſit exire, po- „ tiſſimum id præſtandum eſt circà partem infer- „ nam : aut, quod melius eſt, oportet faſciis ita „ vulnus ligare & comprimere, ut ſinus vitetur ;

Digitized by Google

,, & ita generatio, collectioque saniei.

Si autem tota gena fuerit dissecta, uti nonnunquam contingit, quoniam ab interna parte tegumentum apponere haud possumus, & continuâ humiditate os scatet; optimum est, medicamentum, quod palato arridet, vulneri quoquè per os admovere; quale est *mel. Rosarum, vel simplex, vel cui tantillum spiritus vini, aut tinctura saturni admixtum est.*

Exemplum vulneris faciei prope nasum inflicti in quo vaginæ gladii vinculum relictum fuit, tandem post quatuor annos extractum, nec non ejusdem curatio, videri potest apud hildanum *cent.* 3. *obs.* 24.

VII. Cæterum & hoc in genarum vulnetibus observandum; quotiescunquè vulnera prope aures contingunt, viz. eo loci, ubi superior ductus salivalis excurrit, exiguum quoddam remanere foraminulum, per quod, potissimum ubi manducare solent patientes, magna limpidæ aquæ seu humoris salivalis copia continuo extillat; qui fluxus non raro per plures menses durat, ac magnas medenti parit molestias. Solet vero curari hujusmodi salivalis humoris per exiguum hoc, & merè fistulosum foraminulum, stillicidium per imposita medicamenta valenter exsiccantia & constringentia, inter quæ laudem meretur *pulvis ossis sepiæ*, qui foraminî insperſus, & digestivo mixtus, non raro molestum hoc symptomata tollit.

Exaperto, in Vulnere Genarum ductu salivali superiore orta Fistula, quomodo Curanda.

Sed nonnunquam hoc lymphæ profluvium, ut cohibeatur, acria & exedentia requirit, quibus, seu potentiali cauterio, fistulosum hoc foraminulum eroditur & ampliatur, hinc denuò consolidatur, occluditur, adeoquè limpidi humoris continuum stillicidium coërcetur. Quo in casu aliquandò usurpavimus *turundam exiguam, ex mercurio Præ-*

Digitized by Google

cipitato Rubro cum ſpiritu vitrioli ſubactam, quæ aperturæ ductus ſalivalis immiſſa, tamquam corroſivum, indurata ac calloſa ejus latera erodendo undiquè abſtulit, & paucos intrà dies moleſtam hanc fiſtulam penitus ſanavit.

CAPUT XVII.

De Vulneribus Oculorum.

Oculorum Vulnera quæ & qualia cēſenda ſint.

I. OCULORUM VULNERA ad ſenſum ſatis patent. Ea verò ſpernenda non ſunt, ſiquidem propter partis læſæ nobilitatem & ſtructuram, ſenſumquè exquiſitum, quæ in aliis partibus parva ſunt, in Oculis magna meritò cenſentur. Enimvero facilè concitantur defluxiones, hinc dolores acerbiſſimi, inflammationeſquè accedunt. Adhæc cæcitatis periculum ex quovis, tametſi exiguo, Oculi vulnere imminet, cum propter continuas defluxiones, tum propter aquei humoris effuſionem.

Alterum Oculis vulneratis imminet, periculum ex collectione materiæ purulentæ, qua humores inficiuntur tunicæquè eroduntur, quamobrem vulnera hæc ità tractanda ſunt, ut omni ſtudio occurratur fluxioni, & quamprimum aglutinentur citrà puris generationem.

Qua ratione curari debeant.

II. Atquè ideo ſimplex quum ſit Oculi vulnus, ut tantum cornea vel conjunctiva tunica incidatur, vulnus tamen non penetret, & ſine humoris effluxu, curatur inciſionem glutinando, dolorem leniendo, ac inflammationem cohibendo. Quapropter abluendus oculus *lacte recenti tepido*, cui & *aqua roſacea* addi poteſt, dein admoveatur *aqua roſacea*, *in qua maceratum eſt Semen cydoniorum & fœnigraci* diligenter interim oportebit inſpicere, an aliquid

Digitized by Google

aliquid corporis ferientis relictum sit, nec ne, ut particula ferri, aut vitri festuca, vel simile namquè si particula quædam relicta sit, auspicanda est cura ab extractione illius, modò appareat, quod præter naturam inhæret.

Scribit Fabritius Hildanus, *cent.* 4. *obs.* 6. de fabro ferrario, cui frustulum scoriæ, cum impetu in oculum prosilient, ipsi profundius infixum fuit. Expertus hic cheirurgus post aliquot dies vocatus, ex inferiore parte pupillæ, ubi iris apparet, scoriam reperit: sed quamvis omnem diligentiam adhiberet & extractionem tentaret, oleum tamen & operam perdidit; unde & totum negotium naturæ, impositisquè medicamentis committere coactus fuit. Igitur corpore purgato, collyrium anodynum & non nihil repellens applicuit, venam in brachio secavit, cucurbitulasque scapulis imposuit; at frustraneo eventu: etenim dolor & infixa scoria remanserunt tandem hoc sæculo applicato penitus convaluit Æger:

℞. *Rad. Althææ minutim incis. & contus.* ℥j.
Fol. Betonicæ, euphrasiæ,
Flor. camomillæ, melilloti an. Mß. *Rosar. rubr.* Mj.
Seminis fœnigraci ℥ß.

Incisa & contusa detur in sæculis ejus magnitudinis, ut totum oculum tegere possint; hosquè sæculos in lacte dulci tepido macerates idoneid. m Oculo affecto applicuit.

Idem refert *cent.* 4. *obs.* 18. puerum quendam liquefactum plumbum imprudenter & nimis velociter in aquam frigidam projecisse, idquè eo impetu in altum resiliisse, ut non tolum pileo, verum etiam oculo sinistro infigeretur. Parens accurrit, puerumq; è statim ad hildanenm deduxit: qui cum oculum inspexisset, granum unum plumbi ad lentis

Digitized by Google

ferè magnitudinem palpebræ superiori, ubi crines erumpunt, alterum tunicæ adnatæ infixum reperit, adeo profundè, ut volsellis vix extrahi possit. tandem extracto plumbo, oculo Collyrium anodynum & repellens instillavit atquè applicuit, occulumquè fasciâ clausit, sicquè paucos intra dies patiens convaluit. Et *obs.* 21. narrat, rusticum quendam, cum chalybem emeret, & frustrum ad frustrum allideret, scintillam ipsi in illam corneæ partem, ubi iris conspicitur, prosiliisse, eiquè membranæ firmiter inhæsisse, maximo cum dolore. Quum vero adstantes per plures dies omnem adhibuissent diligentiam, dolores quinetiam, ac inflammationes vehementer auctæ fuissent, fabritius corpore purgato, ac institutâ phlebotomiâ, instrumentis scoriam extrahere tentavit; sed adeò exigua fuit, ut extrahere iisdem non potuerit. Quapropter beneficio saculi, cujus statim mentio facta est, extrahere illam constituit; sed frustrâ. Tandem aliud remedium excogitavit: interim enim dum hildanus ambabus manibus palpebras aperit, alter magnetem oculo quam proximè æger id ferre potuit, admovet. Id cum aliquoties fecissent, tandem scoria ex oculo in lapidem prosiliit. Deinceps applicato collyrio anodyno brevi convaluit. Deniquè *cent.* 5. *obs.* 15. vulneris occuli sinistri gravissimi, cum cornæ tunicæ ruptura, & aquei humoris effluxu, historiam quoquè describit.

Vulnus interno oculi cantho inflictum manubrio flabelli, cujus, suborto post tres menses tumore, ex palato fracta portio educta est, & tamen sanatum, videre est apud petrum de marchettis *obs. chir.* 23. Gravissimi quoquè vulneris oculi, cum infixo fusi aculeo, curati, exemplum adfert sculcetus *post armam. chir. obs.* 20.

III. Itaquè eductis ex oculo vulnerato peregrinis corpusculis, curandum, ut quamprimum

Digitized by Google

vulnus glutinetur. Sed quoniam pars est acutissimi sensus, tractanda erit medicamentis minimè acribus, ac iis, quæ specificè oculis conducunt, quæquè vim habent dolorem leniendi, & inflammationem arcendi. Quem in finem oculo instilletur & admoveatur hoc, vel simile collyrium.

℞. *Aq. rosarum, plantaginis, chelidonii maj. an.* ℥j.
Vini Rubri adstringentis. ℥ß
Troch. alb. rasis subt. ℈ij.
Tutiæ præp. ʒß. *Sacchar. saturni* ℊ. v.
Misceatur.

Foras vero applicetur anodynum cataplasma. v. ℊ.

℞. *Pulpæ Pomorum reptug.* ℥vj.
Coq. in aqua rosarum & fœniculi ad mollitiem, dein conter. & add.
Mucilag. Sem. fœnigraci. ℥ij.
Pulv. cort. granatorum, lapid. hematit. præp. an. ʒij.
Croci ℈j. *Albumina duorum ovorum.*
Lactis dulcis rec. q. s.
M. F. Cataplasma, inter duo linteamina oculo calidè applicandum.

Ab Oleosis & pinguibus omnibus abstinendum in oculorum vulneribus; quippe quæ facilè in partibus membranosis excitant inflammationem.

At detergentibus & sarcoticis quum opus sit, præscribatur hoc modo.

℞. *At rosarum* ℥iij. *Mellis despumati* ʒiij. *Pulv. aloës* ʒß. *Misceantur pro collyrio.*

Interim maximâ diligentia servandi sunt ægri, ne lumen videant, nequè maneant in loco valdè calido, ob dolorem & inflammationem.

Observandum præterea, ut uno oculo vulnerato ambos fasciâ obvelemus; nam si sanus oculus maneat apertus, Patiens eundem sæpè movet, eodemquè

Digitized by Google

videt. Atqui motus ille externus oculi sani vix contingit, quin simul moveatur oculus vulneratus. Insuper quum sanus oculus occlusus non sit, visu multa objecta continuo attingit, id quod fieri nequit, quin simul motus de novo producatur in fibrillis nervi optici; atquè ne minima quidem fibrilla nervi optici in oculo sano moveri potest, quin eodem tempore moveatur etiam fibrilla ejusdem ordinis in nervo optico oculi læsi; cum naturâ comparatum sit, non posse unum oculum vel extrinsecus moveri, quin alter similiter moveatur: quantum autem motus sanationi contrarietur, & quam facilè dolorem ac inflammationem excitet, is haud difficulter conjiciet, qui aliquando expertus est, quo cum dolore, ac quanto cum emolumento manus aut pes inflammatus, vel vulneratus de loco in locum moveatur.

IV. Quod si majus sit vulnus, & corneam tunicam penetret, hinc & effluat aqueus humor; globosa tunica cornea mox corrugatur, ac in se concidit, adeoquè visus deperditio succedit, uti non semel in praxi observavimus.

Hoc in casu oculo vulnerato cum linteis imponatur collyrium adstringens & emplastricum. v. g.

℞. *Albuminis ovi* ℥j. *Aquæ rosarum* ℥iß. *simul agitentur & conquassentur, add.*
Pulv. boli armeni ʒß.
Misceantur.

Dein cum nullus superfit inflammationis metus, imponatur hoc vel simile.

Aq. rosarum ℥ij. *Chelidonii maj.* ℥j
Pulv. Troch. alb. rhasis ʒj *Tutiæ præpar.* ʒß.
Camphoræ, Sacchar. saturnæ. an ℈. iv.
Misceantur pro collyrio, cui, re exigente, addi possunt *Myrrha*, & *Sarcocolla lacte nutrita.*

Digitized by Google

Sin adhuc majus & profundius sit oculi vulnus, sic ut omnes humores elabantur, ad inflammationem, & dolorem sedandum, si adsint, ea conducunt, quæ nunc proposuimus: reliqua intentio erit, vulnus carne implere, & quam citissimè cicatricem obducere, quia in hujusmodi vulnere semper deperdita est visio Hinc decori incumbendum; quod fiet, si oculum amissum compensemus oculo vitreo picto: qui aliquandò ità similis apparet sano, ut etiam peritis videatur verus oculus. Tales arte factos vitreos oculos in musæo nostro servamus.

V. At si cum oculi globo etiam palpebra vulnerata sit cavendum, ne inter curandum palpebra cum oculi globo conglutinetur, sicquè impediatur motus ipsius oculi: ad id evitandum, danda erit opera, ut æger quotidiè inter deligandum aperiat oculum, & in partem opositam volvere tentet, & si possit, volvat.

CAPUT XVIII.

De Nasi Vulneribus.

I. NASUS ubi vulneratur, vel cutis tantum inciditur, vel unâ cum cute ossa & cartilagines læduntur, potissimum in parte inferiore; quo in loco quandoquè tam vehementer vulneratur cartilago, ut nasi globus, & portio Pinnæ amputetur, ac decidat. Nasi Vulnera, quæ & qualia sint.

II. Si cutis tantum sautiatur, sive in superna, sive in inferna parte, vulneris labia ad se invicem adducenda non sunt per suturam, verum per glutinatoria emplastra, ut cicatricis vestigia eviteutur. Quomodo ea sint Curanda.

Quod si factum sit nasi vulnus in parte superiore, cum ossis fractura, prima intentio est, fractu-

Digitized by Google

ram conformare, dein vulnus unire. Immissâ igitur in nares spatulæ caudâ, vel idoneo intruso bacillo, stupis, bombace, vel linteo obvoluto, depressa ossa nativæ sedi & figuræ sunt restituenda; dein vulneris labia ad mutuum contactum emplastris glutinatoriis adducenda; nec non naribus immittendi tubuli, non quidem exactè rotundi, sed quodammodo lati & depressi, quorum beneficio ossa nasi suo in situ contineantur, & exitus saniei, ac inspirationi expirationiquè via pateat: tandem conveniens injicienda ligatura, quæ non nimium præmat ne simus reddatur nasus.

Vulnus nasi cum ossis fractura, idquè à sculteto curatum, videre est *post armam. chir. obs.* 22. Refert quoquè petrus de marchetis *Obs. chir.* 26. historiam gravissimæ nasi contusionis, cum ossis fractura & comminutione, feliciter sanatæ.

III. Quum verò particula nisi abscissa sit, nunquam reunitur, etiamsi vel recentissimum sit vulnus: eadem si adhuc illi cohæreat, acus ope eidem jungatur. Etenim ima nasi pars, cum sit cartilaginea, quasari quidem, deprimi, & contorqueri potest; at non frangi, ut superior, quæ ossea est.

Itàquè nasi portio si omninò abscissa fuerit, adeoquè nullo pacto possit restaurari, deperdita illa particula fabricetur ex laminis argenteis, naturali nasi colore pictis. At ex brachii cute nares denuò efformandas esse, docuit Talicotius, qui de hujusmodi curatione magnum volumen orbi erudito exhibuit.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De Vulneribus Labiorum, Aurium, & Linguæ.

I. LABIA quum sauciantur, ut plurimum per longitudinem rescinduntur. Et hujusmodi labii vulnus si sit absquè ulla substantiæ deperditione, ejus labra diligenter sunt consuenda decenterquè adaptanda; ut nulla adsit eminentia, ominisque deformitas vitetur; ac vulnus poro per primam intentionem curandum, conglutinandum. Labiorum Vulnera.

II. In instituenda vero hac sutura, nonnulli Eâ utuntur, quæ fit acu per utrumquè labii divisi partem transmissâ, factô deinde punctô; quale suturæ genus in aliis partibus vulneratis plerumquè institui solet, sed oportet acum à labii divisione longius transmittere, quo valentius teneat filium, & non abrumpatur. Vel ob fili facilem erosionem, & deformem citracicem, potius una, duæ tresvè acus per utramque labii divisi partem sunt transmittendæ, & in carne relinquendæ, filum sæpius circa easdem glomerando, uti in curandis leporinis labiis fieri solet.

Factâ divisi labii adductione, & per suturam ad mutuum contractum conjunctione, imponatur foras linteum *ovi albumine* madefactum, simileve exsiccans glutinatorium; intus vero adhibeatur *mel rosarum*, *vel simplex*, *vel cui Spiritus vini aut tincturæ saturni tantillum admixtum sit*: etiam infixæ serventur acus, quousquè facta sit labiorum proba conglutinatio; quod circa finem secundæ hebdomadæ plerumquè contingit, quo tempore licet acus auferre.

Vincula in hisce partibus, ubi opus fuerit, tantum ad medicamenta continenda conveniunt.

Digitized by Google

Etenim vulnera labiorum, ut & Aurium externarum plus boni ab acu, quam à ligaturis expectant.

Cæterum in futura adhibenda, & post ipsam adhibitam, omninò ab omni labii motu est abstinendum, qui vel mandando, vel loquendo, vel ridendo fit; quod impossibile sit tunc vulneris labra conjungere, aut conjuncta servare.

De istiusmodi vulneribus chalmæreus *in bir. chirurg. libr. 2. cap* 18. sic loquitur „ labiorum vul„ nera futuram decentem requirunt, ac appositio„ nem eorum, quæ glutinant, atque ob frequens „ spatium, quod humectat, diligentius est excican„ dum & adstringendum: ligaturam hujusmodi „ vulnera non admittunt, nisi ad medicamenta, „ quæ apponuntur, retinenda.

Vulnera Aurium. III. Non raro quoque vulneratur AURIS EXTERNA, sive omnino abscindatur, sive aliqua ejus portio saucietur.

Externa auris si ità abscindatur; ut portio incisa conjuncta sit sanæ, hanc futurâ cum sana conjungere oportet; quæ fit filo continuato, & acu transmissâ per utrumquè labium, dein supra vulnus revolutâ, rursus ex eodem latere transmissâ & revolutâ, quousquè tota futura facta sit; in qua facienda, subjectam cartilaginem evitare oportet, quia puncta inflammatur, alitervè malè afficitur.

Aliquandò tamen ubi externæ auris portio ità abscinditur, ut reliquæ sit conjuncta, à futura abstinere possumus, atque ità vitare doloris ac inflammationis occasionem; & ad vulneris labia ad mutuum contractum adducenda sæpè emplastra sufficiunt Glutinatoria.

Quibus vero auris tota penitus abscissa sit, iis nihil aliud restat, nisi ut infortunii sui deformitatem curâ palliativâ quantum quidem possibile, suppleant, & aurem mutilatam ex papyro crassiore,

Digitized by Google

vel corio picto resarciant.

IV. Porro LINGUA etsi intrà os consistat dentium septo munita, atquè ab injuriis omnibus tuta satis videatur, accidit tamen quandoquè eam vulnerari: quoniam ubi genæ & bucæ inciduntur, & perforantur, solet quoque lingua nonnunquam sauciari; imo dentibus sæpè propriis rescindi, uti in epilepsia, aut casu graviore non raro contingit. Atquè hæc vulnera fiunt vel cum abscissione linguæ ferre totius, vel alicujus ejusdem portionis. Vulnus Linguæ.

Substantiæ jactura resarciri nequit, quia pars omnis à corpore vivente, à quo vitam ducebat, distracta & avulsa vivere desinit. Paræus tamen mentionem facit cujusdam, cui insignis linguæ portio erat ablata: qui nihilominus ope lignei instrumenti, quod ore detinebat voces edebat articulatas. Sic factitiis ligneis cruribus utimur ad incendendum, & ex ferro fit instrumentum brachio applicandum, quò in manus defectu, apprehensio quadantenus exerceri potest.

V. Quod si linguæ portio abscindatur, ità tamen ut corpori linguæ adhuc cohæreat, vitanda est omnimoda ejus abscessio. „ Quod præceptum, in- „ qui aquapendens *oper. chir. part. 2. libr. 2. cap.* „ 34. perpetuum esse volo, non modo in lingua, „ sed in omnibus faciei partibus, naso, digitis, „ & hujusmodi quoniam sæpe præter medicorum „ spem partes agglutinantur, quæ mens non con- „ cipit glutinari posse. Curandi Methodus.

Ubi igitur dissectio linguæ contingerit, vulneris labia ad se invicem sunt ducenda; atqui alia nulla datur via ea adducendi, adductaque servandi, quam per futuram, idque propter situm partis vulneratæ, & continuo affluentem humiditatem. Sed quoniam lingua propter salivalem humorem lubrica est & ex manibus facile elabitur, à solerti minist-

Digitized by Google

arcte continenda ; interim acu , ut decet , consuatur , ac injectis modi filum juxta nodum secetur : nam si longius telinquatur , inter masticandum in dentium interstitiis implicatur , & lacerantur puncta.

Adductis labiis , quoniam situs linguæ , atque humiditas salivalis impedimento sunt ne partem vulneratam , uti decet , tegere queamus , satis erit , si patiens ore contineat aglutinantia , quæ palato haud valde ingrata sunt.

Linguæ v. g. adhibeatur *Syrupus de rosis siccis* , aut *mel rosarum vel simplex* , *vel cui admixta tinctura saturni* ; atque identidem os colluat æger hoc vel simili gargarismate ,

℞. *Aq. plantaginis* ʒvj *Mellis rosacei* ʒiß.
Tinct. saturni ziß. *vel* zij.
Misceantur.

Vel ,

℞. *Fol. liguſtri , plantaginis , Quercus ,*
Flor. rosarum rubr. an. Mj.
Balauſtiæ ,
Cort. granatorum an zij.
Coq. in aqua pura ad ʒxx. *Colat. add.*
Mellis rosarum ʒiij.
Misceantur.

Si vero à repungente saucia , aliterve transfossa fuerit lingua , adeoque nec labia dissideant , nec portio quædam abscissa sit , satis erit parti læsæ admovere *mel rosarum* , *cui spiritus vini aut tinctura saturni tantillum* additum sit ; reliquum *saliva* glutinare solet. Interea abstineat patiens ab omni locutione , & masticatione forti , ut vulneratum hoc organum quiescat.

Linguæ vulnus transversim factum , ejusdemque curatio , habetur apud Hildanum *cent.* 1. *obser.* 28. Raram quoque historiam linguæ , ex male curato

Digitized by Google

sclopeti vulnere, partibus subjectis arcte coalescentis, cum impedita locutione, periculosâ & peritâ sectione separatæ, ac restitutæ, habet petrus de marchetis *obs. chir.* 32.

CAPUT XX.

De Vulneribus cervicis, colli Guturis, Vasorum jugularium, & Medullæ spinalis.

I. FAciei vulneribus succedunt VULNERA COLLI & CERVICIS. Dicitur autem *collum* ea pars, que capiti proximè subjacet, & faciem inter pectusquè collocatur: figura rotundum; ità dictum, quod caput seu columna sustentet. Hoc quum pluribus expartibus componitur, plures in eo contingunt vulnerum species, pro ut hæ vel illæ in Collo existentes partes saucientur; quales præter *cutem*, eiquè subjectos *musculos*, sunt *arteria aspera, Gula, venæ Jugulares, spinæ medulla, &c.* Colli Vulnera, quæ & qualia sint, &c.

II. Hinc fit, ut ex vulneribus hiscè alia sint insanabilia, alia difficulter, & non nisi maximo cum vitæ periculo sanentur; atquè ex iis quæ sanantur, alia fandi potentiam demant, vel perpetuò lædant; alia partis vulneratæ motum vitient, prout ex dictis partibus una vel plures, & magis vel minus fuerint læsæ: attamen quæ citrà læsionem sunt dictarum partium, atquè in cute & carne duntaxat, nullum adferunt particulum. Nam, ut ait aquapendens *oper. chir. part.* 2. *libr.* 2. *cap.* 35. „ Generaliter „ nullum colli vulnus periculosum est, etiamsi to„ tum collum pertranseant ab una ad alteram par„ tem, nisi aliqua prædictarum partium vulneretur: in quo casu vel vulnus est mortale, vel periculosum,

Digitized by Google

III. Igitur simplex si sit colli vulnus, primum cruoris profluvio erit cohibenda, dein futura abhibenda, ac porrò per primam intentionem, ut simplex carnis vulnus, id curandum.

Quod si vulnera colli punctim inflicta fuerint, nec statim mortem adferant, pro signo habendum esse vult marchettus *obs.* 37. Venas jugulares & arterias carotides illæsas esse. Qui propterea istiusmodi vulnera hoc modo curare solet: viz. turundam immittit brevissimam, & non crassam, integumenta haud excedentem, *ovi albumine* imbutam, superjecto linteolo duplicato per totum collum, quoquè *ovi albumine bolo armeno & sanguine draconis* intincto: omni denique arte prohibere studet putris generationem, utpote quod venas & arterias corrodit, cum mortis præsenti periculo. Duobus tribusve elapsis diebus, turundam removet, applicatque linteolum *cerato ex cerussâ* inductum, sicque octo vel decem dierum spatio vulnera hæc sanare consuevit.

Quod si vulnus trajiciat totum collum, utrinque imponit turundam brevissimam eodem modo. Observavit præterea, hæc vulnera specillo nunquam esse tentanda, ne lædantur venæ vel arteriæ, cum summo vitæ periculo.

Gulæ. & Arteriæ Asperæ Vulnera.

IV. Sed & OESOPHAGUS & ARTERIA ASPERA in collo nonnunquam vulnerantur. Et quidem *Oesophagus* si vulneretur, sanguis creando per os rejicitur, & cibus potusque per inflictum vulnus exit. Verum *arteriæ asperæ vulnera* innotescunt ex situ, & assidua cruoris per os cum tussi rejectione, voce vel abolitâ vel imminutâ, nec non aëris per vulnus exitu in exspiratione, & ingressu in inspiratione, præsertim si ore naribusque occlusis patiens respirare tentet.

V. Hujusmodi asperæ arteriæ vulnus, quoniam

Digitized by Google

exanguis ea est, & in continuo ob respirationem, locutionem, & deglutitionem existit motu, summe periculosum, & non raro lethale est. Exemplum tamen vulneris asperæ arteriæ sanati, lectu dignum habet Tulpius *obs. medic. libr.* 1. *cap.* 50.

Idem pronunciare licet de Oesophagi vulnere: præsertim quod hæ partes rarissime saucientur, nisi simul vulnerentur venæ jugulares, aut arteriæ carotides, aut nervi vel recurrentes vel partis vagi, unde ingens sanguinis mox accedit profusio, & gravissima alia superveniunt symptomata. Experientiâ nihilominus compertum est, nonnullos ex gulæ vulnere supervixisse: & citat Schenkius *obs. medic. libr.* 3. historiam vulneris in collo, per quod alimenta egrediebantur, sanati insuper gulæ vulnera sanabilia quandoque esse, exemplo probat Pigræus *prax. cheir. libr.* 4. *cap.* 12. ubi etiam docet, sutura valida & tenaci istiusmodi vulneris labia esse adducenda, præcipitque ut resupino collo patientes bibant, & liquidum alimentum sumant, sic ut præcaveatur, ne per vulnus cibus potusve egrediatur.

VI. Igitur perscissa penitus si sit aspera arteria: quamvis desperatus sit casus; quoniam tamen multum refert, num ægrotans loqui possit, diligenter consuendum erit vulnus, ac deinceps tegumento idoneo tegendum, ut inspiratus aër per vulnus exire nequeat: quo facto, nisi magna cruoris profusio simul adfuerit, amissam loquendi potestatem patiens recuperabit, resque suas disponere poterit. At si penitus discissa non sit, aliqua conglutinationis spes est; atque ideo vulnus consuendum, ejusque labia ad mutuum contactum adducenda; hinc imponendum medicamentum, quod ità valet glutinare, ne sanguis & sanies in asperam arteriam cum periculo suffocationis illabantur. Eum in finem aquapendens *oper. chir. part.* 2. *libr.* 2. *cap.* 36. hoc commendat digestivum.

Digitized by Google

℞. Therebinthinæ lotæ ʒj. *pulv. maſtichitis* ʒiß. *Olei hiperici* ʒiij. *albumina cum vitellis, ovorum quot ſufficiunt ad efficiendum unguentum.*

Ut vero facilior fiat conſolidatio, in ore continenda erunt, quæ agglutinendi vim habent; cujuſmodi ſunt, quæ liquari poſſunt, quo paulatim liquefacta in aſperam arteriam ferantur, ut *ſaccharum althææ*, vel *tabellæ ex ſpecie diatragacantha*, *&c.* vel *linctus ex melle roſaceo, ſyrupo althææ, de ſymphito cum ſpecie diatragacantha*, *&c.* vel *gargariſma ex radice conſolidæ, tormentillæ foliis plantaginis, quercus, ſaniculæ, & ſimilibus decoctis; addito colaturæ mello roſaceo, aut ſyrupo de roſis ſiccis.*

Si autem vulnus cum deperditione ſubſtantiæ aſperæ arteriæ contigerit, quoniam nullus poteſt eſſe ſanationis locus, niſi chriſtiana pietas aliter ſuaderet, facto prognoſtico foret diſcedendum. Huic ergo vulneri latum linteum denſo medicamento illitum applicandum eſt, ne tam linteum, quam medicamentum ad aſperæ arteriæ cavitatem, dum ſpiritum ducit patiens, moveatur; atque in ore contineat, quæ hujus partis vulneribus conducere nunc diximus.

VII. Pari ratione curandum erit oeſophagi vulnus. Erunt quoquè hîc paulatim deglutienda idonea medicamenta, quæ ſenſim, & tanquam aqua per parietem defluens, ad partem affectam perveniunt, quod facilè ſupino ſitu aſſequimur, cujuſmodi eſt electuarium ex *conſerva roſarum rubrarum, ſpecie diatragacantha, bolo armeno, terra ſigillata, ſyrupo de ſymphito*, *&c.* Huc inſuper faciunt linctus, gargariſma, & cætera nunc laudata, quorum particulæ ſenſim deſcendentes perfundere, & tandem conſolidare valent partem vulneratam. Utque vulneris conglutinatio ſuccedat eò facilius, Patiens nihil eorum, quæ deglutitur difficilia ſunt, devoret; ac

Digitized by Google

omni ratione vomitum præcavere ſtudeat, utpote quô violenter nimis agitatur gula.

VIII. Cæterum colli vulnera ſi magis à lateribus fiant, quandoquidem ibi excurrunt *venæ jugulares & arteriæ carotides*, ideo, læſis iſtis vaſis, lethalis non raro fit ſanguinis profuſio. Exiguum vero colli vaſis inflictum vulnus, ſi Cheirurgus tempeſtive accedat, non raro curatur. Etenim INTERNÆ JUGULARES VENÆ vel ARTERIÆ CAROTIDES ſi fuerint vulneratæ, in maximo periculo verſatur patiens, ob nimiam ſanguinis profuſionem, cui ſuccurri non poteſt earum conſtrictione: eo quod jugulum conſtringi non patiatur citra periculum ſtrangulatus & ſuffocationis: quod ſi non conſtringatur, immedicabilis ſuccedit hæmorrhagia. Vulnera Vaſorum Jugulatium.

IX. Quum igitur vaſa hæc jugularia fuerint ſaucia, omni ratione occurrendum ſanguinis profluvio. Sed cautè admodum hæc vulnera erunt tractanda, nec in detergendis grumis, aut vulnere mundificando, nimis diligentes eſſe oportebit & ſi medicamentis, in ſuperioribus abundè propoſitis, Cheirurgus ſanguinem ſiſtere nequeat, mox hamulo vulneratum vas apprehendere debet, & attollere, deinde partes utrinque filo ligare, totumque vas tranſverſim præſcindere; ſi forſam cruoris profuſio cohiberi, & ità Æger ſervari poſſit.

Nonnulli vulnera vaſa jugularia obſtruere norunt, digito vas apertum aliquamdiu comprimendo, donec ibidem ſanguis concreſcat, atque concretus vulneris orificium obſtruat, adeoque amplius non permittat cruorem profluere. Et habet Chalmæteus *enchir. Chir. libr. 2. cap. 19.* exemplum cujuſdam, in vena jugulari externa vulnerati; qui familiarum operâ, viciſſim vulneri digitum per tres dies admoventium, evaſit. Atque haud abſimili modo vulne-

Digitized by Google

ratam jugularem venam in collo celsissimi arausionum principis Gullielmi primi, obturatam, sanguinisque ex eadem fluxum inhibitum fuisse, superius de venarum & arteriarum vulneribus narravimus.

Spinæ Medullæ Vulnera.

X. Atqui collum si in parte postica, seu cervisse vulneretur, nonnunquam læditur SPINÆ MEDULLA; sive punctim aut cæsim ea sauciatur, sive tota per transversum discinditur. Hoc si contingat oboritur convulsio vel paralysis in partibus plagæ subjectis, nec non urinæ & alvi fæcum citra voluntatem excretio, aut omnimoda suppressio de hoc vulnere Hippocrates 2. *præd ct.* ità inquit: „ si Spinalis medulla aut ex casu aut ex alia quapiam „ causa externa, aut sua sponte laborari, & crurum impotentiam facit, ut ne tactum quidem præ„ cipiat æger, & ventris, & vesicæ adeo ut primis „ quidem diebus stercus aut urina non nisi coacte „ reddatur. Quod si morbus invaluerit, & stercus „ & urina, ægro insscio, prodit, tandemque non „ longo post intervallo perit Addit celsus *lib.* 5. „ *cap.* 26 servari non potest, qui in spinæ medulla percussus est. Et refert tulpius *obs. Medic. libr.* 3. *cap.* 24. hujusmodi spinalis medullæ vulneris exemplum, quod tertio die mortem attulit.

XI. Quia verò succurrendum est miseris ægrotantibus, eadem hîc erunt imponenda, quæ in vulneribus nervorum nervosarumquè partium. Atque hinc admoveatur *oleum therebenthinæ actu calidum*, vel *Balsamum peruvianum*, vel *balsamum sulphuris therebenthinatum*, vel *oleum ceræ*; vel quod sequitur;

℞. *Spir. vini* ℥ij. *Mellis rosarum* ℥j.
Pulv. aloës, myrræ an. ʒj
Misceantur.

Et superponatur digestivum. v. g.

℞. *Mellis, therebenthinæ veter. an.* ℥ß.

Theriaces

Digitized by Google

Theriacæ ʒij. *Vitellum unius Ovi.*
Pulv. myrrhæ ʒß. *M. F. Digestivum.*

Interim in hujusmodi vulneribus curandum, ut sanies effluxum habeat ne retenta dolores, inflammationes & graviora alia excitet symptomata. Atque ideò si satis patens non sit vulnus, erit dilatandum, ut ichor expurgari possit: si vero vicinæ partes non permittant, ut vulnus dilatetur, plerumque desperatus est casus. De vulneribus hisce Joh. de vigo sic inquit: quæ vulnera ipsius medullæ eodem modo „ tractanda sunt, sicuti vulnera cerebri; quare „ semper medicus debet eadem ratione curare, & vulnera spinalis medullæ, & vulnera cerebri.

CAPUT XXI.

De Vulneribus Thoracis, & partium intus contentarum.

Vulnerum thoracis Differentiæ.

I. THORACIS VULNERA alia sunt *non penetrantia*, in quibus scilicet membrana plura adhuc integra est; alia *penetrantia*, in quibus non solum thoracis musculi, sed & plera perforatur, ità ut vulnus in ipsam penetret thoracis cavitatem.

Penetrantia vulnera rursum sunt, vel sine partium in thorace contentarum, vel cum earundem læsione; puta pulmonis, pericardii, cordis, diaphragmatis, venæ cavæ, arteriæ aortæ, &c.

Simplex Thoracis Vulnus.

II. Simplex si sit, Thoracis Vulnus, neque in cavitatem ejus penetret, & alius nullus conjungatur affectus, nihil peculiare ad sui curationem desiderat, præter reliqua vulnera.

Si autem detecta sit costa, ea abradenda est ad meditulium usque dein vulnus ut simplex considerandum. Quum vero fracta sit, ea suum in locum

Digitized by Google

restituenda, ac porrò curanda, ut inferius de fracturis summus dicturi.

Cæterorum Thoracis Vulnerum Diagnostica.

III. At profundius cum sit vulnus, diligenter indagandum, an penetret usque in thoracis cavitatem, an non, In thoracis cavitatem penetrasse instrumentum vulnerans, indicat aër per vulnus exiens; qui potissimum deprehenditur, si vulneris orificio tenuis admoveatur cerea candela, aut lana tenuiter carpta vel gossypium eidem imponatur: sæpius namque candela extinguitur, vel saltem flamma ejus nutare videtur, & lana vel gossypium quasi vento agitari conspicitur. Verum hic aëris è vulnere thoracis egressus in primis observatur, quoties ægri tussiunt, vel ore naribusque occlusis vehementer conantur exspirare.

Sed hæc per aërem egredientem exploratio fallere potest, si vulnus obliquum vel tortuosum sit; aut musculi thoracis situ patientis ab eo quem habebat dum vulnus accepit, varient atque vulneris aperturam tegant; vel plagæ orificium, ob non immissam turundam, sit conglutinatum: tum enim aër egredi non potest, imò nec specillum vel stilus intromitti. Ideoquè ægrum, dum vulnus explorandum est, eo situ collocare oportet, in quo erat, cum inflictum fuit.

In penetrantibus quoquè & amplis thoracis vulneribus respiratio interdum læditur, & voce æger privatur vulnere patente; eô tamen occluso redit vox, & respiratio liberius peragitur. Insuper dum sanguis in pectore congeritur, & alia accedunt; viz. febris, tussis molesta, sputum cruentum, lateris dolor, pondus & gravitas circa costas nothas, &c. Et si contentæ intus materiæ, aut contentæ alicuius partis vulneratæ adsint indicia certissimum erit vulnus penetrare, tametsi ipsum assequi specillo non licear. Partium verò thoracis conten-

Digitized by Google

tarum vulnera quibus ut plurimum innoteſcant cap. 1. diximus.

IV. Cæterumque in Thoracis anteriore parte, atque à lateribus contingunt vulnera, neque ad interiora penetrant ex ſe omni periculo vacant, etiamſi ſecundum propriam eſſentiam ſint magna. At quæ in thoracis parte poſtica fiunt, magis ſunt periculoſa, quia plures ibi, majoreſque adſunt nervi & tendines: periculoſiora redduntur ſi dorſi medulla vulneretur, propter gravia, imò & lethalia accidentia. Prognoſtica.

Quæ vero intra pectoris cavum penetrant, nullum licet ex contenti, viſceribus lædatur longe periculoſiora ſunt quod aër externus per vulnus non alteratus ingrediatur, internaſque partes offendat; hinc dolor, tuſſis, inflammatio, febris, & cætera procedant ſymptomata.

Adhuc tamen periculoſiora cenſenda ſunt, ſi inſuper ſanguis in thoracis cavitatem fuerit effuſus, qui ibidem putreſcere, & graviſſima excitare accidentia potis eſt

Sed periculoſiſſima ſunt, ſi quæ ex contentis partibus fuerint ſauciæ quapropter haud abs re inquit galenus 4. *Meth.* 6. „ vulnus, quod intra thora„cem vel peritonæum penetrat, non parvum peri„culum adfert, præcipuè ſi quid internorum unà „ſit vulneratum. Equidem de vulnerum contenta„rum in thorace partium prognoſticis in ſpecie „cap. 2. abunde. egi.

V. Quoad *curandi methodum*: hujuſmodi vulnus non diſſimilem quidem poſtulat curam à reliquis vulneribus in parte carnoſa exiſtentibus; ſi nempe in thoracis cavitatem haud penetret. At ſi penetret in pectoris cavum, fueritque citra contentarum partium læſionem, neque in thorace materia quæpiam contineatur: vulnus quamprimum eſt occlu- Vulnerum thoracis curatio.

Digitized by Google

dendum, ut aëris externis ingressus prohibeatur; hinc protinus conglutinandum.

VI. Si verò contineri intus materiam suspicemur, per dies aliquot vulneris orificium patens est servandum, ut expurgari ea possit; & si ob plagæ aperturam minus patentem probè effluere nequeat, scalpello plaga est dilatanda: utquè facilius profluat, supra vulnus vulneratus decumbat. Insuper, nisi vulnus per se satis pateſcat, plagæ intra osculum immittatur tubulus argenteus, vel plumbeus, per quem sanguis aliavè contenta materies commodè exputgari queat. Deinceps vulnus liberè erit occludendum. At vulnerum in thoracis cavitatem penetrantium veram & succinctam curandi methodum tradit petrus de marchetis *obs. chir.* 41.

VII. Haud secus ratiocinatur fabritius Hildanus „ *cent.* 3. *obs.* 37. Vulnera pectoris; si sanum est „ corpus, vulnusquè recenter inflictum neque „ sanguis aut pus ullum in pectore collectum, „ vulnus ut diu apertum maneat, minimè opus est. „ In cacochymicis verò corporibus alia ratio est; „ in iis enim vulnerum & ulcerum pectoris con„ solidatio, donec natura se probè exoneraverit, „ minimè acceleranda est. Scultetus quoquè *in armam. chir. tab.* 37. monet, ne vulnus thoracis penetrans unquam consuatur, aut per primam intentionem curetur, ne materiæ, quæ in thoracis cavitatem effusa est cum ægrotantis periculo præcludatur exitus: vult autem, ut primò immittatur turunda filo alligata, ad apertum vulnus servandum. Quod si materies intrà thoracem collecta fuerit crassa, atque ad exitum per plagam inepta, illa attenuetur injectis per aliquot dies *lavacris ex decoctione hordei, passularum, addito melle rosaceo*, ac vulneri immittatur cannula, ut pus, injectaque decoctio sensim denuò expurgetur. At plura huc

Digitized by Google

ſpectantia idem habet *poſt armam. chir. obſ.* 42. 43. 59.

VIII. At tamen ſcribit Joh. de vigo *libr.* 3. *tract.* 1. *cap.* 10. controverſum inter cheirurgos eſſe, de penetrantium thoracis vulnerum conſolidatione. Quibuſdam enim videri ejuſmodi vulnera quamprimum claudenda & cicatrice obducenda eſſe, ne aër frigidus in cor ſubeat, ac ſpiritus vitales exiliant & diſſipentur. Alii è contrario cenſent, talia vulnera diutius aperta eſſe ſervanda: imo ſi per ſe non ſatis pateant, Chirurgiâ amplificanda, quo ſanguini in thoracis ſpatium effuſo exitus pateat, alioquin cunctando putredinem contracturo, unde febris incrementum, ſinus fiſtuloſis, aliaque periculoſa, accidentia.

Priorem ſententiam amplectitur theodoricus *libr.* 2. *cap.* 16. ubi in quacunque parte thoracis fiat vulnus, in continenti labia conjungi vult.

Poſteriori ſubſcribunt Joh. de vigo *loco citato.* Brunus *chir. mag. lib.* 1. *cap.* 4. Rolandus *lib.* 3. *cap.* 19. Ianfrancus *tract.* 2. *cap.* 5. gulielmus de ſaliceto *libr.* 2 *cap.* 12. Rogerius *cap.* 23 chalmæteus *in encheiridio chirurgico.* Item paræus de hac quæſtione ſic inquit: „ Prior quidem ſententia ratione & „ veritate nititur, modo nihil aut parum ſanguinis „ in thoracis capacitatem effuſum: poſterior verò „ locum habet, cum magna vis ſanguinis in thoracis ſpatium ſe effudit. Atque hiſtoria utramquè ſententiam comprobat, docetque vulnus thoracis penetrans ad duos treſvè dies apertum eſſe ſervandum: at cum animadvertimus ægrum nullo, aut ſaltem exiguo dolore vexari, nullo pondere diaphragma premi, ſpirandi libertatem adeſſe, adeoque detrahi periculum, quam citiſſimè fieri poterit, ad cicatricem vulnus perduci vult. Eadem diſtinctione utitur pigræus *prax. cheirurg. lib.* 4. *cap.*

Digitized by Google

„ 14. ubi inquit : si parva sanguinis copia in tho-
„ race fuerit contenta , eam dissipari & evacuari
„ tussiendo & screando.

Si ergò certa contentæ in thorace materiæ indicia sese offerant, materia illa ut educatur postulat. Educitur autem per tres vias : vel per vulneris orificium , vel per os tussiendo , vel nonnumquam per urinæ viam rarum est , pus ex thoracis vulnere in cavitatem ejus effusum , per alvum expurgari, quod se observasse scribit marchette *obs.* 43. At rarius , costæ fractæ fragmentum per anum fuisse excretum : quod se vidisse nobis narravit Cl. Diemerbroekius in collegio suo chirurgico , cum sub ejus auspiciis quondam medicinæ studio operam darem , atquè ipsum illud costæ fragmentum quoquè exhibuit.

IX. Curandum igitur , ne præpropere , & priusquam materia fuerit expurgata , vulneris orificium occludatur : verum apertum id servandum , beneficio turundarum, sic ut non facile externus aër ingredi queat. At si copiosa materies intus contineatur , periculum est ne suo contactu partibus contentis male afficiat in primis quum inter unam & alteram inspectionem nimis longum tempus intercedat. Quapropter utile est instrumentum , quod & apertum servat foramen , & materiæ exitum continuo præbet ; quale est cannula plumbea, vel argentea , aut linteum cerâ albâ oblitum & in cannulæ formam redactum.

X. Sed notandum in vulneribus thoracis tum turundæ tum cannulæ filum semper alligandum esse satis longum ; ne ea , ob perpetuum thoracis in respiratione motum , incidat in pectoris cavitatem mortisque causa fiat. Tale exemplum refert hildanus *cent.* 1. *obs.* 46. cujusdam , qui duas turundas in cavitatem thoracis delapsas post tres menses tussi re-

Digitized by Google

jecit. Et *cent. 3 obs. 36.* aliam narrat historiam de quodam in pectore vulnerato, qui duas turundas satis longas ultrà biennium secum gestavit, à quibus tandem, ne gry quidem alteratis, casu potius, quam arte fuit liberatus, atque ità sanitati restitutus. Tulpius quoque *obs. med. libr. 2. cap. 15.* meminit cujusdam nobilis dani, qui post mensem sextum turundam, in thoracis cavitatem per cheirurgi imprudentiam delapsam, per os excreavit, rarum etiam est, quod habet pigræus *prax. chir. libr. 4. cap. 14.* de milite, qui sclopeto in thorace vulneratus, tribus quatuorvè à sanatione mensibus per arteriam asperam satis crassum, tribusque ad minimum digitis longum, costæ fragmentum excrevit, atque ab eo tempore nullum amplius incommodum persensit.

XI. Insuper circa turundæ aut cannulæ usum in vulneribus thoracis notandum, eas oblinendas esse medicamento digestivo. Etiam ne nimis longe sint turundæ, ut pulmonem lædant.

Impositas hoc modo cannulâ, fiat tegumentum quod injurias aëris, ambientis arceat. Et supra plagam patiens plerumque decumbat, quo materies proprio pondere ad vulnus feratur. Per intervalla quoque ore naribusque occlusis spiritus comprimatur, quo pulmo intumescat diaphragma contrahatur, sicque ad vulnus contenta materia exprimatur.

XII. Sed materies hæc ut facilius educatur, & partim etiam absumatur, nonnulli detergentes & exsicantes liquore per vulnus in thoracis cavitatem quotidie immittere solent: quales sunt, *Hydromel* & *aqua hordei*, cum *melle rosaceo*; aut decoctio leviter abstergens & attenuans, ex *agrimonia, veronica, hyperico, radicæ aristolochiæ rotundæ, &c.* addito *melle rosaceo* nonnunquam & *spiritu vini*. Quibus siphonis ope

Digitized by Google

in thoracem injectis, obturatoque vulnere, jubent ut patiens modo in hoc; modo in istud latus sese volvat, quo materia ab omnibus partibus eluatur hinc per plagæ aperturam unà cum injectione educatur: observandum interea, ne quid lotionis intrà thoracem maneat, eò quod ipsa ob admixtam purulentam materiam corrumpatur, & prava invehat symptomata. Atque hoc modo procedunt, donec materia amplius per vulnus non exeat; & nulla appareant contentæ materiæ signa, Jubent præterea, ut patiens tussiat, quò materies fortius expellatur ad vulnus, & per os quoquè portio ejus educatur.

Monet etiam sculetus *in armam. chir. tab.* 37. in vulneribus thoracis cum parva pulmonis & diaphragmatis ad partem carnosam incisione, ut non solum promoveatur materiæ per vulnus ex se latum, aut scalpello dilatatum, aut per novum foramen, aut per urinarias vias exclusio; verum etiam ut per siphonem in thoracem infundatur 1. Decoctum vasa sanguinem fundentia constringens. 2. materiam crassam attenuans, 3. internum vulnus detergens, 4. illud consolidans.

Si vero ob plagæ angustiam contentæ materiæ non ità pateat exitus congruâ sectione vulnus est dilatandum. At si vulnus sit in superiore pectoris parte, potius in imo thoracis loco, viz. inter septimam & octavam costam apertio est facienda.

Purulentæ materiæ qualitas etiam exploranda immisso spocillo; idquè illico extractum si nigrum sit vel fiat, ægrotum vix evasurum indicat.

XIII. Atqui ubi recesserint symptomata, detrahendus tubulus, quumquè materia minui incipiat, sensim turunda imminuenda, & carnis generationi incumbendum, ut foramen claudatur: si enim

Digitized by Google

vulnus fiat inveteratum, evadit fistulosum, & non, aut saltem difficulter glutinari potest.

Foras vero applicetur medicamentum vulneri idoneum; viz exsiccans, simulquè carnem gignens acconsolidans. v. g.

℞. *Therebenthinæ venet.* ℥j.
Mellis rosacei, olei hypericonis an. ℥ß.
Misceantur.

Alii in hujusmodi vulneribus istud laudant;

℞. *Resinæ Pini claræ & odoræ* ℥xij.
Therebenthinæ, olei laurini an. ℥ij.
Gummi elemi ℥iij.
Rasina & gummi ad ignem liquescant; dein addantur oleum & Therebenthina, parum bullians, donec Unguenti crassitiem acquirant, tandemquè colentur.

Interim à tussi, quantum fieri potest, æger abstineat. Enimvero totus thorax quum exagitetur tussi, fieri nequit, quin vulneratæ partes denuo lacerentur, adeoquè consolidatio impediatur. Si tamen tussis infestet, eo quod ad pulmonem pars contentæ materiæ transmittatus, in ore contineat quæ vim habent leniendi, attenuandi expectorandi; cujusmodi sunt *Syrupi varii pectorales*, aliaque pro arteriæ asperæ & oesophagi vulneribus laudata. Hîc quoque conducit decoctum pectorale quod simul vulnerarium fieri potest. v. g.

℞. *Rad. consolidæ Maj.*
Liquiritiæ rasæ an. ℥j.
Aristolochiæ rot. ℥v.
Herb. tussilaginis, capill. ven.
Fragariæ, fœniculæ an. Mj.
Caricarum, passular. Enucleatar. an. ℥ij
Coq. in aqua Hordei ad. ℥xxx.
Sumat patiens ter quaterve ℥iij. *vel* ℥iiij. *quotidiè.*

Digitized by Google

XIV. Sin *interna aliqua pars fuerit saucia* quantum ad apparens vulnus attinet, eadem omnino curatio convenit; adeoque nec opus est, ut aliquod, præter hæc quæ proposuimus, medicamentum plagæ immittatur. Attamen in *pulmonis vulneribus* danda opera, ut primum sanguinis profusio, quæ ob insignia hujus visceris vasa accidere solet, sistatur, & inflammatio, cui pars hæc obnoxia est prohibeatur, tandemque vulnus conglutinetur: sanguis vero, qui in thoracis cavitatem effusus est, evacuetur. Itaque ut inflammatio prohibeatur, nisi nimiâ cruoris profusione vires sint dejectæ *vena secetur*. Si vulnus sit angustum, hinc ut exitus extravasato sanguini non pateat, scalpello ampliandum In operatione vero æger vehementer exspiret, quo pulmo collabatur. Deinde medicamenta adhibenda adstringentia & emplastica: sive ea sint, quæ in cavitatem thoracis infunduntur: sive interna, quæ ore sumuntur. Talia sunt *bolus armenus*, *terra sigillata*, *thus mastix*, *balaustia*, *gummi arabicum*, *tragacantha*, *&c.* ex quibus injectiones, pulveres, & similia præparari possunt. Sed ut pulvis pulmoni vulnerato applicetur, jubendum ut æger spiritum ducat, quo vesiculosum hoc viscus infletur, aëremque eo usque contineat, ut vulnus pulvere sit conspersum. Interna autem, & quæ per os sunt exhibenda, alibi ac præsertim cap. 7. exposuimus.

Quum vero quædam pulmonis pars è vulnere emineat, & livescere ac nigrescere incipiat, atque ita corruptionis notas exhibeat, ea ferro est abscindenda, uti ex variis cheirurgiæ scriptoribus in præcedentibus notavimus.

Diaphragma quum in parte carnosa sit vulneratum, eædem sunt indicationes curativæ. At *tendinosa pars si vulneretur*, vulnus lethale est.

Digitized by Google

CAPUT. XXII.

De Vulneribus abdominis, & internarum Partium.

I. VUlneribus thoracis ſuccedunt ABDOMINIS VULNERA. Per *abdomen* autem intelligimus totum illud ſpatium, quod á coſtis ſpuriis, lumbis, & oſſibus innominatis comprehenditur: conſtans cuticulâ, cute, adipe, membranâ carnoſâ, decem muſculis; quibus partibus peritonæum ſubjacet, includens viſcera in infimo ventre contenta.

Abdominis vulnerum Differentiæ.

Hinc varia exiſtunt *abdominis vulnera.* Aut enim ſunt *non penetrantia*, quum exteriores ſaucientur partes; cutis puta, pinguedo, membrana carnoſa, hiſque ſubjecti muſculi, intacto peritonæo: aut ſunt *penetrantia*, ubi peritonæum quoquè vulneratur. Cæterum penetrantia abdominis vulnera ſunt, aut *cum*, aut *ſine* partium internarum læſione. Vulnus penetrans cum læſione partium internarum, tot habet differentias, quod ſunt partes in infimo ventre contentæ: unde alia vulnera ſunt cum læſione jecoris, vel lienis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, renum, &c. Rurſus vulnera abdominis penetrantia ſunt quandoquè cum omenti ac inteſtinorum exitu, nonnunquam citrà eum.

Diagnoſtica.

II. An autem vulnus penetret in abdominis cavitatem, an non penetret, indagandum. Penetrans vulnus à non penetrante dignoſcitur immiſſione ſtili vel cereæ candelæ: ſi enim multa portio ingreditur, ſignum eſt plagam penetrare. Advertendum tamen, ne decipiamur: nam fieri poteſt, ut foramine exiſtente obliquo, retorto, aut à ſuperjacentibus partibus occluſo, minima ſtili vel cereæ candelæ portio

Digitized by Google

in ventrem ingrediatur, tametsi penetret vulnus: & è contrario, multa stili aut candelæ portio obliquè inter musculos progrediatur, etiamsi plaga non sit penetrans.

Addunt nonnulli: si vinum intrà orificium vulneris immittatur, in penetrante id ingredi in ventris cavitatem, in non penetrante retrò egredi per plagam. Sed hunc explorandi modum haud immeritò rejicit Cæsar Magatus *libr. 2. cap. 69.*

Certius verò penetrantis vulneris indicium est, si intestinum aut omentum exeat. Quinimò si plagæ magnitudo conferatur cum vulnerante instrumento, non rarò conjecturâ assequi possumus, vulnus num penetret, nec ne.

III. At non satis est, dignoscere plagam penetrare, sed insuper nosse oportet, num aliqua contentarum partium sit saucia; id quod petendum ex celso *libr. 5. cap. 26.*

Sic *hepar vulneratum* indicare ut plurimum solent, vulnus in dextro hypochondrio ad costas nothas, copiosi sanguinis per vulnus exitus, vomitus bilioſus, cruentæ dejectiones, acerbi dolores & punctiones in partibus vicinis & propinquis, febris. Quod si hujusmodi vulnus profundius sit, parit animi deliquium, sudorem frigidum, ac mortem brevi infert.

Lienem vulneratum significant, vulnus in hypochondrio sinistro penetrans sub costis nothis, copiosi sanguinis nigricantis per plagam effluxus, sitis, febris nonnunquam & respiratio lædi solet, affecto per consensum diaphragmate.

Ventriculum vulneratum esse suspicamur, si abdomen sit saucium è regione ventriculi; si præsertim singultus accedat, & cibus potusque assumptus vomitu rejiciatur. Et quandoquidem ità læsus ventriculus nec apetere cibum, nec continere, nec fer-

Digitized by Google

mentare ritè potest : interdum crudus cibus & potus, interdum semidigestus chylus per vulnus exit. Insuper animi deliquium frequenter vulneratum corripit, potissimum si superius ejus orificium seu stomachus saucietur, unde & frigidi erumpunt sudores, aliaque gravia, imo lethalia plerumquè accedunt sympthomata.

Eadem ferè eveniunt, si *vulneretur tenue intestinum* : exit namquè per vulnus nondum perfectus chylus, hypochondria tenduntur ac vomitus non raro accedit. Denique & maximi ventris cruciatus vulneratum corripiunt, ut plurimum cum febre satis valida. At *crassum intestinum*, si *vulneretur* egrediuntur per vulneris orificium fæces, vel saltem stercoris odor inter deligandum percipitur, cruentaque per alvum dejiciuntur.

Renes vulnerates esse existimamus ex loco affecto, præsertim quum urina cruenta sit, & difficulter reddatur, dolorque gravis partem affectam affligat, qui ad inguina testiculosquè sæpè extenditur ; eumquè latum sit vulnus, aquosus cruor per id egrediatur.

Sin *vesica urinaria sit vulnerata*, urina per plagam exit, eaquè reddi solet cruenta : pecten tenditur, dolorque, dolent, & ilia, nec non febris ut plurimum accedit.

Venam cavam aut *aortam arteriam hîc vulneratam* conjectamus ex insigni sanguinis profusione, quam statim mors sequitur.

Summatim quæ pars in infimo ventre sit saucia, conjicimus primum ex situ partis, deinde ex actione læsa, deniquè ab excreto.

IV. Cæterum vulnera abdominis non penetrantia, si ritè curentur, absque ullo sunt periculo, nisi sint valdè magna. Periculosiora tamen merito censentur, quæ in media abdominis parte, quam quæ Prognostica.

Digitized by Google

in lateribus sunt, propter concurrentes ibidem loci abdominis musculorum tendines.

At penetrans abdominis vulnus, licet non lædantur partes internæ, periculosius tamen est; præsertim magnum si sit, & profundum, eò quod intestina facilè excidant, quæ difficulter postea suo loco restituuntur. Etiam angusta hujusmodi vulnera, si intestina excidant, periculo non vacant. Nisi enim id quod excidit statim in suum locum reponatur, intumescit ac inflatur, ut postea per angustum foramen restitui nequeat; hinc ab aëre externo alteratur, corrumpitur, & malum sæpius evadit lethale.

De Vulneribus vero abdominis penetrantibus, cum contentarum intus partium læsione, quid judicandum sit cap. 2. abunde diximus.

Vulnerum infimi ventris curatio.

V. Vulnera porrò abdominis *non penetrantia* eandem requirunt curandi methodum, quam reliquarum carnosarum partium vulnera.

Si vero *penetrent, citrà tamen egressum vel læsionem internarum partium, ac citra substantiæ deperditionem*, quamprimum sunt glutinanda: viz. disjuncta vulneris labia manuum operâ adducenda, adductaque servanda idoneâ futurâ. Glutine siquidem in talibus vulneribus uti non possumus, eò quod peritonæum, utpote exanguis membrana, mutuo agglutinari nequeat; quo dehiscente, in posterum intestina excidere solent. Id ergo ne contingat, ita vulnus erit consuendum, ut hinc inde musculis agglutinetur peritonæum. Ità quoquè guido de Cauliaco, Fallopius *tom. 2. tract. 7. cap. 17.* & plerique alii docent: viz. vulnera in abdominis cavitatem penetrantia, absque læsione internarum partium, nullo modo aperta esse servandas, sed protinus consuenda & agglutinanda.

VI. At *intestinum si sit vulneratum*, tamdiu vulnus apertum servari volunt nonnulli, quousque

Digitized by Google

conglutinatum sit intestinum, tumquè vulnus consuere jubent. Lanfrancus *chir. magn. tract. 2. cap. 7.* Rolandus *libr. 3. cap. 26.* Gullielmus de Saliceto *libr. 2. cap. 15.* Rogerius *libr. 3. cap. 29.*

Chalmæteus *enchir. chir. libr. 2. cap. 23.* omnia abdominis vulnera unienda & consuenda esse vult. Neque ex sanguine in infimi ventris cavitatem effuso magnum damnum imminere inquit, si illic quoque retineatur, cum natura ipsum in inguina transmittet, atque tumorem excitabit, qui curabitur ut abscessus.

Atqui vulnus abdominis penetrans, citrà tamen læsionem vel egressum contentarum partium, si ob angustiam ejus futurâ non egeat, glutinatio medicamentis, in superioribus abundè propositis, quamprimum adjuvanda; dein conveniente fasciaturâ vinciendum, ita tamen, ut dolorem non inferat.

VII. Sed in curatione *penetrantium vulnerum absque internarum partium læsione, verum cum exitu intestini aut omenti*, non alium præceptorem imitari necessum est, quam galenum, qui *libr. 6. method. med. cap. 4.* hujusmodi vulneris curam ità describit: „ Primum itaque id agendum est, ut intestina, „ quæ exciderunt, in suum recondantur locum. 2. „ Ut Vulnus consuatur. 3. Ut medicamentum ap„ ponatur. 4. Ut prospiciamus, ne præstantior „ quæpiam pars simul afficiatur.

VIII. Quoad primum: si mediocrè fuerit vulnus, & *recens exciderit intestinum*, manibus & digitis impellendo est recondendum: id quod difficulter non raro peragitur, quoniam per exiguum vulnus paulatim, & multum exit, inflatur, intumescit, ventoque repletur. Quo in casu prolapsum intestinum fotu calido, ex *absynthio, scordio, ruta, malva, floribus camomillæ, meliloti, semine cumini, simulibusque in cervisia aut vino decoctis*, continuo

Digitized by Google

foveatur, si forsan flatus ità discuti possint.

Dissipatis flatibus tentanda erit intestini reductio, quæ ut facilius succedat, oportebit patientem ità decumbere, ut plaga sursum spectet, & contenta intus intestina contrariam in partem ferantur.

Quod si nec hoc modo inflatio cesserit, adeoque reponi nequeat intestinum vulnus tantum ampliandum, quantum ad intestini repositionem opus est. Quod ut dextrè fiat, vulneri digitum imponat Cheirurgus, ne forte intestinum ferro attingatur: vel utatur scalpello incurvo, alterâ tantum parte aciem habente, in cujus extremo adsit globulus, ne intestinum mucrone saucietur. Factâ idoneâ sectione introducatur intestinum, vulnus consuatur, ac conveniens medicamentum apponatur. At ne præstantior pars simul afficiatur, animadvertere oportet, priusquam fiat restitutio, num sanguine fœdatum sit, aut aliâ re conspurgatum intestinum, vel ipsi adhæreat peregrinum aliquod corpusculum, tunc enim prius sedulò ab omni sorde, & peregrinis corpusculis est abluendum.

IX. Verum *omentum si extrà labatur*, nondum tamen fuerit refrigeratum, neque colorem mutaverit, quamprimum intromittendum, cum citissimè ab aëre alteretur & corrumpatur. Sed si refrigeratum, hinc & alteratum fuerit, tunc, ex hippocratis præcepto *aphor. 58. sect. 6.* ligabitur ea parte, quæ calidæ parti est proxima, portioque corrupta amputabitur. Ligari autem omentum hîc debet, ne ipsius vasa aperta cruorem intrà abdominis cavitatem effundant: qualem casum describit Marchette *obs. 51.*

X. Alter scorpus est *Vulnus consuere*, ne intestinum vel omentum denuò prorumpat. Collocetur igitur, ac decumbat patiens in partem plagæ oppositam, ut eò minus ad aperturam impetum faciant intestina.

Digitized by Google

inteſtina. Interim miniſter manibus apprehendat vulneris labia, & Cheirurgo tantam potrigat vulneris partem, quanta ad conſuendum eſt neceſſaria. Dein conſuatur vulnus eô modô, ut quoniam peritonæum peritonæo non agglutinatur, tamen agglutinetur muſculis; idque aſſequi poterimus, ſi inter conſuendum hinc inde peritonæum muſculis ipſis adducatur: ſcilicet acus, duplicatum filum ceratum ducens, primum ab externa vulneris parte ità trajiciatur, ut & cutis & muſculi & peritonæum ſimul trajiciantur; ex oppoſito verò à parte interna vulneris, intacto peritonæo, muſculi cum cute trajiciendi: ab eadem parte temidigiti interſtitio extrinſecus poſtmodum infigatur acus ſic; ut partes continentes omnes ſimul cum peritonæo trajiciantur; ſed in oppoſita parte ab internis extrinſecus infigenda acus, ut, intacto peritonæo, cætera infimi ventris integumenta trajiciantur, & ſic deinceps, donec tot injecta fuerint puncta, quot erunt neceſſaria. At quoniam puncta hæc non leve onus ſuſtinent, ne ab ipſis ſcindatur caro, procul à vulneribus ore ferè per digitum ſunt injicienda.

Hunc ſuendi modum comprobavit ac explicavit Galenus *meth. med. libr. 6. cap. 6.* Et ſane alium nullum licet reperire, quô agglutinari muſculis queat peritonæum: ſi namque communi uti velimus ſuturâ, ità ſcilicet, ut vel utraque ex parte peritonæum trajiciamus vel intactum omnino relinquamus, id non conglutinabitur; atque ſic poſt ſanationem vulneris omentum aut inteſtina prorumperent, & inemendabilis herniæ cauſa eſſent.

Si verò hujuſmodi vulnus fuerit cum deperditione ſubſtantiæ, uti contingit, ſi ſclopeto infligatur, nequaquam ejus labia ſunt adducenda; ſiquidem curari oportet, ſicut vulnus cavum, per carnis generationem.

Digitized by Google

XI. Si tamen *Intestina sint vulnerata*, priusquam introducantur, idoneâ futurâ, ut ait celsus *libr.* 8. sunt consuenda. Quod si fuerint saucia, verum extrà vulnus non prociderint, ampliore reddito vulnere, eadem extrahere oportet, modo commodè fieri possit; atquè consuere eô prorsus modô quo pelles consui solent.

De Vulneratorum intestinorum curatione diligenter quoquè agit galenus *libr.* 6. *Math. Med. cap.* 4 ubi docet vulneratum intestinum primò, si fieri queat, esse consuendum. 2. applicanda ei medicamenta. 3. si prolapsum quoquè sit; suum in locum reponendum. 4. curandum, ne fæces in transitu ipsi noceant: tandemque abdominis vulnus claudendum.

Primum ergò si vulnus amplum sit, & vulneratum intestinum prolapsum, mox id suendum, & pristinæ sedi restituendum. Nisi enim hoc statim fiat, ab aëre ambiente alteratur, ac lividum evadit, omnisquè curationis spes præciditur. Quod si prolapsum non sit, paulatim & placidè foras trahendum, deinde vulneris labia simul adducenda, & adducta consuenda acu subtili, brevi, ac rotundâ, & filo lineo, forti æquali, ceraquè oblinito, eô fermè modô, quo pelliones pelles, & mulieres linteamina vulgò consuere solent. Factâ futurâ, vulneratum intestinum abluatur *Lacte recenti calido*, seu potius *vino*, vel *simplici*, vel *in quo rosæ, chamæmelum, absinthium, scordium, & similia sunt decocta*: eique illinatur *balsamum sulphuris therebinthinatum*, vel *peruvianum*, vel aliud quodvis sarcotium ac glutinans balsamum se oleum: neq non modicè inspergatur consolidans pulvis. v. gr.

℞. *Aloës, mastichis, thuris, Mumiæ, sanguinis draconis an.* ʒj.

Digitized by Google

M. F. Pulvis subtilis.

His factis, intestinum paulatim & leniter in naturalem locum est reducendum; dein abdominis vulnus consuendum, ac porrò ut artis est curandum. Sed peractâ vulnerati intestini suturâ, filum ne abscindatur; verum utraquè ejus extremitas extrà plagam propendeat, ut suo tempore extrahi possit.

Interim ut facilius intestinorum vulnus consolidetur, medicamenta usurpanda consolidantia. Et quidem si plaga in tenue incidirit intestinum, exhibendum quoque *decoctum ex radicibus consolidæ, tormentillæ, herbis pyrola, sanicula, plantagine, hyperico, & similibus, in aqua pura vel chalybeata decoctis*: nec non *electuarium ex conserva rosarum rubrarum, bolo armeno, terra lemnia, gummi arabico, tragacantha, syrupo de simphito, &c.* Quum verò crassum intestinum sit saucium, ano per fistulam injiciatur *vinum rubrum adstringens*, vel laudatum nunc *decoctum vulnerarium*; vel *clyster* fiat *ex lacte dulci cum therebinthina veneta, Ovi vitello dissoluta addito melle rosaceo, &c.*

Atqui *intestinorum vulnus si fuerit cum substantiæ defectu*, ut contingit, quando ictus sclopeto infligitur, aggredi curam non debemus nisi coacti, & cum prognostico: casus enim plerumque est desperatus.

Cæterum non possum hîc non meminisse admirandæ historiæ cujusdam adolescentis, ense paulo supra umbilicum vulnerati, de quo refert hildanus *cent. 5. obs. 74.* quod non tantum magnam concreti, nigri cantisque & putrescentis, sanguinis copiam per alvum excreverit; (non obscurum vulneratorum intestinorum argumentum) verum etiam circa anni finem ab accepto vulnere, alvum exoneraturus, inflicti ensis extremum apicem exclusserit.

Digitized by Google

XII. *Ventriculi vulnera* probè sunt considerandæ, an penetrent intra cavitatem ejus, nec ne, & in qua ejus parte sint; *hoc est*, an in orificio, vel in fundo. Quibus perspectis, *si ventriculi vulnus penetrans non* sit consuatur plaga abdomini illata, & protinus curetur, atque ventriculi vulnus naturæ beneficio relinquatur.

Si penetret, quamvis tunc ut plurimum lethale sit, non tamen sine medela æger est relinquendus, cum præstet anceps experiri remedium, quam nullum, & multa præter medentis opinionem eveniant.

Quum igitur *telo scindente vulnus inflictum sit ventriculi fundo*, & totus promineat ventriculus, vulnus consuendum est eò prorsus modo, quô saucia intestina consui solent; hinc consuatur abdomen, ac eadem porro instituatur curatio, ac in vulneratis intestinis. Si vero non promineat ventriculus, vel parvum sit vulnus, ac angusto & perforante instrumento factum, adeoque consui nec possit, neque opus sit, vulnus abdominis ita consuendum, ut in vulneris inferiore parte relinquatur orificium, quo pus expurgari possit, atque intra hoc orificium immittenda turunda, quæ intra ventriculi vulnus nequaquam ingredi debet, sed ut saltem ad id perveniat sufficit; eaque inungatur *balsamo sulphuris*, vel *peruviano*, vel *unguento aureo*, vel *basilicone*, vel digerendum plus sit,

℞. *Therebinthinæ venet.* ʒß. *Olei hipericonis* ʒj. *Vitellum unius ovi. Misceantur pro digestivo.*

Alii hîc laudant linimentum;

℞. *Olei mastichini, abietini an.* ʒj. *thuris* ʒij. *Pulv. rad. tormentillæ, consolidæ an.* ʒj. *croci* ℈j. *Lumbricorum terrestr.* N°. v. *vini albi* ʒij. *Coq. ad vini consumptionem, dein colentur pro linimento.*

Sed plurimum ad hujusmodi vulnerum consolida-

Digitized by Google

tionem juvant assumpta, eò quod longam in ventriculo moram trahant; hinc & decocta, & electuaria in vulneratis intestinis laudata apprimè hîc conducunt. Enimvero in pharmacis ore sumendis, nec non in victu, præcipua curationis pars consistit: quapropter parcè admodum comedere debet patiens, ne ex cibi copia distendatur ventriculus, verum corrugatus maneat, sicquè facilius vulnus uniatur ac conglutinetur.

Si autem hujusmodi vulnus sit *cum substantiæ amissione*, desperatus plerumque est casus. Uti & quum *in orificio veniriculi superiore seu stomacho* plaga contigerit. At vulnus thoracis penetrans per septum transversum in ventriculi fundum, ejusdemque curatio, videri potest apud scultetum *post armam. chir. obs.* 47.

XIII. *Hepatis & lienis vulnera* licet ut plurimum sint lethalia, parva tamen & superficiaria aliquando sanari solent, atque ideo æger non est derelinquendus. Si ergó magnum sit abdominis vulnus, & per id viscera hæc erumpant, quamprimum intromittenda, ne ab aëre alterentur, dein vulnus consuendum, & in inferiore ejus parte orificium relinquendum, in quod turunda, suprascriptis medicamentis inuncta, immittenda, & glutinatio naturæ committenda. Interea decumbat vulneratus, quò diutius citrà molestiam potest, suprà partem vulneratam, quò facilius ad plagam materia feratur.

Cæterum sollicitos nos esse oportet, ne inflammatio accedat, atque ideo revolusioni potissimum studendum, tum per *venæsectionem* in brachio, tum per *clysteres lenientes & abstergentes* subinde injectos.

Hîc quoquè locum habent *decocta vulneraria & conglutinantia*. Et si pus per urinæ viam medicus observet, *diuretica* istiusmodi decoctis addantur.

XIV. Si *Renes vulnerentur*, attendendum, num

Digitized by Google

effluat per plagam purum lotium, vel sanguis serosus: quoniam si non exeat talis materies, quin potius purus effundatur cruor, hujusmodi vulnus ad ipsam Renum cavitatem non penetrare; verum superficietenus, *hoc est*, in parenchymate tantum organa hæc saucia esse indicio est. Quo in casu infundatur intra vulnus consolidans aliquod medicamentum; puta *oleum therebinthinæ calidum* vel *balsamum sulphuris therebinthinatum*, vel *balsamum peruvianum*, vel *unguentum sanctum*, ab insigni affectu ita appellatum, quod Joh. Andr. à Cruce *in sua chirurgia* ita describit:

℞. *Resinæ pini claræ & odoræ* ℥xij.
Therebinthinæ, olei laurini an. ℥ij.
Gummi Elemi ℥ix.
Fiat ex his. S. A. Unguentum.

Hôc factô abdominis plaga consuatur: ac porro consolidetur, & vulnus renis naturæ relinquatur.

Atqui profundius quum sit renum vulnus, sic ut urina pura vel sanguis serosus egrediatur, tunc abdominis plaga non consuatur, sed intra eam per siphonem injiciatur *calidum vinum rubrum adstringens*, vel *abstergens & consolidans injectio*, *ex radice consolidæ*, *tormentillæ*, *herbis plantagine*, *alchymillæ*, *hyperico*, *rosis rubris*, *balaustiæ*: *in aqua ferrata vel vino rubro adstringente decoctis*, *additis melle rosaceo & tantillo spiritus vini*; ac dein vulneri imponatur aliquod consolidans balsamum vel unguentum, idquè quotidiè semel vel bis renovetur, usque dum vulnus sanatum sit.

Patiens interim utatur *decocto vulneratio simul & diuretico*, *ex radicibus consolidæ*, *aristolochiæ rotundæ*, *glycyrrhyzæ*, *herbis althææ*, *malvæ*, *alchymillæ*, *sanicula*, *hyperico*, *fructibus alkekengi*, *& similibus in aqua pura vel ferrata decoctis*, *addito syrupo papaveris rhœados vel althææ fernelii*. Pro potu ordinario

Digitized by Google

bibat *ptisanam* vel *emulsionem ex hordeo mundato, semine melonum, cucumeris, &c.*

Quod si in hujusmodi vulneribus supprimatur urina, ob sanguinem grumefactum urinæ viam obstruentem ac obturantem, sumat patiens mane & vesperi decem aut duodecim harum pilularum;

℞. *Therebinthinæ venet. ad consist. pilular. Coct.* ʒj. *pulv. troch. alkekengi* ʒij.
Oculorum cancrorum crud.
Cretæ albæ an. ʒj.
F. S. A. pilulæ magnitudinis cicerum.

XV. Quoad *vesicæ urinariæ vulnera*: Ea *quæ fundo ejus sunt inflicta* raro sanantur, præsertim cum urina in abdominis cavitatem continuo effluat. Quæ vero *in collo seu cervice sunt* curari solent, haud secus ac vulnera pro extrahendis calculis à lithotomis facta: & quidem pro eorum curatione eædem habendæ sunt indicationes, ac in vulneribus renum.

CAPUT XXIII.

De Vulneribus articulorum.

I. SEd in brachiis & cruribus, præter ea quæ in parte carnosa contingunt, occurrunt ARTICULORUM VULNERA; quæ peculiarem requirunt curandi methodum.

II. Est autem *articulus*, ex galeno *lib. de ossibus in principio*, ossium compositio ad voluntarium motum comparata. Quæ composito fit ex duobus ossibus, nec non ex ligamentis, tum orbiculari, tum tereti, ossa hæc ità alligantibus, ut se mutuo contingant. Insuper profundiores obtinet partes hæc conjunctio: etenim sunt in articulo tendines, ligamenta, venæ, arteriæ, nervi, &c. Hinc & hujusmodi vulnera non modo curatu difficilia, sed quo-

Articulorum vulnera qualia sint.

Digitized by Google

què periculosa, imo lethalia non nunquam observantur. Adhuc tamen periculosiora sunt, si *luxario* adsit. Neque enim sine vitæ periculo articulus tum reponi potest, ob dolores hujusmodi vulnera perpetuo comitantes. Quapropter prognostico se munire debet Medicus, ne apud vulgum malè audiat: aliàs enim si articulum reponat, isque repositus maneat, mortem adfert ægrotanti, videturque non rarò ad exiguum vulnus mors sequuta. Verum de hisce *libr.* 5. latius sumus dicturi.

Horum vulnerum curatio.

III. Cæterum horum vulnerum alia ad articuli cavitatem pertingunt, alia non. Quæ eousquè non perveniunt, dici possunt *vulnera supra articulos facta*, quoniam ad ipsam ossium conjunctionem non penetrant: in quibus tamen si tendines aut nervi vulnerentur, curari debent ut vulnera nervorum, nervosarumque partium: sin venæ aut arteriæ saucientur, oportet talia vulnera tractare ut *suo loco* dictum est.

IV. Sola autem ea censenda sunt *articulorum vulnera*, quæ ad articuli cavitatem descendunt, in quibus adeo conjunctionis ligamenti inciduntur. Hæc vulnera ut curentur, ab externi aëris injuriis probè sunt defendenda; aëris quippe acrimonia acida vulneratis articulorum partibus nervosis summoperè nocet. Labia quoque vulneris ad se invicem adducenda quidem, non tamen penitus, si profundior plaga sit, saniei, quæ tenuis simul & acris hîc colligitur, exitus continuò pareat: deinceps eadem imponenda, quæ in nervorum, partiumque nervosarum vulneribus conducere *suo loco* docuimus; insuper & superponatur, ac identidem renovetur fomentatio calida, *ex absynthio, ruta, scordio, artemisia, floribus sambuci, camomillæ, rosis rubris, &c. in cerevisia aut vino decoctis*; vel ejus loco admoveatur cataplasma, v. gr.

Digitized by Google

℞. *Pulv. fol. rutæ, ſcordii, farinæ ſem. lini fœnigraci an.* ℥j. *flor. camomillæ, ſambuci an.* ℥j. *Althææ* ℥j. *coctis in cereviſia ad pultis conſiſtentiam add. pulv. croci* ʒß.

M. F. *S. A. Cataplaſma.*

Multum quoquè refert, quod membrum ritè collocetur, ut ejus actio conſervetur nec non dolor & humorum affluxus præcaveatur: propterea & vena ſecanda, & totum corpus diligenter evacuandum, ut de nervorum, nervoſarumque partium vulneribus abundè dictum fuit.

V. Si ergó antica humeri pars fuerit ſaucia, alæ complicatum aliquoties linteum ſubjiciatur, & aliquo involvatur, quod cubitum ſuſtineat, & caput humeri altius impellat: proprio enim pondere deorſum tractum humeri caput facit, ut vulnus tardius ſanetur. At ima pars quum vulnerata ſit, ſimulac coaluit plaga imperandum ægro, ut brachium huc & illuc per intervalla moveat, ne inducta cicatrice, læſio in motu contingat, quaſi obligato per cicatricem articulo; vel ipſo in articulo callus gignatur, liberum humeri motum in poſterum impediturus. Hiſtoriam vero vulneris ſclopeti in articulatione humeri cum ſcapula, ſanati, decem annos incolumi ægro, à quibus oborto in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſellâ eductum fuit, tradit marchette *obſ.* 40.

VI. Sin cubiti articulo inflictum ſit vulnus, brachium neque extenſum ſervandum, neque inflexum nimis; illa enim figura contractionem, ſanato vulnere, ſolet impedire; hæc liberam extenſionem; quocircà mediâ collocandum figurâ, quæ angulum obtuſum refert.

VII. At in manu vulneratis carpo, digitorumque articulis, manus ſemiflexa eſt continenda, at-

Digitized by Google

que digiti non extendendi, ne inductâ cicatrice, rigidum permaneat hoc organum. Historiam quoque lectu dignam juvenis, cui morsu equi fuerit detruncatum tertium pollicis internodium, cum evulsione tendinis musculi id flectentis, hocque ex voto sanatum, refert marchette *obs.* 62.

VIII. Sed femoris articulus quum sit saucius, supinus æger decumbat, & idoneis pulvillis ac deligationibus caput istius ossis suo in acetabulo contineatur; & dum cicatrix inducitur, ægro imperandum, ut interdum huc atquè illuc femur moveat, ne, inductâ cicatrice, motus læsio accidat.

Genu vulneratum rectâ figurâ est extendendum, & ità collocandum, ut claudicatio evitetur. Atquè sic de cæteris vulneratis articulis erit dicendum.

Digitized by Google

PRAXEOS CHEIRURGIÆ

LIBER TERTIUS.

DE

ULCERIBUS.

CAPUT I.

De Ulceribus in genere.

I. AT quandoquidem cum vulnus tum Ulcus ſint continui ſolutio in eodem ſubjecto, nimirum in parte corporis molli; & in utriuſquè curatione eundem quoque finem ac intentionem habere ſoleamus; viz. unire ſeu agglutinare; haud abs re erit, perſpectis vulneribus, de ulceribus nunc verba facere.

Ulcus quid ſit.

Hippocrates tam latè ulceris nomen extendit, ut ſcriptum reliquerit *omnem morbum eſſe ulcus.* Strictius tamen galenus 3. *meth.cap. ult.* Ulcus accipit pro *quarumcumque partium carnoſarum continui ſolutione à quacunque cauſa facta.* Adhuc ſtrictius ulcus ipſi, *libr. de artis conſtitutione*, dicitur *continui ſolutio partium carnoſarum ab eroſione orta.*

Ulceris definitio.

II. Et ſanè non malè ulcus definitur *ſolutio continui in parte carnoſa, cum ſanie aut pure*, vel potius dicatur ulcus *ſolutio continui, cum imminuta magnitudine, in parte molli, à materia erodente ortum habens.* Quæ ulceris definitio cæterarum om-

Digitized by Google

nium videtur perfectissima ; quoniam hæc vulnus & ulcus exactè inter se distinguit. Enimvero in vulnere tantum est soluta unitas, nihil vero ex necessitate de parte affecta amissum est : in ulcere autem semper aliquid de parte imminutum & amissum observatur. Cum namque ulcus sit à causa erodente, fieri non potest, quin aliquid à parte affecta auferatur. Et sic vulnus profundum & cavum, præsertim si sit cum substantiæ deperditione, cujus curatio diu nimis protrahitur in verum ulcus non raro commutatur.

Ulcerum differentiæ.

I. I. *Differentiæ* porro *Ulcerum* sunt, vel Essentiales, vel Accidentales. *Essentiales ulcerum differentiæ* sunt, quæ ab ulceris ipsius forma, subjecto, & causa efficiente sumuntur. Ab *ulceris forma* quæ sumuntur petuntur ab ejus figura, magnitudine, æqualitate, & inæqualitate ; & si ulcera alia sunt magna, parva, longa, brevia, lata, angusta ; alia recta, obliqua, intorta, fistulosa, &c. *A parte affecta* ulcera sunt externa ; interna superficiaria, profunda ; & quidem in hac vel illa parte. *Ratione causæ efficientis* differunt ulcera, quod alia ab interna, alia ab externa proveniant causa, uti ex iis quæ de ulcerum causis sumus dicturi palam fiet.

Accidentales verò *ulcerum differentiæ* desumuntur ab iis, quæ sunt extra ulceris naturam & constitutionem ; quales sunt, quæ petuntur ab ulceris situ, tempore, nec non causis quibusvis accidentalibus, & symptomatibus : hinc ulcerum quædam recentia sunt, quædam antiqua, alia pura, sordida, depascentia, maligna, verminosa, &c.

Generales ulcerum causæ.

I V. *Proxima ulcerum causa* est quævis materies erodendi vim habens, quæ sub se non solum acres in corpore genitos humores, verum & causas externas erodendi vim habentes comprehendit. Enimvero acris hic, ac erodens humor in corpore

Digitized by Google

genitus, ubi consistit in parte affecta, continens evadit ulceris causa : ubi autem in toto redundat, causa remota tantum dici potest. Insuper ab igne, aqua, oleo, aliisque succis ferventibus, nec non à causticis admotis ulcera quandoque excitari haud infrequenter observamus. Sed quæ ulcerum in specie speciales sint causæ, suis locis exponemus.

V. Cæterum ulcera manifestis satis innotescunt *Signis*. At licet externa ulcera sensibus exposita sint, nec signis quibus cognoscantur opus habeant : interna tamen, & lætantia cognoscuntur specillo, si ad ea aditus pateſcat ; item tactu, excrementis, dolore, denique & actione læsa. Enimvero partem affectam excrementa indicant : & si per quemcumquè corporis meatum, sive annum sive vesicam, sive nares, sive aures, pus aut sanies effluat ; vel vomitu, aut tussi, & sputo ejiciatur, ulcus aliquod intus latere indicio est. Sed qua in parte lateat, doloris proprietas & situs, ac partis læsæ actio indicabunt. Diagnosis

An verò ulcus magnum vel parvum, rectum vel obliquum, vel alterius figuræ sit, uti & reliquæ differentiæ, eum specillo tum visu cognoscuntur in ulceribus externis : at in internis facilè cognosci non possunt. An tamen ulcus magnum vel parvum sit, puris copia significabit. Quod si cum humorum affluxu, signa cacochymiæ in toto docebunt. Specialium vero ulcerum signa quoquè suis locis trademus.

Quod *Prognosin* : periculosa fiunt ulcera ob loci affecti, *hoc est*, partis ulceratæ præstantiam ; qua ratione ulcera externa, de quibus potissimum nos agimus, minus periculosa sunt. At quantò profundius est ulcus, & quo affecta pars cute nobilior est, eò difficilius curatur. Prognosis

Dein magnum ulcus, cæteris partibus, longiore

Digitized by Google

tempore pro sui curatione eget, quam parvum. Item angustum & oblongum ulcus facilius, rotundum difficilius curatur. Etiam si ulcus longo tempore non curetur, aut si cicatrice obductum recrudescat, in osse subjecto corrupto causa est.

Deniquè & periculosum redditur ulcus ob malignam qualitatem, hinc ut omnibus decenter factis, vix tamen, aut omnino non sanari possit; qualia sunt ulcus putridum, sordidum fistulosum, &c. Quapropter Hippocrates *Aphor.* 4. *Sect.* 6. ostendendo ulcerum malignitatem, ait: *ulcera circumglabra maligna.* Ratio est, quod, ubi pili decidunt è parte ulcerata, vitiosi admodum, ac erodentes humores in affecta parte abundent.

Si corpus purum sit, & viscera benè sint constituta, parsque affecta rectè se habeat, de facili ulceris curatione spes est. E contrario, si corpus sit cacochymicum, viscera male affecta, parsque ulcerata debilis, diuturnum ulcus futurum merito conjicitur. Dehinc quæ aliis morbis succedunt ulcera, difficulter curantur, cum natura vitiosos in toto redundantes humores eô transmittat.

Ulcera porro diuturna & inveterata non sine periculo curantur, nisi diligenter corpus purgetur, & bona victus ratio observetur, cujus rei exemplum recenset Hildanus *Cent.* 3. *Obs.* 39. de viro, qui cum ipsi ulcus inveteratum in crure sini ro ab Emperyco ἀμεβόϛως curatum fuisset, post menses aliquot Pleuritide in siniftro latere correptus, atque ex ea mortuus fuit; at morbo durante, talia exspuit, qualia ante ex ulcere fluere solebant.

Ulcerum generalis curatio.

VII. Ad *Universalem* vero *ulcerum curationem* quod attinet: cum essentia ulceris in soluta unitate, & imminuta partis affectæ magnitudine consistat, soluta unitas conjunctionem; id quod amissum & imminutum est, sui instaurationem indicat. Ulcus

Digitized by Google

nimirum, ut ulcus, replendum carne, & uniendum, denique & cicatrice claudendum.

VIII. Sed quibus mediis indicationes hasce exequi in simplicibus ulceribus oporteat: omnes concordes aiunt *exsiccantium medicamentorum ope ulcera curari ac uniri.* Et profecto sanari nequit ulcus, nisi prius fuerit exsiccatum: nam quamdiu humidum manet, aut sordidum non consolidatur. Propterea ulcera hydropicorum censentur insanabilia, quia exsiccari nequeunt. Hinc Hipocrates scribit, *in princip. libr. de ulceribus*, quod siccum est ad sanum, quod madet ad vitiatum propius accedit; atque siccantibus semper ulcera curari jubet.

IX. Practici in ulcerum curatione quatuor observant scopos. 1. imponunt pus moventia seu digestiva. 2. detergentia seu mundificantia. 3. carnem gignentia. 4. cicatricem inducentia. Haud secus ac *libr. 2. cap. 3. & 7.* de generali vulnerum cura, abundè dictum fuit.

Si vero cum ulcere aliquis alius affectus fuerit complicatus, à quo ulcus fuerit genitum vel foveatur, vel magnum aliquod symptoma sit conjunctum, quod causæ rationem habeat, vel propria ulceris causa adhuc permaneat, sine quorum ablatione ulcus curari non possit, in primis hæc omnia auferenda. Quoad causam adhuc permanentem, sine cujus ablatione ulcus perfectè sanari nequit; si externa adhuc adsit, ne amplius ulcus foveat, amovenda: si interna, ut est fluvio acrium, erodentium humorum, qui vel totius corporis vel præcipuæ alicujus partis vitio, vel ex illegitimo rerum nonnaturalium usu gignuntur, plures intentiones habere debemus; quemadmodum in specialium ulcerum curatione suis locis sumus dicturi.

X. Et in specie si ulcera considerare velimus, primo loco occurrunt SIMPLICIA dicta; Simplicia ulcera,

Digitized by Google

qualia sint, & quomodo curari debeant.

quibus, præter unitatis solutionem ab erosione factam, non copulatur morbus, causa, vel symptoma. Atque hæc, si tantum amissa sit cutis cum instrata sibi cuticula dicuntur PLANA & ÆQUA IA: si vero subjectæ carnis portio quoque amittatur, appellantur ULCERA CAVA.

XI. In hujusmodi cavo ulcere curando cum affectus sit complicatus ex soluta unitate & cavitate, indicatur unio, carnis generatio, & cicatricis inductio, quæ operationes quidem à natura fiunt; Medici tamen auxilio ea eget, non alia de causa quam propter ulceris excrementa, quæ id reddunt δυζυχρουν, cacochymum dolorosum. Quare si ea sint bona, *id est*, si pus sit album, leve, paucum, crassum, non fœtidum, significant ulcus posse carne impleri. E contrario, si mala, *hoc est*, si pus sit fusci coloris, inæquale, grumosum, fœtidum; indicant non posse ulcus carne impleri, nisi materia hæc suppurantibus corrigatur; dehinc expurgetur. Enimvero cum fieri vix queat, quin in partium porositatibus sanguinis è vasis effusi aliquid hæreat, ut illud digeratur, & in pus mutetur, digestiva seu supurantia sunt usurpanda. Ut vero ulcus mundum reddatur, quando pus aparere incipit, supuran ibus admiscenda detergentia, ut ab omni eo, quod præter naturam ibidem continetur, ulcus expurgari possit. Istiusmodi medicamenta, pro diversa corporum temperatura, diversimodè parari possunt. v. g.

℞. *Therebint. venet.* ʒiij. *Olei rosacei* ʒvj.
Vitellum unius ovi. Misceantur.

℞. *Mellis, Therebinthinæ an.* ʒv.
Vitellum unius ovi. Misceantur.

Si majore absterſione opus ſit;

℞. *Mellis rosacei* ℥j. *Therebinth. venet.* ℥ß.
Farinæ hordei ʒiß. *Vitellum unius ovi.*
Pulv. croci ℈j. *Spir. vini* ʒ iij.

Fiat

Digitized by Google

Fiat ex his S. A. Digestivum.

Applicentur vero suppurantia ac detergentia, quousque laudabile pus appareat; nam si diutius quam convenit, suppurantia imponantur, sordidum evadit ulcus.

XII. Verum detersо ac purgato satis ulcere, usus obtinet, ut id carne impleatur per imposita sarcotica. Sunt autem sarcotica medicamenta talia, quæ modice abstergendo, nec non puris acrimoniam acidam corrigendo, & exsiccando impedimenta carnis generationis removent: qualia sunt *unguentum aureum*, *basilicon*, & cætera plura; inter quæ haud infimum locum meretur *balsamum sulphuris therebinthinatum* vel *succinatum*; quod vel solum, vel unguento basiliconi permixtum si ulceri imponatur, ad ejus mundationem seu consolidationem admiranda non raro præstat.

XIII. At carne ubi repletum fuerit ulcus, cicatrice claudendum; cutis scilicet, ejusve loco cicatrix gignenda, cujus beneficio unitas soluta erit unienda. Efficiunt hoc medicamentum plus, quam sarcotica dicta exsiccantia; qualia sunt *Tutia*, *plumbum ustum*, *minium*, *bolus armenus*, *terra lemnia*, *sanguis draconis*; *unguentum de minio*, *de cerussa*, *de tutia*, *diapompholigos*, *desiccativum rubrum*, *fac totum magistri christiani*; *emplastrum diapalma*, *gryseum*, *&c.* in quibus eligendis, ulceris constitutio probè est consideranda.

Tempus autem epulotica apponendi est, quandò ulcus carne non omnino erit repletum, sed parum deest; & hoc faciendum, ne cicatrix cute circumpositâ eminentior sit. Sed hæc omnia prolixus *libro 2. cap. 7.* exposuimus.

Digitized by Google

CAPUT II.

De ulcere cum vitiosi humoris afluxu, ac proinde difficulter cicatricem admittente.

I. ULcera vero quibus conjungitur vel morbus, vel morbi causa, vel symptoma, non ità facilè curam suscipiunt. Etenim cum in omni ulcere requiratur, ut natura carnem cutemque gignat per crasin partis ulceratæ, è sanguine laudabili satis in copia affluente; proinde si partis affectæ crasis illæsa sit sique temperatus cruor in quantitate sufficiente accedat, haud difficulter ulcera sanantur: atqui partis ulceratæ dyscrasia si adsit, vel si sanguis qualitate peccet, non nisi cum difficultate caro generari, ac ulcera sanari queunt.

II. Occurrunt igitur hujusmodi ægrè curabilium ulcerum duæ potissimum species. Quando enim ulcus oritur ex humorum vitiosorum affluxu, atque in parte ulcerata dyscrasia non adest, dicuntur *Ulcera Dysepulota*. Sed quum vitium sit in parte affecta, (sive vitiosorum humorum affluxus adsit, sive non) *Ulcera* nuncupantur *Maligna*, *erodentia Depascentia*.

Simili prorsus modo ulcera ægrè curabilia duplicia considerat Georgius Faber, qui *in epistola ab hildano cent.* 4. *obs.* 79. *recensita* sic scribit: „ Quemadmodum ligna quædam propter nodorum abundantiam ex naturali defectu & corruptela adeo degenerant, ut findi nullo modo possint, ità etiam in quibusdam naturis (proprietatibus peculiaribus Præditis, ad sanationem inidoneis) sæpius frustra instituitur sanatio, ubi præexistente insigni cacochymiâ, & pravorum humorum abundantiâ, mumia illa innata medicina esse nequit. Quando-

Digitized by Google

„ què etiam intemperies alicujus particulæ in causa „ est, quo minus ulcera consolidationem recipiant.

III. Ulcus igitur difficulter cicatricem admittens DYSEPULOTON dicitur; alii tamen vocant ULCUS FLUXIONE VEXATUM; quod affluens vitiosus humor in causa sit, tale ulcus ægrè sanari. Ulcus dysepuloton quale sit, & quomodo cognoscatur.

Cognoscuntur autem ulcera cum humorum affluxu 1. ex tumore qui non solum in labiis, sed & vicinis partibus apparet. 2. ex dolore, qui non raro molestus est ægro, 3. ex copia excrementorum, quæ major, quam pro magnitudine ulceris esse solet. Deniquè, licet omnia ad curationem necessaria adhibeantur, sanatu quoque difficilia sunt; cum affluentes perpetuò humores sanationem impediant.

IV. Atque ideo in hoc ulcere, cum sit duplex affectus, nimirum ulcus & fluxio, duplex quoque oritur intentio curationis: viz. & sanandi ulceris, & removendæ fluxionis. Primum igitur, cum ulcus curari non possit, nisi fluxio tollatur; fluxio ipsa, ejusque causa tollenda, ac proinde vitiosi humoris generatio prohibenda, humorque affluens rite præparandus & evacuandus. Et quidem externæ causæ, si ulcus & fluxionem adhuc fovent, emendandæ *rebus nonnaturalibus rite usurpatis*. Causa vero interna, quæ consistit in vitiosorum humorum redundantia, ut emendetur; eorum generatio prohibenda, affluentesque humores præparandi & evacuandi, tum *Venæsectione*, tum *repetitâ corporis expurgatione per sudores, urinas, ac potissimum per alvum*. Quem in finem hîc meritò laudamus *decocta ex guajaco, sassaphras, salsaparilla, china, additis liquiritiâ, saniculâ, pirolâ, veronicâ virga aurea, & similibus*: quorum usu continuo acres vitiosi humores temperantur, nec non insensibiliter absumuntur cum per transpirationem, tum per urinas, nonnunquam & Quo methodo curari debeat.

Digitized by Google

per leviter excitatos ſudores. Vel ſi craſſiores & viſcidiores per alvum quoque educere velimus humores, incoctis ſimul catharticis, eadem decocta id efficient. v. g.

℞. *Raſuræ ligni guajaci* ʒiiij. *Saſſaphras* ʒvij. *Rad. ſalſaparillæ* ʒiß. *Chinæ* ʒj.
Macerentur per noctem calidè in aquæ puræ ℔v. *dein S. A. vaſe clauſo coquantur, add.*
Rad. polypodii querc. ʒiß. *Turbith gumoſi* ʒv.
Herb. ſaniculæ, pirolæ, veronicæ an. Mj.
Pulpæ colocynthidis ʒj. *Liquiritiæ raſæ* ʒvj.
Fiat decoctio ad ℔iij. *Bibat patiens quotidie ſemel vel bis cyathum, prout magis vel minus operatur.*

Inſuper ad humores, ne in partem affectam fluere continuent, revellendos ac per alium locum evacuandos, in primis hîc locum habent *Fonticuli*, in parte contraria excitati: qui in ulceribus diuturnis ſæpè ità neceſſarii ſunt, ut non rarò abſquè iis curatio abſolvi nequeat.

V. Ipſi verò ulceri imponenda medicamenta admodum ſiccantia: nam & propter ichoroſa in hujuſmodi ulcere ſecreta excrementa, & propter affluentem continuo humorem, validius utique exſiccare hîc oportet. Quem in finem conducunt *plumbum uſtum & lotum, tutia præparata, bolus armenus, oſa ſepiæ oſtreorum, teſtæ calcinatæ, unguentum de ceruſa, de tutia, diapompholigos, &c.* Igitur ſarcotica hîc eſſe debent validiora, quam in ulcere ſimplici & fluxione non tentato, ut humorem in partis ulceratæ poris hærentem exſiccent magis; citra mordicationem tamen, ne dolor excitetur, fluxioneſque proritentur.

VI. Enimvero tale ulcus in primis detergentibus, quæ partem minimè mordicant, purum reddendum; dein propter influxos humores, hinc &

Digitized by Google

excrementorum copiam, validius exsiccandum. Cui indicationi ut satisfiat, si præsertim profundum & sinuosum sit ulcus conducit. *Injectio, ex absynthio, artemisia, ruta centaurio, hyperico in aqua pura decoctis, additis colaturæ melle rosaceo & spiritus vini tantillo.* Petiis vero imponatur digestivum. v. gr.

℞. *Therebinthinæ* ℥j *mellis* ℥ß.

Pulv. Ossis sepiæ, tutiæ præparatæ an. ʒij.

Plumbi usti & loti ʒj. *vel* ʒiiij. *Vitellum unius ovi.*

Fiat ex his S. A. Digestivum. Cui aliquid *thuris* nonnunquam utiliter addi potest.

De forma vero medicamentorum hîc observandum, ne sint consistentiâ nimis humida, nequè oleosa & pinguia, cum partem ulceratam laxent magis, & humectent, adeoquè sordidum ulcus reddant.

Notandum quoquè, non semper hîc in eodem medicamentorum genere esse persistendum. Sæpius enim accidit, ut quod semel atque iterum profuit, postea, humore quodammodo exsiccato, amplius utile non sit; sed mordicationem excitet; atquè ideo tum medicamentum mutandum, & mitius adhibendum.

VII. Ulcere carne repleto, cicatrix inducenda epuloticis siccioribus, è quibus hoc vel simile confici potest;

℞. *Plumbi usti & loti.*

Pulv. Testarum ostreorum calcinat.

Rad. Iridis Florent. an. ʒj.

Unguenti diapompholigos, de tutia an. o. s.

Misceantur exactè pro unguento, vel emplastro.

Guido hujusmodi ulceribus imponit *tenuem plumbi laminam perforatam.* Censet namque refrigerare plumbi laminam, atque ulceribus hisce curandis utilem esse, si commodat acceda ligatura; qua humor è parte ulcerata exprimatur, e usdemquè

Digitized by Google

in eadem defluxus prohibeatur.

Hypersarcosis huic ulceri si accedat, quid agendum.

VIII. At vero in ulcerum horum curatione non raro luxuriat caro, eaquè nimis quam par est excrescit, quod malum ὑπερσαρκωσις nominantur. Hoc si contingat, impedimento est, ne cicatrice ulcus occludi queat. Accidit autem id haud infrequenter ob imposita sarcotica & epulotica nimis debilia, & minus quam oportet exsiccantia; atquè hinc excrescens hæc caro non solida, verum laxa & spongiosa est. Auferri autem solet medicamentis adhibitis exsiccantibus, ac erodentibus, uti *libr. 2. cap. 4.* dictum fuit.

Ulceris labra dura ac callosa quomodo tollenda.

IX. Insuper contingit interdum, ut ulceris hujus curâ diutius protractâ, partis ulceratæ labia dura & callosa evadant; tuncquè ulcus curari nequit, nec cicatrice occludi, nisi callositas hæc tollatur, & pars affecta ad naturalem statum reducatur, quapropter minor si sit durities, usurpanda emollientia, *ex mucilagine seminis lini & fœnigraci, oleo amygdalarum, lumbricorum, pinguedine gallinæ, anatis, &c.* Quum verò major fuerit callositas, hinc ut emollientibus non cedat, tutissimum est *labia præscindere, & forfice callositatem in totum auferre ad partem usque sanam.* Ità etiam Job. de Vigo *in Chirurgia parva* inquit: ulcera dura non sanantur, nisi prius eorum callositas & labia dura, auferantur. Atquè eadem est Hippocratis sententia, quando ait: *morbos antiquos prius recentes facere oportet* Horum quoquè consiliis suffragatur Galenus 4. *Meth. cap.* 2. ubi sic scribit: „ cum „ labia tantum ulceris decolorata duravè pluisculum „ fuerint, excidenda ea sunt ad sanam usquè carnem. Cum verò amplius progressus ejusmodi affectus est, deliberatio incidit; excidendum ne „ omne id sit, quod præter naturam visitur, an spacio potius curandum. Proculque dubio est ægri

Digitized by Google

„ animum hoc in casu consulendum esse. Alii enim
„ longiori tempore curari citrà sectionem malunt:
„ aliqui quidvis subire, dummodo citius sanentur,
„ sunt parati.

X. Cæterum ulcera hæc, quæ sunt cum humorum affluxu, si inter curandum malè tractentur, SORDIDA non raro evadunt; cum nimirum illud crassum & mucosum excrementum, quod *sordes* in specie appellatur, copiosè affluat: & PUTRIDA, si gravem ac cadaverosum odorem idem spiret; adeo ut *sordida* & *putrida ulcera* gradu tantum videantur differre. Sed quandoquidem hæc vix distinguuntur ab iis, de quibus nunc diximus, & eandem cum iis curam habent, plura super addere operæ pretium non duximus. Ulcera sordida, &c.

CAPUT III.

De Ulcere maligno, depascente, phagadæna, cacoëthe, &c.

I. ENimvero ulcera dysepulota seu ægrè sanabilia in genere dicuntur omnia ea, quæ ægrè sanationem recipiunt, & difficulter cicatrice clauduntur. Quoniam tamen horum alia propter ulceratæ partis dyscrasiam, alia ob affluentem humorem talia fiunt: hinc Galenus inter ulcera δυσωδλητα seu quæ vix ad cicatricem perducuntur, & κακοήθη seu maligna, haud absque ratione distinguit, atque *dysepulota* ea nuncupat, quæ ex acrium humorum confluxu oriuntur & foventur; quæ vero partis ulceratæ dyscrasiam tantum agnoscunt, dicit *cacoëthe* seu maligna.

II. CHIROMIA seu TELEPHIA ULCERA quod spectat; χειρώνιον ἕλκος à Chirone centauro nomen accepit; nominis tamen Chironium ulcus qualè sit.

Digitized by Google

rationem, alii aliam tradunt. Censent nonnulli, chironem ictum ab Hercule plagam in pede accepisse inemendabilem; unde perierit, ut ità immedicabilia ulcera *chironia* dicantur. Alii ab Hercule vulneratum chironem non putant, sed chironi hospitio ab Hercule excepto fortè sagittam Herculis in pedem incidisse, ipsique vulnus periculosum & venenatum intulisse, & *centaureâ*, quæ inde à posteris chironium dicta fuit, chironem semetipsum sanasse; atque eum fuisse Chirurgiæ inventorem. Ut adeo Chironium Ulcus dicatur *Ulcus contumax & malignum, quod ob contumaciam chirone aliquo in curando opus habeat, quodque à Chirone primo curatum sit.* Celsus *libr. 6. cap. 28.* definit *Chironium Ulcus*, „ quod magnum sit, habeatque oras duras, „ callosas, tumentes, Exeat sanies non multa, sed „ tenuis. Odor malus nequè in ulcere, neque in „ ejus tumore sit. Nulla inflammatio, dolor modicus sit; nihil serpat, ideoque nullum periculum „ adferat: sed non facilè sanescat. Interdum tenuis „ cicatrix inducatur, deinde iterum rumpatur, „ ulcusquè renovetur. Fiat maximè in pedibus & „ cruribus.

Quænam telephia ulcera dici soleant.

III. Sed præter chironia hæc ulcera insuper recensentur *telephia*; vel potius eadem, & chironia & telephia, habentur ulcera. Ità scribit Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 46.* „ Inveterata & quævix cicatricem recipiunt ulcera, nonnulli chironia nominarunt, tanquam chirone ipso ad sanitatem indigentia: alii telephia, propterea quod telephus in tali ulcere diutius perseverarit. Et sanè telephia ulcera eadem sunt cum Chironiis, ità dicta à telepho, qui tali ulcere longo tempore afflictus fuit.

Ulcera maligna quæ sint dicenda.

In genere equidem MALIGNA vocamus ULCERA, quæ malitiâ suâ partem, quam jam occupaverunt, erodendo, ac interdum escaram

Digitized by Google

gignendo, majora atquè ampliora indies fiunt; hinc & VIRULENTA & CORROSIVA nominari possunt. Quod si hujusmodi ulcus adeo crescat, ut non modo ulceratas atquè corruptas carnes, sed quoque sanas absumat & depascatur, NOMEN seu ULCUS DEPASCENS appellatur: cujus species censetur PHAGADÆNA seu ULCUS AMBULATORIUM; quod huc atquè illuc serpendo, cutem eique subjectam carnem exedat, erodat, atquè in penitiora nonnunquam penetret.

Ulcerum malignorum causa.

IV. Cæterum oriuntur maligna hæc ulcera *ab humore acri-salino, nec non subacido, aliterve depravato, & quodammodo glutinoso*; qui partis ulceratæ poris pertinaciter inhærens, allabentem pro nutritione sanguinem omnem in humorem sui similem convertit; sicque talem in parte affecta efficit dyscrasiam, ut non solum istiusmodi ulcus magis indies depascatur, erodatquè vicinas partes, sed & non nisi difficulter admodum sanari queat.

Diagnosis & prognosis.

V. Ulcus vero malignum esse suspicamur, quando labia ejus sunt malè colorata, nec non rubent ac pruriunt; & licet leviter saltem abstergatur, aliterve tractetur, dolet: tument quoquè vicinæ partes, ulcusquè indies dilatatur, atquè cutis non tantum, sed & subjecta ei caro continuo exeditur magis, eroditurquè. Hinc & contumax est, & curatu difficillimum quodvis verè malignum ulcus.

Curandi methodus.

VI. Ulcerum horum curatio vix differt à curatione ulceris dysepuloti viz. ratio totius habeatur, si forsan dyscrasia partis ulceratæ quoquè à sanguine intemperato, visceribusque malè constitutis foveatur. Ipsi autem ulceri applicentur leviter abstergentia, exsiccantia, adstringentia, nec non acrisalinos, acidosquè humores temperantia; qualia sunt *plantago, agrimonia. Scordium, rosæ rubræ, ba-*

Digitized by Google

lauſtia, thus, Maſtix, iutia, ceruſſa lithargyrum, minium, plumbum uſtum, mercurius, unguentum fuſcum felicis Wirzii, diapompholigos, deſiccativum rubrum, de minio, album camphoratum, &c.

Primo igitur ulcus abluatur & foveatur hoc vel ſimile decocto.

℞. *Herb. Plantaginis, acrimoniæ, ſcordii an.* Mj. *Flor. Roſarum Rubrarum, Balauſtiæ an.* Mß. *Coq. in ſ. q. Aquæ fabrorum ad* ℥xv. *Deinde colentur.*

Utiliter quoque hîc uſurpatur *aqua pura, in qua ſal commune & vitriolum album, modica in quantitate, ſunt diſſoluta.* Qua frequenter, ad iſtiuſmodi ulcera ſananda, in Xenodochio noſtro utuntur Cheirurgi, & *aquam noſtram* dicunt. Cætera peragantur, ut ſuperiore capite expoſuimus.

VII. Teſtatur Galenus, *plumbum* ulceribus malignis & inveteratis eſſe utile remedium. Quin & hujuſmodi *laminas plumbeas, Hydrargyro oblitas*, malignis ulceribus, quæ ceterorum remediorum vires educunt, velut quoddam alexipharmacum eſſe, quo ipſorum malitia dometur & abſumatur. Guido, lavato, ulcere cum *aqua aluminoſa*, laminam plumbi tenuem deſuper apponit, & ſtrictè ligat; quæ in omni ulcere maligno & cancroſo admiranda ſæpè præſtat. Inſuper laudandum hîc eſt *mercurii amalgama*, ſi aliis medicamentis prudenter admiſceatur. Sed quoque circa horum ulcerum curationem notandum, medicamenta externa ſingulo triduo aut quatriduo mutari quodammodo debere; natura enim etiam optima diutius juſtò applicata reſpuit.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Ulcere Verminoſo.

I. NOnnunquam etiam Ulceribus innaſcuntur VERMES, potiſſimum cavis, ſinuoſis, ſordidis, quæ ritè non mundantur, nequé à ſanie & pure purgantur; in primis æſtate, & aëre exiſtente præcalido ac humido. Atque ulcera hæc ſi patentia ſint, vermes haud difficulter conſpiciuntur: & ſi ob ſinus anguſtiam vel profunditatem videri nequeant, aliis ex ſignis non raro dignoſcuntur; viz. ex punctione, morſu, & motu undoſo, qui in ulceribus ab ægrotantibus perſentitur: ſæpè inſuper adeſt magnus fœtor, ob immunditiem atquè putredinem inſignem. Ulcera verminoſa, quæ & qualia ſint.

II. Curandi ratio in eo conſiſtit, ut vermes tollantur, atque ulceris putredo inhibeatur. Quapropter ſi in propatulo ſint vermes, ſpecilli cuſpide, vel exiguâ volſellâ, aliove idoneo inſtrumento ſunt extrahendi. Sin lateant, aut pertinaciter parti ulceratæ adhæreant, necandi pharmacis, quæ ſimul loci affecti immunditiem ac putredinem tollere poſſunt: quod præſtant medicamenta amara & abſtergentia, qualia ſunt *abſynthium*, *marrubium*, *centaurium*, *ſcordium*, *dictamnus*, *gentiana*, *helleborus albus*, *aloë*, *myrrha*, *&c.* Hinc ulceri per ſiphonem injiciatur hujuſmodi decoctio, qua diligenter quoque ulcus abluatur; v. gr. Ulcerum horum cura qualis eſſe debeat.

℞. *Herb. abſynthii, marrubii, centaurii min. an.* Miß.
Rad helleborii albi ℥ß.
Coq. S. A. in aqua pura ad ℥xvj.

Deinceps imponatur ex linteo diſcerpto penicilli imbuti *ſpiritu vini cui permixtus eſt pulvis aloës*

Digitized by Google

& *myrrhæ*. Vel usurpetur digestivum, v. gr.

℞. *Aloës, farinæ lupinorum an.* ʒij.
Myrrhæ, floris æris an. ʒj
Fellis *taurini* ʒß. *Mellis. q.s.*
Misceantur.

℞. *Mirrhæ, aloës an.* ʒj. *Therebinthinæ.* ʒvj.
Unguenti apostolorum ʒiij. *Vitellum unius ovi*
Misceantur.

Vermibus interfectis & ablatis, ulcus ritè detergendum ac porro curandum.

CAPUT V.

De Ulcere cum ossis corruptione.

I. ACcidit quoque interdum, *ut ulceri subjectum sit os corruptum seu carioſum*, quæ ossis corruptio in causa est, ut ulcus sanari nequeat, quoniam ad cicatricem si nonnunquam perducatur, iterum post breve temporis intervallum rumpitur, & ulcus denuo renovatur. Idque quod ab osse corrupto purulenta materies continuo prorumpat, quæ obiter consolidatum ulcus denue excedat, erodat.

Ossis caries quid sit.

Etenim OSSIS CARIES nil aliud est, quam *ejus corrosio seu exulceratio*: atque idem quod in parte molli seu carne dicitur *ulcus*, in parte dura seu osse *caries* nuncupatur.

Unde fiat.

II. *Corrumpuntur* autem *ossa* & *cariem* contrahunt, in primis ab affluentis humoris *acrimonia acida*, quæ fibrillas perioſtri, ac ipsius quoque ossis discindit; ejusque salem volatilem, qui magnâ copiâ ibidem reperitur, planè corrumpit; hinc & reliquam ossis substantiam penitus exedit, exulceratque.

Corrumpitur quoque *os* & *cariem* contrahit, inquit Hildanus *cent.* 4. *obs.* 95. si *oleosa petrefacientia* &

Digitized by Google

acria medicamenta fuerint applicita.

Ad hæc *ambiens aër* denutato ossi facilè *cariem* adfert. Sed aër licet maximè inimicus sit denutatis ossibus, tamen ut ab ipso ossa alterentur & corrumpantur, non semper sequitur, præsertim si diligentem curam cheirurgus circa vulnus vel ulcus adhibuerit, nec quicquam acre applicuerit, uti nos praxis non semel docuit.

III. *Signa* vero *ossis corrupti* varia sunt. Enim vero ossis corruptio facilè patet, si in propatulo id sit, quia, ut ait Celsus *lib.* 8. *cap.* 2. quod vitiatum est, ferè fit pingue, dein flavum, post nigrum & inæquale. Atqui si lateat os, cariem adesse judicant Cheirurgi, 1. si fistula præcesserit, aut diuturnum ulcus adfuerit. 2. quod ulcera talia ad cicatricem quidem perducantur, sed paulo post iterum renoventur, rupta cicatrice. Humor namque & sanies, quæ ex osse corrupto promanat, cicatricem erodit, ulcusque renovat. 3. Si caro superstrata fiat flaccida, spongiosa, pallida, livida. 4. Si ulceri specillum ad os usque immittatur, idque non glabrum, leve, & durum, sed inæquale, asperum ac molle deprehendatur. 5. Si pus effluat copiosum, tenue, ac fœtidum. Addit Fallopius *si linamentum siccum in vulnus infigatur, ut os contingat, & amotum altero die valdè fœteat, os corruptum arguere.* Quibus signis os carios um cognosci possit.

IV. Igitur ossis caries curationem ulceris impedit, nullumque ulcus perfectè sanari potest, cui os corruptum subest. Insuper ex osse ægrotante caro livida malunt. Hipp. *aphor.* 2. *sect.* 7. Enimvero, ut Galenus addit *in comment.* non mediocrem ossium labefactationem, sed insignem corruptionem significat. Porro si prope partes nervosas & tendinosas, uti in manibus pedibusque, vel in juncturis ac magnorum ossium capitibus, ossium caries sit, non facilè curatur, & ferè tendines parteque nervosæ si- Affectus hujus prognosis.

Digitized by Google

mul corrumpuntur. Atque similiter sese res habet circa majores arterias, venasque.

Ulcus cum ossis corruptione, qua ratione curari debeat.

V. Cæterum præter indicationes curativas quas ulcus præbet, ossis caries monet, id quod corruptum est, esse auferendum. Neque enim quod in osse emortuum est, corrigi & emendari potest. Sed ut tolli possit os corruptum, primo detegendum & denudandum est, si carne operiatur, ulcere dilato vel per sectionem, vel imminsâ turunda ex *radice gentianæ* aut *spongia præparata*.

VI. Os verò corruptum ubi detectum fuerit; auferendum vel Cheirurgiâ, vel medicamentis. Cheirurgiâ utendum, quando ossis corruptio est profundior, aut quando celeriorem desideramus curationem. Idcirco si caries ossis superficiem duntaxat occupaverit, cumque os detectum fuerit & carne nudatum; tum satis erit *id abradere ad partem usque sanam*: quod cognoscitur, quando os album apparet, & aliquantulum cruentum. Quo facto *ossi imponatur carpia sicca*, donec caro viva & laudabilis renascatur.

Sed quoniam separatio ossis corrupti à sano solis medicamentis adhibitis non raro succedit, hac ossis abrasione semper opus non est verum inspergatur pulvis ex valide siccantibus, & rodentem acrimoniam acidam mitigantibus; quæ idcirco *superfluas in osse carioso rodentes humiditates absumere, hinc & os corruptum à sano separare, sanum vero à corruptione præservare valent*. Talia sunt *radix aristolochiæ rotundæ, iridis florentinæ, aloë, myrrha, sabina, sarcocolla, pumex ustus, &c.* Inter hæc equidem summopere laudandum censemus *euphorbium*, quod multum salis volatilis, & quidem acerrimi, continet, cujus ratione citius os corruptum tollit, uti prolixius refert Hildanus *cent. 2. obs. 92. cent. 4. obs. 96. cent. 5. obs. 22. cent. 6. obs. 3. item libr. de ichore &*

Digitized by Google

meli ceria celsi cap. 29. ubi inter alia hæc habet: „ nonnulli ossi carioso *oleum vitrioli* vel *aquam fortem* „ applicant. Maximam enim exsiccandi vim habere „ referunt; quod quidem verum. Cariem tamen „ ossis non corrigere sed partes adjacentes destruere „ observavi. Quapropter caveant sibi Chirurgi, ne „ hujusmodi medicamenta ossi applicent; sunt enim „ subtilissimarum partium, ità ut ad proximas par- „ tes longè latequè perfluant, & quæ sana sunt des- „ truant. Requirit quidem os carioſum medica- „ mentum, quod insigniter exsiccet, sed necesse „ est, ut simul sit crassarum partium, quale est „ *euphorbium*, quod cariem ossis corrigit, carnem „ tamen non adurit, aut inflammationem excitat; „ quapropter *eô* etiam in pueris uti possumus.

Igitur ex simplicibus hisce medicamentis compo- sita fiant, quæ vel formâ pulveris, vel additô *melle rosaceo* unguenti specia applicentur. v. gr.

℞. *Rad. aristolochiæ rotundæ, iridis florentinæ an.* ʒß
Euphorbii ℈ij. *vel* ʒj. *M. F. Pulvis subtilis.* Ex quo, addito *melle rosaceo*, linimentum confici potest, ope discerpti lintei ossi corrupto applicandum.

℞. *Rad aristolochiæ rotundæ* ʒß.
Sum. Absynthii, centaurii min. an. Mj.
Fol. sabinæ Mß.
Coq. in aqua pura ad ʒx. *colaturæ add.*
Spir. vini ʒiij.
Pulv. Aloës, mirrhæ an. ziß *aut* ʒij.
Misceantur pro injectione.

Atque istiusmodi medicamentorum usui insistendum est, donec os carioſum à sano separatum sit.

VII. Docet tamen Marchete *obs.* 57. quandoque à medicamentis validè exsiccantibus & ossa aduren- tibus esse abstinendum, quia illorum usu nonnun- quam prohibitur corrupti ossis abscessio. Nimia enim

Digitized by Google

exsiccatione alimentum ossi nutriendo accedens ita absumi putat, ut carnem supra os sanum gignere nequeat, corruptum os estrudentem. At eo in casu totum os corruptum scalpro potius abradi vult, donec ex ipso sanguis exsuder.

VIII. M. A. Severinus *pyrotech. lib. 2. p. 1. c. 4.* de carie ossis curanda sic scribit: „ Procurabimus „ ossis absessionem per exsiccantia remedia valen„ tiora, quæ testulas ossis perinde, ut fermentando „ vehementi quadam facultate sublevent & elidant, „ quale est *euphorbium* & *ejus oleum*. Quæ si neque „ diu adhibita plurimum præstiterint, nil melius „ neque medico generoso dignius, quam vitiatum „ os *ferro candente* perurere. Et sanè si tanta sit ossis corruptio, ut tota medicamentis tolli nequeat, *cheirurgia* opus est; & vel *abrasione*, si denudatum sit os, leviorque corruptio; vel si profundior ea fuerit, *actuali cauterisatione* os corruptum tollatur. Enimvero ignitum ferrum si ossi carioso admoveatur, acri-acidos ibidem superfluos humores domat non tantum, sed & exsiccando ita absumit, ut separatio corrupti ossis à sano brevi succedat. Sed ne in ustione hac caro vicina simul aduratur, ignitum ferramentum per canulam immittatur, qua circumsitæ partes optime defendantur.

At circa actualem cauterisationem Joh. de Vigo *in Chirurgia parva* hoc monet: „ si contigerit cor„ ruptio in osse spongioso, veluti est os calcanei, „ tunc remotio ossis corrupti in illo loco non debet „ fieri cum igne, quia in osse spongioso cauteri„ satio ignis raro facit separare os corruptum ab „ incorrupto: quamvis in aliis corporis partibus „ egregia sit medecina.

IX. Cæterum adusto per ferramentum ignitum ossi Cheirurgi vulgo inspergunt *pulverem aliquem exsiccantem*: sed male: potius namque imponantur *pinguia*

Digitized by Google

pinguia quæcunque, ut corruptum os eo citius separetur & abscedat. Factâ ossis carioſi à ſano ſeparatione, ulcus carne replendum, & tandem cicatrice claudendum.

Interim tamen poſt cauteriſationem, ad inflammationem arcendam, & dolorem leniendum, partibus uſtioni vicinis imponatur, *aqua roſacea cum ovi albumine agitata*, vel *oleum roſaceum cum ovi vitello*, vel *butyrum recens cum melle roſaceo*. Verum de oſſis carie, & qua ratione ſit curanda, legi meretur celſus *libr.* 8. *cap.* 2. ubi præclarè hac de re agit. At de oſſium tibiæ & cubiti ad medullam uſque corruptione inſpiciatur ſcultetus *armament. Chir. tab.* 27. De ſcapula carioſa & curata, videatur idem *Obſ.* 62. Et *obſ.* 81. de tibia corrupta ejuſdemque fere uſque ad inferius caput ablatione, & curatione caſum refert lectu dignum.

CAPUT VI.

De Ulcere profundo, ſinuoſo, ſeu cavernoſo.

Sinuoſum ſeu cavernoſum ulnus quale ſit.

I. SI vero pus aut ſanies diu in apoſtemate aut abſceſſu contineatur, atquè acris ſit, vel ob moram talis evadat, cuniculos quaſi agit, & ſinum, Græcis κόλπον dictum, efficit: quale ulcus *ſinuoſum*, *cuniculoſum*, ſeu *cavernoſum* dicitur, & à quibuſdam male *fiſtuloſum* nuncupatur, cum citrà calloſitatem ac duritiem ſit: ulcus namque fiſtuloſum ſemper eſt cum duritie ac calloſitate.

Eſt igitur SINUOSUM ſeu CAVERNOSUM ULCUS, *cujus orificium anguſtum, & profunditas magna ſimul & occulta, quædque multos anfractus ſeu cuniculos hinc inde extenſos, citra tamen duritiem ac calloſitatem, habet.*

Sinuum

II. Sunt autem plures ſinuum ſeu cuniculorum

Digitized by Google

differentiæ. ſpecies ac differentiæ, quæ ſumuntur in primis à cavernarum magnitudine, ſitu, numero, figurâ: ſic alii ſinus ſunt breves, alii profundi & alte penetrantes alii ſurſum, alii deorſum, vel ad latera tendentes, alii ſimplices, alii duplices, vel triplices: alii recti, alii flexuoſi, &c.

Hujuſmodi ulcus quomodo fiat. III. At ſinuoſum ſeu cavernoſum redditur ulcus à ſanie aut pure, quod acrem ac erodendi facultatem, ob longam in parte affecta moram, contraxit. Quoties enim in abſceſſibus pus diutius moratur, ſive quod tardius aperti, ſive quod negligentius expurgati fuerint, morâ longiore corrumpitur, vicinaſque carnes exedit: hinc ulcus fit ſinuoſum cavernoſum.

Diagnoſis, &c. IV. Cæterum ſinuoſum ſeu cavernoſum ulcus eſſe dignoſcitur, quod foris parvum appareat, & anguſtum habeat orificium, atque major puris copia excernatur, quam pro ulceris magnitudine: inſuper ex blanda plumbei ſpecilli vel cereæ candelæ intromiſſione haud difficulter ſinus percipiantur, eorundemque differentiæ deprehendi poſſint.

Curatio. V. Curationis ſcopi ſunt, ulcus replere, agglutinare, cicatrice obducere. Sed quoniam cavitas carne impleri nequit, niſi mundum prius & diligenter ſit deterſum ulcus, in primis id fiat detergentibus injectionibus. Pus facile evacuatur ſinu declivi, acclivi vero difficillime. Tum, ſi forte ſinus non admodum magnus ſit & profundus forcipe aut cultello ſecundum ulceris longitudinem tota cutis incidatur, atque ita totum ulcus aperiatur. Sic enim fiet, ut liberè pus effluat, & facilè ulcerata pars repleatur. Quod ſi commodè fieri non poſſit ob vicina vaſa, adjacenteſque partes nervoſas, aut ſinus ſit valdè profundus, aperiatur in fundo, ut ſic ſanioſa materies per utrumque orificium liberè exire queat.

Quod ſi conſtitutio partis affectæ non permittat,

Digitized by Google

novam incisionem fieri, exprimente ligaturâ puris excretio erit molienda: sinus prope fundum arctè ligandus & comprimendus; at orificium versus ligatura paululum relaxanda, ut hoc modo pus veluti elidatur.

Felicem sinuosi simul ac periculosi ulceris curationem licet videre apud Valleriolam *obs. med. libr. 5. obs. 1.* & aliam *obs. 7.* Sed plura quæ de ulcere sinuoso seu cavernoso forent addenda, palam fient ex iis, quæ de fistulis nunc sumus dicturi.

CAPUT VII.

De Fistulis.

I. IGitur de ulcere sinuoso saltem differunt *fistulæ*, quod præterea callosæ & duræ sint. Namque celeriter si non curetur sinus, pus cuniculos porro agit, pars ulcerata callum contrahit, duriorque efficitur, sic ut agglutinari nequeat; quod malum tunc *fistula* nuncupatur. Enimvero est FISTULA. *Sinus Angustus & oblongus*, seu *ulcus sinuosum angustum, simulque callosum, ac proinde curam non facile suscipiens.* Id quod fit, quoniam orificio existente angusto, fundo, autem lato & calloso, copiosa simul & virulenta sanies ibidem colligitur, indeque continuo emanat. Fistula quid sit.

II. Sunt autem plures *fistularum differentiæ*; quæ desumuntur à magnitudine, numero; figurâ, situ. Aliæ enim breves sunt, aliæ longæ & altius penetrantes. Aliæ unum dumtaxat orificium, namque tantum cavitatem; aliæ vero plures sinus, diversasque cavitates habent. Aliæ sub cute extensæ, aliæ in altius penetrant, aliæ in carnem desinunt, aliæ ad ossa, vel ad nervos, vel ad venas aut arterias pertingunt. Fistularum differentiæ

Digitized by Google

Cauſæ. III. *Cauſæ fiſtularum* haud immerito cenſentur omnes illæ, quæ ſinum efficere poſſunt. Quandoquidem enim fiſtula à ſinu tantum differt calloſitate & duritie; facile datur intelligere, in fiſtulam ſinum degenerare, quum malâ ſinus curatione callus circa ipſum obducatur, ac tandem durus evadat.

Diagnoſis IV. Cognoſcuntur vero fiſtulæ in primis ſtilo in ſinum immiſſo, quô & quò tendat, & quam altè pertingat obſervamus. Quod ſi obliqua fuerit fiſtula, ut ſtylus rectà adigi nequeat, ſpecillum plumbeum, aut potius cerea candela, quæ flecti poteſt, immitatur. Inſuper caro, quæ fiſtulam circumdat, alba apparet, ſicca, dura, ſine aut cum parvo dolore, niſi ſit juxta nervum, partemve nervoſam. Sed an unus, an plures ſint ſinus, ſpecillo vel candelâ cereâ explorandum eſt, idque pus etiam quod effunditur, non ratò teſtatur. Enimvero ſi plus puris, quam probabile ſit unico in ſinu contineri & generari, effluat; aut ſi, ubi æger ſitum mutaverit pus, quod prius ſubſtiterat, denuo fluere incipiat, plures ſinus adeſſe, altiuſque fiſtulam penetrare indicio eſt. At plura ſi ſint fiſtulæ orificia, per ſtylum non ità facilè explorari poteſt; ſed potius per ſyringam uni orificio liquor injiciatur, ſique per omnia orificia is effluat, unâ eſt fiſtula: ſint per omnia non reddatur, plures fiſtulæ adſunt.

Prognoſis V. Cæterum omnes fiſtulæ difficulter ſanantur. Reſentes tamen, ſimplices, quæque in partibus ſolum carnoſis ſunt, non profundæ, in corpore juvenili & boni habitus, facilius curantur: difficilius verò, in quibus plures partes ſunt eroſæ, quæque antiquæ ſunt, ſenſu non præditæ, profundæ, flexuoſæ, & varios ſinus habentes, membris nobilibus vicinæ, in corpore ſenili, emaciato, cacochymico. Imo quædam fiſtulæ ne quidem curari debent, quoniam antiquæ ſunt, & à partibus nobilibus re-

Digitized by Google

motæ, per quas superflui ac vitiosi humores expurgari jam diu consueverunt.

Sicut & eæ difficulter curantur, ac ferè insanabiles sunt, quæ ad musculorum principia, venas, arterias, nervos, ossa, articulos dorsi vertebras pertingunt, quæ ad thoracis vel abdominis cavitatem, aut ad contenta intus viscera penetrant. Tales enim fistulæ vel medicamenta non ferunt, vel ad eas medicamenta pervenire non possunt. Hinc Celsus *libr. 5. cap. 28.* inquit: „ expedita curatio est „ in fistula simplici, recenti, intra carnem; adjuvatque ipsum corpus, si juvenile si firmum est. „ Inimica contraria his sunt. Itemque si fistula os, „ vel cartilaginem, vel nervum, vel musculos, „ læsit, si articulum occupavit, si vel ad vesicam, „ vel ad pulmonem, vel ad vulvam, vel ad grandes venas, arteriasve vel ad inania, ut guttur, „ stomachum, thoracem penetravit. Ad intestina „ quoque eam tendere semper periculosum, sæpe „ pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si „ corpus vel ægrum, vel senile, vel mali habitus „ est. Et Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 49.* ait: si „ fistula ad os usque decumbat, curari hanc absque „ manus opera impossibile est, nisi temporis spatio „ sua sponte squamma, vel os abscedat.

VI. Quoad *curandi methodum*: duplex occurrit fistularum curatio; una vera & perfecta; altera palliativa seu imperfecta, qua nimirum fistula exsiccatur intus, & foras consolidatur, manente nihilominus sinu. Hanc curam innuit Galenus *libr. de tumoribus præt. nat. cap. 4.* ubi hæc habet: „ coërcetur tamen sinus siccatus à medicamentis, ut „ habere sanitatem irreprehensibilem pars videatur: „ siquidem perpetuo quis accurato victu utens, „ salubre ferè, & superfluitatibus vacans corpus „ habet, cohibitus manet sinus. Superfluitate vero Generalis fistularum curatio.

„ aliqua collecta rursus repletur, iterumque fit qui „ ab initio fuit abscessus: rursus vero, ut conve„ nit; medicamentis evacuatur, siccaturque & „ coercetur, & semper longe faciliora ei hæc om„ nia fiunt, quam iis, quæ primo abscedunt. „ Namque enim quæ divelluntur dolent partes: et„ enim jam distant, celerrimequè replentur, facilè „ fluorem suscipiente sinu. Atque istam curationem „ non omnino spernendam esse existimat. Aquapendens, & interdum bene sibi successisse scribit, etsi non semper perficitur autem hæc cura *legitimo rerum nonnaturalium usu*, nec non *purgato per intervalla corpore*; dehinc *fistulæ sinui immissis valide siccantibus*. Hoc enim modo coalescit orificium, ut sana videatur fistula; quæ quidem interdum plane coalescit; ut plurimum tamen tamdiu clausa solummodo manet, quamdiu superflui in corpore non colliguntur humores. At postquam aliquid humoris denuo in sinu colligitur, fistula quoque iterum aperitur.

VII. Altera autem fistularum curatio vera est, atque hoc modo perficitur. Primum, conveniente institutâ diætâ, vitiosi in corpore redundantes humores emendandi ac expurgandi, usurpatis tum vulnerariis dictis, tum humoribus istis evacuandis aptis decoctis, *præced. cap.* 2. nec non *libr.* 2. *cap.* 7. abunde traditis.

Deinceps danda opera, ut callus removeatur. Sed cum Medicamenta callum absumentia rite applicari nequeant propter fistulæ orificii angustiam, *istud dilatare* necesse erit. Id vero fieri potest vel *per sectionem*, vel commodius & absque dolore *per immissas turundas ex radice gentianæ, aut spongiâ præparatâ* Hæ enim fistulæ sinui immissæ humiditates imbibunt, & crassiores redduntur, atque ità pedetentim absque dolore orificium dilatant: quæ interdum quoque, cum callus dilatationem impedit,

Digitized by Google

imbuuntur & illinuntur medicamentis quæ callum auferre apta nata ſunt.

VIII. Sed dilatato quantum ſatis eſt fiſtulæ orificio, callus removendus. Fit autem hoc vel medicamentis, vel ferro, vel igne. Medicamentis aufertur callus in iis præcipuè, qui neque inciſionem, neque uſtionem ferre volunt, ubi recens eſt fiſtula, & callus non admodum durus: hujuſmodi autem medicamenta acria & erodentia eſſe debent, & eò acriora vel minus acria, quò callus craſſior vel tenuior fuerit.

Ad removendum fiſtulæ callum ſcultetus *poſt armament. chir. obſ. 75.* hoc laudat unguentum:

℞. *Aluminis uſti, mercurii præcipitati, Viridis æris, ſalis nitri an. p. æq. Album ovorum, q. ſ. P. S. A. Unguentum.*

Barbette iſtud commendat.

℞. *Pulv. rad. brioniæ*, ʒj. *Thuris, myrrhæ an.* ʒij. *Æruginis* ʒß. *Salis armoniaci* ℈j. *Olei olivarum, axungiæ porci an. q. ſ. Miſceantur pro unguento.*

Vel quod magis efficax:

℞. *Vitrioli albi* ʒiiij. *Aluminis, æruginis an.* ʒß. *Aceti fortis*, ʒvj. *Calcinentur, & fiat exinde pulvis, qui miſceatur cum unguento ægyptiaco pro litu, eòque inungatur turunda fiſtulæ inſerenda.*

Eum in finem quoque conducit *unguentum fuſcum Felicis Wurtzii.*

Vel fiat acris injectio, quæ fiſtulæ callum erodat v. g.

℞. *Aquæ aluminoſæ ſeu mercurialis* ʒiß. *Plantaginis* ʒiij. *Roſarum* ʒj. *Unguenti ægyptiaci* ʒß. *Miſceantur pro injectione.*

Fiſtula verò poſt injectionem bombace, cerâ, vel emplaſtro occludatur, ut quod injectum ſit intus ma-

Digitized by Google

neat: atque talis injectio quotidie semel fiat, aut bis pro re nata.

IX. Sed cum semper callositas fistulæ medicamentis non cedat, atque interdum hac in re plus auxilii & commodi adferat manuum opera nonnunquam etiam ad ferrum & ignem accedendum. Aperiendus nimirum totus sinus est dehinc actuale cauterium adhibendum.

X. Ablatâ tandem omni callositate, sinus detergendus est, ac purus reddendus, ut caro regenerari, hinc & sinus conglutinari possit. Hoc vero fiat adhibito *unguento aureo*, *basilicone*, aut *digestivo cui aloë*, *myrrha*, *similiave sarcotica sint addita*. Vel huic intentioni ut satisfiat, usurpetur injectio, *ex absinthio*, *agrimonia*, *centaureo*, *radice aristolochiæ rotundæ*, *in aqua pura decoctis*, *addito spiritu vini cum pulvere myrrhæ*, *& aloës*; qua & sinus appertus probe abluatur.

Fistulæ autem perfectæ curatæ cognoscuntur: si humor emanans sit paucus, crassus, coctus; item si locus affectus sine tumore, dolore, & omnino siccus sit.

CAPUT. VIII.

De Ambustione.

AD particularia verò priusquam descendamus ulcera, de *ambustione* quoque dicendum videtur, quæ etiam ulcera excitat. Enimverò non rarò contingit, ut casu fortuito vel aquâ, vel oleo fervente, vel liquefacto metallo membra perfundantur, vel in ignem, aquam ebullientem, aut oleum fervens aliquis incidat: quod si contigerit, dolor, vesiculæ, exulcerationes excitantur.

Sed ambustio tametsi affectus sit omnibus notis-

Digitized by Google

simus, clarioris tamen doctrinæ gratiâ eum sic describemus; AMBUSTIO *continui solutio est cuticulæ, & cutis ut plurimum, nonnunquam & carnis musculosæ, venarum, arteriarum, nervorum, cæterarum partium subjectarum, vi ignis impressa.* Hanc autem ambustionem sequuntur mox dolor acerbissimus, inflammatio, pustulæ: & si combustio profundior, corpusque cacochymicum fuerit, in sordidum ac difficulter sanabile ulcus non rarò degenerat. Etenim in leviore combustione, particulæ igneæ cuticulam absque continui solutione penetrantes, cutem ipsam, ubi venarum, arteriarum, nervorum, ac lymphæ-ductuum extremitates, terminantur subeunt: ibidemque has à positione sua alterantes, variè contorquent, & totius texturæ cutaneæ conformationem pervertunt: in tantum ut è vasis omnibus summè irritatis humor aqueus igneis particulis imbutus in magna copia exspuatur; lympha istæc, quia cuticulam pertransire nequit, eam à cute separat, atque in pustulas vesiculares attollit; è quibus demum sponte, aut occasionaliter disruptis effluit. Sed gravior si sit combustio, particulæ igneæ altius penetrantes cutem non tantum, sed & ejusdem vasa, eique subjectas partes corrugari ac constringi faciunt, atque è escaram inducunt; sic ut sanguis; aliique continuò affluentes humores retineantur, & sub cute illa indurata quasi incarcerentur; hinc magis incalescant, effervescant, tandemque suâ acrimoniâ locum affectum erodant, & magnum ulcus efficiant.

Ambustionis definitio.

Ambustio quomodo fiat.

II. Notandum autem, multiplices, & diversas occurrere materias, quibus vim & qualitatem suam ignis imprimit; quæ ut substantiâ differunt, sic etiam una multo vehementius urit quam altera. Sed quamvis combustio à diversis fiat materiis, nihil tamen, vel parum ad curationem id facit. Atque

Digitized by Google

adeo nulla desumenda est indicatio curativa à materia ignita, sed potius ab effectu, quem communicavit. Ut verò curatio ritè instituatur, omnes ambustiones, à quacunquè fuerint factæ materia ignita, distribuemus in tres gradus seu species; viz. in leviſſimam, mediocrem, insignem.

Ambustionis gradus primus.

III. Enimvero materia quæ urit si non diu adhæserit corpori, & levis fuerit, ut stramen, linum, stupæ, aut leve aliquod lignum, vel aqua quæ citò defluit, solum modo pustulæ seu parvæ vesiculæ elevantur: estquè hic primus gradus seu species; cujus idcircò indicia sunt, cutis rubicunda, dolor pungitivus, & nisi statim remedia adhibeantur, cuticulæ à vera cute separatio, cum vesicularum eruptione, in quibus limpida aqua continetur.

Secundus.

IV. Secunda ambustionis species censetur, si materia urens diutius corpori adhæserit, aut violentiore calore imbuta fuerit, quemadmodum ferrum ignitum, aut liquefactum aliquod metallum, lignum duriſſimum, pix, oleum, cera, vel simile: tunc enim non solum elevantur pustulæ, verum & cutis ipsa aduritur, exsiccatur, contrahitur; nondum tamen facta est crusta vel escara.

Tertius.

V. Tertius gradus excitatur, si res ignita diutiſſimè adhæserit, & violentiſſimum in se continuerit calorem: tunc enim non solum cutis, verum & carò, venæ, arteriæ, nervi, & cæteræ partes subjectæ comburuntur, contrahuntur, & in escaram siccantur. Hujus signum est, si subjecta cutis nigra, vel saltem livida conspiciatur, & quum scalpello pungatur obtusè sentiat; durâ nimirum, & exsiccatâ existente crustâ, quam demum deciduam ulcus excipit profundum, putridum.

Combustionis

VI. Cæterum levis combustio, ubi solummodo cutis læsa est, quamvis dolorifica, facilè tamen &

Digitized by Google

brevi ſanatur, vixquè cicatrix apparebit, modo recta & methodica inſtituta fuerit curatio. E contrario inſignis Ambuſtio difficulter ſanatur, imprimis quæ ob cutis contractionem & deperditionem rugoſam relinquit cicatricem. prognoſtica.

Combuſtiones capitis & faciei, ſi magnæ & profundæ fuerint, glabras relinquunt cicatrices, quandoquidem adeò arefacta & contracta ab igne cutis eſt, poriquè ità ſunt occluſi, ut dehinc pili erumpere nequeat.

Oculorum combuſtio, in primis ciliorum, ac tunicarum adnatæ & corneæ, quantumvis leviſſima ſit periculoſa tamen eſt facillimèquè viſus depravatio, aut ſaltem imbecillitas ſequitur, palpebræquè inverruntur.

Periculoſæ item ſunt combuſtiones inguinum atquè abdominis, & difficulter ſanantur. Periculoſa quoquè eſt ambuſtio à fulmine, & plerumquè lethalis.

Ad vaſa majora quæ penetrat ambuſtio periculoſa eſt, profunda in primis ſi fuerit; atquè Gangrænam non rarò accerſit.

VII. Quoad *curandi methodum* : quamvis paſſim infinita ad ambuſtiones in uſu ſunt remedia omnia ad hunc finem tendentia ut empyreuma ſive particulas igneas in parte combuſta relictas aut ſuffocent, aut reſolvant, diſſipentquè : docet tamen praxis, frigida ambuſtiones non curare ; ſed iiſdem, igneis particulis intrò retruſis, dolorem ſummoperè augeri, nec non inflammationem, gangrænam, imò & ſphacelum quandoquè excitari : calida vero, quæ empyreuma evocant, ſolummodo prodeſſe ; unde & plebeis æquè ac practicis haud ignotum eſt, partes combuſtas non frigidæ immergendas, at potius igni admovendas eſſe. Curandi methodus.

VIII. Ut igitur methodica inſtituatur ambuſ-

Digitized by Google

tionis curatio, diligenter examinandi & inſpiciendi ſunt omnes ejus effectus & accidentia, ut remedia pro re nata applicentur, & mutentur. In primis autem, ſi nondum elevatæ fuerint puſtulæ, evocetur empyreuma, *hoc eſt*, ignæ in parte affecta relictæ particulæ reſolvantur, diſſipentur, parte læſâ igni admotâ, vel calidæ aquæ immerſâ; aut, ſi fieri id nequeat, intingatur ſpongia aut linteum re duplicatum aquæ calidæ, & loco ambuſto applicetur; vel imponatur *ſapo vulgaris*; ſeu *flores cerevisiæ* admoveantur; *cepæ* quoquè *in mortario cum ſale contuſæ*, & loco combuſto applicatæ, igneas particulas educunt, nec ſinunt ut puſtulæ elevantur. Enimvero ſi præcaveri poſſit, ne puſtulæ oriantur, non eſt, quod patiens deinceps ullam moleſtiam vereatur.

In primo ambuſtionis gradu quid agendum ſit.

Eundem in finem Hildanus *libr. de combuſt. cap. 6* hoc laudat unguentum

℞. *Ceparum* ʒiß. *Salis, ſaponis veneti an.* ʒj. *Simul in mortario contundantur, &, addito Oleo roſaceo & amygdalarum dulcium, fiat unguentum.*

Laudibus ſuis quoque merentur ſequentia:

℞. *Saponis veneti* ʒiij *ceparum* ʒiß. *Salis* ʒvj. *Olei ovorum* ʒß. *roſarum, amygdal. dulc. an.* ʒß. *Mucilaginis ſeminis cydoniorum* ʒj.

M. F. Unguentum.

℞. *Cera citrina, reſina, Adipis ovilli, olei raparum an.* ʒj. *Miſceantur S. A. Pro unguento.*

Barbette ad omnis generis ambuſtiones valde extollit ſequens unguentum, ſi liquefactum parti combuſtæ ſæpius illinatur; dehinc *recens folium braſſicæ, betæ*, aut *plantaginis* ſuperimponatur.

℞. *Fol. ſalviæ rec.* Mj. *Plantaginis* Mij. *Butyri recentis inſulſi* ʒvj.

Digitized by Google

Stercoris gallinæ rec. albiſſ. ℥iij.
Frixentur per horæ quadrantem, & expreſſio ſervetur uſui.

Paræus in Xenodochio Pariſienſi hoc feliciter uſurpari ſcribit;

℞. *Lardi conciſi* ℔j.
Liquefiat in aqua roſacea, & coletur per linteum rarum; hinc quater aquâ plantaginis lavetur, tandem add.
Vitellos trium ovorum.
M. F. Linimentum.

Alii iſtud commendant:

℞. *Tinctura ſaturni, olei roſarum an.* ℥iß.
Agitentur probè pro linimento.

De omnibus tamen unguentis hoc notandum, ita comparata eſſe debere, ut tenaciter parti combuſtæ non adhæreant, ſed facile abſtergi & removeri poſſint. Neque enim hæc ulcera ferunt, ut fortiter abſtergantur, at fere linteo ſubtiliſſimo parti admoto à pure mundari debent.

Notandum quoque, pleraque hæc non convenire *ambuſtioni oculorum*: neque iis eſſe adhibenda; quin potius imponendum collyrium, *ex aqua roſarum & plantaginis, cum mucilagine ſeminis cydoniorum, fœnigræci, &c.*

Veſiculæ aut puſtulæ ſi adfuerint, nec malum idcirco ſit gravius, non ſtatim aperiendæ. Si enim mox aperiantur, ob denudatam cutem excitatur dolor, & tardius curatio abſolvitur. Verum tertio circiter die, ubi cuticula regenerari jam incipit, aperiendæ: quin & diutius apertio non protrahenda, ne contentus humor acrior fiat, cutemque porro erodat, exedat.

Cæterum ad primum hunc ambuſtionis gradum pertinet ea, quæ à pulvere tormentario fit, de qua *libr. 2. cap. 14.* dictum fuit.

Digitized by Google

Secunda ambustionis species quomodo curanda.

IX. Arqui ambustio si tam alte penetraverit, ut non solum pustulæ eleventur, verum & cutis combusta siccata, & contracta fuerit; tunc neque *cepæ*, *sapo*, *sal*, & quæ sunt hujus generis medicamenta sunt applicanda: sed imponatur ea, quæ combustam & corrugatam cutem emollire ac lubricam reddere queant, quæque humida & temperate calida sint.

Igitur pustulæ omnes forficibus in primis incidantur, quo lympha particulis igneis imbuta effluere possit. Cuticula quoque, ubicunque separata est, à vera cute abstrahatur, ne sanioſa materies sub ipsa colligatur. Dehinc parti combustæ imponatur nunc laudatum unguentum, ex *oleo raparum*, *resina*, *cera citrina*, & *adipe ovillo*.

Vel,

℞. *Olei rosacei*, *liliorum alborum an.* ℥ß.
Unguenti basiliconis ℥j. *Vitellos duorum ovorum.*
M. F. Unguentum.

℞. *Butiry rec. insulsi*, *pingued. galinæ rec. an.* ℥j.
Cera citrinæ, *olei liliorum alborum. an.* ℥ß.
Simul liquefiant, *& in mortario admisceantur*
Croci pulv. ℈j. *mucilag. sem. cydoniorum* ℥j.
pro unguento.

Hildanus hoc laudat unguentum emolliens, dolorem leniens, & paulatim cicatricem inducens.

℞. *Butyri rec. & loti aquâ rosaceâ* ℥iij.
Olei violarum, *ovorum*, *amygdal. dulc. an.* ℥ß.
Farina hordei ℥iß. *pulveris croci* ℈j.
Mucilag. sem. cydoniorum ℥j. *Cera q. s.*
Misceantur S. A. in mortario pro unguento.

Proderit item, impositio uno ex præscriptis unguentis, cum reduplicatis linteaminibus desuper applicare *muriam in qua mala limonia conservantur*, *modicè calefactam*, quæ mirum in modum empyreumati adversatur. In facie tamen hujusmodi medica-

Digitized by Google

menta, quæ *acetum* aut *sal* recipiunt, propter oculos, non ſunt applicanda.

Emollitâ & ſatis lubricâ factâ, cute combuſtâ, doloreque mitigato, nonnulli medicamentis exſiccantibus, veluti *unguento de tutia*, *diapompholige*, ſimilibuſve, cicatricem inducendam eſſe volunt. Sed ut fatear, quoniam exſiccantia cutem contrahunt, hinc & turpes non raro efficiunt cicatrices, horum uſus ſemper tutus non eſt. Præſertim quum ſuprascriptis emollientibus, ad finem uſque curationis uſurpatis, voti ſui compos plerumque fieri ſoleat Cheirurgus.

Interim quia ambuſtiones, præſertim quæ in cutis ſunt ſuperficie, ut plurimum vehementer dolent, obſervent Cheirurgi, ut blandè ulcera hæc abſtergant. Hildanus, ne abſtergendo ulcera excitet dolores, telâ ſubtiliſſimâ, qualis eſt cambriacenſis, aut ſyndone cooperire ſolet totam partem ambuſtam, nec illam removet, donec ulcera ſint ſanata, teſtaturque per hanc telam pus facillimè effluere, & virtutem medicamentorum ad ulcera ſatis pervenire poſſe.

Tertius ambuſtionis gradus quomodo tractari debeat.

X. Sed periculoſior eſt tertius ambuſtionis gradus, propterea, quod in gangrænam & ſphacelum nonnunquam ſoleat degenerare. Enimverò graviore illa combuſtione cutis vaſa, parteſque ei ſubjectæ corrugantur, ac ita conſtringuntur, ut tum ſanguis affluens, ſpiritus influentes libere permeare, atque per partem ambuſtam radiare, eamque vivificare amplius nequeant: hinc ſuffocato extinctoque nativo calore, pars emoritur corrumpitur.

XI. In hac ambuſtionis ſpecie puſtulæ omnes veſiculares primum ſunt incidendæ, ut acre, urenſque ſerum effluere poſſit. Deinceps eſcara leviter eſt ſeparanda, aut ſaltem diverſis in locis ad ſanam uſque carnem incidenda, quò acris ſub cruſta re-

Digitized by Google

tenta lympha effluere, medicamentum penetrare; & quidquid à combustione induratum est emolliri possit.

Hæc autem escaræ separatio primô aut secundô die fieri debet, priusquam affecta pars infletur; estque hoc quoque unguentum statim ab initio adhibendum:

℞. *Butyri rec. insulsi* ʒiij. *Unguenti basiliconis* ʒiß. *Olei liliorum alborum amygdalar. dulc. an.* ʒß. *Vitellum unius ovi. M. F. unguentum.*

Dehinc linteum reduplicatum sequenti emulsione imbutum tepidè ut applicetur suadet Hildanus.

℞. *Sem cucurbitæ* ʒij. *Cydonior.* ʒij. *Fœnigraci* ʒj. *Contund. in mortario & emulg. cum aqua pura* ℔vj. *in colatura solvatur saponis veneti* ʒß. Sed in facie si fuerint ambustio, *sapo* minime est addendus propter oculos; sed ejus loco admisceatur *aqua rosarum & plantaginis.*

Vel loco emulsionis ad mitigandum dolorem, cutem emolliendam, & digestionem promovendam imponatur fomentum. v. gr.

℞. *Rad. Althæa* ʒiß.
Sem. cydoniorum, fœnigraci an. ʒß.
Fol. malvæ, althæa,
Flor. camomillæ, meliloti an. Mj.
Coquantur in aqua pura, aut, si dolor vehemens fuerit, in lacte dulci, & colatura sit pro fotu.

Ubi escara, & quod combustum est separatum fuerit, ulcus mundificandum; carne implendum, & cicatrice occludendum. Verum cicatrisantia non nimis sicca sint, ne turpis & rugosa fiat cicatrix. Atque ideo hîc ab hildano hoc laudatur emplastrum.

℞. *Emplastri diapalmæ* ʒij.
Ping. galinæ, anseris an. ʒß.
Liquefiant simul; hinc admisceantur
Aluminis

Digitized by Google

Aluminis usti, plumbi calcinati,
Lytargiri, lapidis calaminaris an. ʒj.
Agitentur in mortario plumbeo, & addendo.
Mucilag. sem. cydoniorum & fœnigraci q.s.
Fiat. S. A. unguentum.

At si adeò magna fuerit combustio, ut in gangrænam & sphacelum commutetur, curetur eo modo, ut *libr.* 1. *cap.* 17. docuimus.

XII. Si vero ad supercilia, labia, aut in digitis facta fuerit combustio, diligenter ea curetur, neque partes hæ contrahantur, & ad invicem conglutinentur, quin potius linteamina, filamenta, aut laminæ plumbeæ tenuissimæ partibus, ubi conglutinationis periculum est, interponantur. Superciliorum, labiorum, ac digitorum ambustio.

XIII. Oculi sin ambustione læsi sint, statim instilletur *lac muliebre vel vaccinum recens ac tepidum*; idque vel *solum*, vel *mixtum cum aqua rosacea, in qua parum croci integri macceratum fuerit.* Linteum item reduplicatum, & hoc lacte imbutum oculis tepide imponatur, & quotiescumque siccum fuerit renovetur. Aut loco lactis usurpetur collyrium; v. gr. Oculi si comburantur, &c.

℞. *Aquæ rosarum* ʒiij. *Plantaginis* ʒj.
Sem. cydoniorum, fœnigraci an. ʒß. *croci integri* ʒj.
Macerentur quatuor horas, & colatura sit pro collyrio; cui *lac muliebre vel vaccinum recens* admisceri possit.

Dehinc inter duo tenuia linteamina calidè applicetur cataplasma.

℞. *Pulpæ pomorum vepurg.* ʒiv.
Coctæ in aqua rosacea & fœniculi ad mollitiem, & minutim contritæ ad.
Mucilag. Sem. fœnigraci ʒiß.
Pulv. croci gr. xij. *albumen unius ovi.*
Lactis dulcis recr. q. s. M. F. cataplasma.

Atque horum medicamentorum usui est insistendum,

BIBLIOTECA
Digitized by Google

donec ab inflammatione & dolore immunis sit oculus. Tunc enim applicetur collyrium magis exsiccans, & visum roborans.

℞. *Aquæ rosarum, plantaginis, fœniculi an.* ℥iß.
Troch. albor, rhasis subt. pulv. ℥j.
Tutiæ præpar. ℈ij. *sacchari saturni gr.* v.
Misceantur pro collyrio.

Curandum quoque diligenter, ne palpebræ retrahantur: id enim maximam adfert deformitatem. Hoc tamen si contigerit, sique cutis prope oculos indurata fuerit, Emolliente aliquo unguento affecta pars inungatur; vel illinatur identidem loco combusto *pinguedo anguillæ assatæ*, ut indurata ac retracta cutis ita emolliatur, & lubrica reddatur.

Inguina si comburantur, quid agendum.

XIV. Inguina si comburantur, quum sint loca humida, laxa adeoque humorum affluxui obnoxia, remedia usurpentur magis siccantia, quam in partium aliarum ambustionibus. Atque ideo si pustulæ nullæ eruperint, medicamenta ex *sapone*, *cepis*, similibusque parata agendum utilia sunt. Quod si elevatæ sunt pustulæ, statim aperiantur, ut acris effluere possit humor. Dein applicetur unguentum. v. gr.

℞. *Unguenti rosacei* ℥j. *basiliconis* ℥vj.
Olei ovorum, amygdalarum dulc. an. ℥ß.
Liquefactis admisceantur,
Pulv. aloës, mirrhæ an. ℥j.
Pro unguento, cum tenuibus filamentis applicando.

Insuper totam partem affectam hildanus cooperit hoc cataplasmate;

℞. *Farinæ hordei, fabarum an.* ℥iij.
Pulv. rosarum rubrarum ℥ß.
Fiat ex his cum s. q. Oxymellis. S. A. cataplasma, quod calidè applicetur.

Articuli ambusti

XV. Sed vero articuli seu junctura si comburantur, cum partes sunt excarnes, nervosæ, ac

Digitized by Google

magno ſenſu præditæ, ne humorum affluxus fiat, hinc & gravius malum excitetur: medicamenta ex *ſapone*, *cepis*, & hujuſmodi acrioribus (niſi combuſtio levis fuerit) minimè ſunt applicanda; ſed emollientibus, lenientibus, & anodynis affecta pars eſt tractanda. Atqui diligenter præcavendum in magnis junctura rum ambuſtionibus, ne tendines, articulorumquè ligamenta retrahantur, & junctura incurventur: quamobrem totum membrum ſæpius inungendum *oleo lumbricorum*, *anethino*, *liliorum alborum*, *axungiâ gallinarum*, *caponum*, *unguento althæa*, ſimilibuſque; ut quæcunque indurata ſint lubrica reddantur, & ita ſerventur. Interim quoque ferulæ, aliaque ex ligno vel papyro craſſiore facta inſtrumenta, circum juncturas ſunt ponenda, ut tendinum retractio impediatur. Blande tamen omnia agenda, ne dolor excitetur. Qui ſi ſupervenerit, protinus ſedandus eſt, impoſito cataplaſmate. v. gr. quomodo curandi.

℞. *Micæ panis albi* ℔ß.

Coctæ in lacte vaccino ad formam pultis, *add. Butyri recentis*, *olei amygd. dulc. an.* ℥j. *ovorum* ℥ß.

Pulv. croci ℈j. *vitellum unius ovi.*

M. F. Cataplaſma, *calidè applicandum*, *& itendidem renovandum.*

XVII. Verum in principio ſi ſatis diligens non fuerit Cheirurgus, nec ferulas, aliave convenientia inſtrumenta adhibuerit, ſic ut juncturarum combuſtarum tendines, parteſque nervoſæ retrahantur, hinc & articulationes incurventur; pars affecta foveatur decocto emolliente, ex *radice althæa*, *bryoniæ*, *liliorum alborum*, *foliis althæa*, *malvæ*, *chamæpiteos*, *floribus camomillæ*, *hyperici*, *ſemine fœnigræci*, *lini*, *&c.* Atque dejnceps inungatur *Unguento*, *pinguedine gallinæ*, *anſeris*, *&c.* Tandem applicetur *emplaſtrum de mucilaginibus* in corio extenſum. Tendinibus autem & ligamentis articuli

Digitized by Google

sic satis emollitis, ad extensionem accedendum est: quæ sine dolore & periculo satis commodè fieri potest, instrumentis ad hoc negotium accommodatis.

Relictæ post ambustionem cicatrices quomodo sint tollendæ.

XVII. Denique post graves ambustiones, ob nimiam cutis ab igne contractionem & indurationem, *turpes* non raro relinquuntur *cicatrices*; præsertim si sicca nimis cicatrisantia usurpata fuere. Hæ ut tollantur, in primis durities cicatricum est emollienda, & lubrica facienda litu ex *pinguedine assatæ anguillæ*, *caponum*, *gallinarum*, *oleo liliorum alborum*, *ovorum*, *&c.*

At in facie si fuerit cicatrix, atque ità elevata, contracta, & indurata, ut maxima inde turpitudo & deformitas sit, ea tolli nequit nisi per excisionem. Hildanus *libr. de combust. cap.* 14.

CAPUT IX.

DE ULCERIBUS PARTICULARIBUS.

De Oculorum Ulceribus.

Oculi Tunicæ Corneæ & Adnatæ Ulcera quomodo fiant.

I. PErpensis ulceribus in genere, haud absre erit, in specie de partium præcipuarum ulceribus quædam superaddere. Inter has OCULI, partes sanè nostri corporis haud ignobiles, ulceribus nonnunquam infestantur. Atqui quæ *in adnata* vel *cornea tunica* excitantur *ulcera*, auctore celso *libr. 6. cap. 6.* ex pustulis interdum fiunt, aut ab ictu, percussione, medicamentis acribus, aut ab acri affluente lympha, quæ membranas seu tunicas, nec non tenerrima illarum vascula erodens; inflammationem prius excitat, quam & exulceratio non rarò sequitur.

II. Hæc vero ulcera variis nominibus à Paulo

Digitized by Google

Æginetæ, & aliis appellari consueverunt. Quod enim cavum, angustum, durum est, βόθριον seu *fossula* dicitur. Sed latius & minus profundum si extiterit, κοίλωμα nuncupatur. Quod in iridis circulo externo exortum ambientia quoquè comprehendit, variique coloris est, & circa externam iridis partem rubicundum apparet, circa internam candidum, quibusdam ab albedine ἀργεμὸν dicitur, nonnullis *ulcus coronale* vocatur. Quod deniquè profundum, solidius, asperum, & quasi crustosum est, τραχύτερα καὶ ἕλκωμα vocant. Avicenna septem differentias enumerat: quatuor superficiarias, & tres profundas; quæ saltem ratione magnitudinis, & quod ulcus aliud latius, aliud angustius, aliud superficiarium, aliud profundum est, discernuntur. Oculorum ulcera qui nominibus dici soleant.

III. Cæterum magnitudo & figura ulceris in oculo visui ferè patet. Atque in tunica cornea si ulcus consistat, pustula præcessit alba, & ulcusculum album apparet in nigro oculi. Si vero adnata tunica sit exulcerata, punctum subrubicundum in albo oculi conspicitur, ob sanguinem erosis hujus tunicæ vasculi extravasatum. Oculorum ulcerum diagnostica.

IV. Sunt porro omnia oculorum ulcera periculosa, & non raro cæcitatem inducunt; in primis quum cornea tunica ità erosa sit, ut aqueus humor, nonnunquam etiam crystallinus corruptus effluat. Insuper periculosus semper est ulcus corneæ tunicæ, quam adnatæ: præsertim si è regione pupillæ consistat; quod post sanatum hujusmodi ulcus opaca plerumque relinquatur cicatrix, quæ visionem lædat. Prognostica.

V. Quoad *Indicationes curativas*: ut aliarum partium ulcera, ità quoque ulcus in oculo indicat, solutam unitatem esse uniendam; si quid imminutum, id regenerandum, & locum cicatrice claudendum esse. Igitur universalibus (viz. *Venesectione* Medendi methodus.

Digitized by Google

purgatione. Cucurbitulis veſiccatoriis) haud neglectis, topica oculo ſunt imponenda detergentia & exſiccantia. Verum inflammatio ſi ulceri huic adſit, inter duotenuia linteamina calide imponatur hoc vel ſimile cataplaſma, ac identidem renovetur.

℞. *Pulpæ pomorum dulcium repurg.* ℥vj.
Coq. in aq. Roſacea & fœniculi ad mollitiem, hinc contritæ add. mucilag. ſeminis fœnigraci ℥ij.
Albumina duorum ovorum.
Cort. Granator. ſubtilit. pulv. ʒij.
Lap. Hæmatit. exacte triti ʒj.
Lactis Vaccini rec. q. ſ. F. S. *A. cataplaſma.*

Interim deſiccantia & detergentia blandiora ipſi oculo admovenda; qualia ſunt *ſarcocolla, aloë, tutia præparata, corallium præparatum, ſaccharum candum, aquæ chelidonii maj.* & ſimilia. Ex quibus collyrium fiat [illegible]rgens oculo inſtillandum. v. g.

℞. *Aq. chelidonii maj. euphraſiæ, roſarum an.* ℥j
Troch. alb. rhaſis ſubtilit. pulv.
Tutiæ præpar. an. ℥ß. *ſacchari cand.* ℈ij.
Miſceantur.

Vel

℞. *Aq. roſarum* ℥iß. *Euphraſiæ, chelidonii Maj. an.* ℥j. *mellis virginei deſpumati* ℥ß.
Miſceantur pro collyrio, cui pro re nata *fel Lucii piſcis* addi poteſt.

Collyrii loco majori oculi angulo inungatur, nec non ipſi ulceri bis quotidiè imponatur unguentum exſiccans & leniter abſtergens. ex gr.

℞. *Tutiæ præpar. nihili albi an.* ʒij.
Corall. rubr. præpar. margaritarum præpar. an. ʒj.
Camphoræ ℈ß.
Unguenti roſacei ℥ij. *aut* ℥iiß.
Terantur exacte in mortario, pro unguento.
℞. *Bu. yri rec. exacte loti* ℥ß.
Tutiæ præpar. ℈iv. *vitrioli alb. gr.* viij.

Digitized by Google

F. S. A. *unguentum.*

Atque horum remediorum usui insistendum, usque dum ulcus mundum & sufficienter deterſum sit. Dein ut cicatrix inducatur collyrium hoc laudat Barbette.

℞. *Plumbi usti, sarcocollæ, sacchari saturni: Sief albi rhasis an.* ℈ß.

Aq. Rosaceæ ℥iv. *Misceantur simul pro collyrio.*

Corneæ tunicæ cicatrix post oculi ulcus relicta quomodo sit curanda:

VI. Sed sanatis ulceribus hisce, non raro in cornea tunica relinquitur *alba & eminens cicatrix*, quæ nonnunquam corneam totam, vel ex parte solummodo tegens, visionem vel tollit, vel imminuit, aut depravat.

Curationem hujusmodi crassarum, densarum, callosarum: ac inveteratum cicatricum nequaquam tentari vult Aëtius; cum non nisi collyriis acerrimis, partes oculo vicinas exulcerare potentibus; tolli queant. Superficiariæ vero, & minores aliquam curationem suscipere possunt, præsertim in pueris & adolescentibus. In quarum curatione rhases vult, ut *aquæ dulcis tepidæ aut calidæ vapor oculo excipiatur, donec oculus rubeat.*

Vel

℞. *Rad. althææ, liliorum albor. an.* ℥ij.

Fol. malvæ, violariæ an. Mi. *sem fœnigraci* ℥j.

Fiat decoctio in s. q. aquæ puræ; ejusque decoctionis vapor oculo excipiatur.

Remedia autem detergentia, quæ leniter attenuare & discutere possunt, sunt *fel caprinum* vel *lucis piscis, mel despumatum, saccharum candum, vitriolum album, succus chelidonii majoris, succus rutæ, succus fœniculi, succus cerefolii, &c.* Ex quibus collyria unguenta, vel pulveres pro re nata præparari possunt. Præstat tamen medicamenta oculorum maculis & cicatricibus sub formâ pulveris admovere v. gr.

Digitized by Google

℞. *Tutiæ præpar. sacchar. cand. albi an*, ʒj.
Vitrioli albi. gr. iv. *camphoræ gr.* ij.
Corall. alb. præpar. ℈ß.
M. F. Pulvis subtilissimus, quotidiè bis terve oculo insprgendus.

Sed hujusmodi albicantes corneæ tunicæ inhærentes maculas, cicatricesve sæpius sanatas, & penitus ablatas vidimus, *saccharo cando albo in impalpabilem pollinem redacto, identidem oculo insperso.*

Pus sub cornea tunica si colligatur quid agendum.

VII. Verum & aliquando contingit, purulentam materiam sub cornea tunica ante pupillam, prope humorem crystallinum colligi, sic ut visio planè impediatur: qui affectus græcis *hypopyon*, nostratibus (*Een Etter-Oogh*) nuncupatur. Fit verò *hypopyon*, seu *oculus purulentus*, dum tumor sive corneæ, sive uveæ in abscessum degenerat, ut materia purulenta ibidem consistat.

Si igitur pus inter corneam & uveam contineatur exactius illud conspicitur, & affectus oculus sano eminentior apparet. Hoc autem pus, si per cataplasmata, fomenta, & collyria leniter discutientia resolvi nequeat, alia tentanda sunt remedia. Galenus & Aetius narrant, medicum quemdam Romæ capitis concussione pus loco suo dimovere solitum, ne visioni obesset, id tamen sæpius frustra à se tentatum, scribit Jobus Meekeranus.

Aëtius acu oblique, sive à latere immissa pus per puncturam corneæ educit, tum *albumen ovi* instillat, ac dein *ovum integrum cum vino mulso conquassatum, & molli lanâ exceptum oculo imponit.* Sed quo modo illa corneæ apertio, ac purulentæ materiæ evacuatio sit facienda, & quid porro ad hanc operationem requiratur, videatur apud Jobum Meekeranum *obs. chir. cap. 9.*

Digitized by Google

CAPUT X.

De Fistula lacrimali.

I. CÆterum in interno oculi cantho inter duo puncta lacrimalia *caruncula* locatur, *lacrimalis* dicta, quæ continuum lacrimarum per genas defluxum impedit; sed eas imbibendo ordinatè per vicina puncta lacrimalia in nares dirigit. Hæc caruncula ab acrium humorum affluxu turget nonnunquam intumescit & absedit, ulceraturque ulcere non rarò in fistulam abeunte, ut adeo tandem subjectum os carie corrumpatur: qui affectus *lacrimalis fistula* nuncupatur.

II. Et itaque FISTULA LACHRYMALIS *tuberculum inter majorem oculi angulum & nasi radicem ortum, plerumque cum inflammatione, nonnunquam & sine inflammatione.* Atque hic tumor aliquando quidem in superficie se ostendit, aliquando magis profundum obsidet, & non nisi tactu ac compressione percipitur. Tumor hic ruptus & malè curatus in ulcus abit, quod vel simplex remanet, à quo pus coctum plerumque exudat: vel serpens & malignum evadit, à quo pus crudum effluit; id quod non raro sub inferiore palpebra viam sibi facit, & per tuberculum ibi elevatum, exulceratumque aquosam & ichorosam materiam effundit: aut si absessus tardius rumpatur in sinuosum ulcus, seu *fistulam* oculi, *lacrymalem* dictam degenerat. Fistula lachrymalis qualis sit affectus.

III. *Causa* humor est tenuis, acris, salsus, qui eo stillans primo inflammationem, dein erosionem, exulcerationem, ac tandem fistulosum & sinuosum ulcus, nonnunquam cum subjecti ossis carie, producit. affectus hujus causa.

Tuberculum autem ipsum alias majus, alias minus

Digitized by Google

est, insuperficie eminens & visui expositum, aut in profundo latens, & cum soluta unitate in *ægilope*, citrà hanc in *anchilope*. Rumpitur autem tuberculum hoc, aut intus versus oculum, aut extrà per cutem, aut utrimque. Interdum & os naris proximum perforat; nonnunquam cartilaginem palpebræ ac ipsam palpebram corrumpit.

lacrymalis Fistulæ diagnostica.

IV. Igitur dignoscitur malum hoc, quod tumeat locus affectus, rubore in ambitu perfundatur, lancinante dolore affligatur; in primis inflammatio si adsit. Ubi vero cute exulceratâ rumpitur tuberculum, fit abscessus cum ulcere; quod si legitimè non curetur, pus diutius coërcitum cuniculos porro agit, sinumque facit, per quem collecta intus sanies aut sponte effluit, aut presso angulo extruditur, tumorque nonnihil subsidet, usque dum nova colligatur materies. Nonnunquam ad os usque subjectum sinus penetrat, illudque erodit, viamque in narem proximam aperit, è qua graveolens quid continuo excidit.

Prognostica,

V. At vero affectus hic ægre sanatur, nisi mature ei occurratur. Atque difficilius redditur hoc vitium, si sit conjuncta soluta unitas, sique tumor profundas occupet partes.

Si ruptio sit interiora versus, periculosior; quia metuenda est subjectorum ossium corruptio.

Fistula recens, & quæ orificium habet extinsecus manifestum facilius curam suscipit.

In genere tamen fistula lachrymalis chronicum malum est, cum propter perpetuum materiæ affluxum, & motum oculi continuum, tum quia conveniens ligatura ea in parte fieri nequit, tum denique quia medicamenta debilia parum agunt, fortia vero oculum lædunt.

Medendi methodus

VI. Quoad *curandi methodum*: quandoquidem eodem modo non semper se habet fistula lachry-

Digitized by Google

malis, non semper eadem erit hujus affectus cura. Curatur namque vel ut incipiens; vel ut abscessus jam ruptus, cujus tamen latera minime sunt callosa; vel ut fistula perfecta, osse tamen subjecto sano, minimeque corrupto; vel denique ut fistula perfecta, osse subjecto carioso: atque tum aut Medicamentis; aut Chirurgia.

VII. In genere ut ægilops vel incipiens vel perfectus curetur, primum instituenda est optima victus ratio. Dein redundantes in toto acies tenuesque humores corrigendi, & tum per alvum, tum per urinas, tum per auctam transpirationem evacuandi. Quem in finem conducit decoctum, *ex ligno guajaco, sassaphras, radicibus salsaparilla, china, additis betonicâ, majoranâ, aliisque cephalicis, nec non* (si purgans id desideramus) *pulpâ colocynthidis, glycyrrhyzâ, &c.* Insuper *sinceum* nuchæ adhibere quantum conducat in curanda fistula lachrimali, praxis docet; affirmat Hildanus *cent.* 4. *obs.* 19.

Incipiens ægilops quomodo tractari debeat.

VIII. Generalibus hisce præmissis, si ægilops incipiens sit, atque nondum apertus, secetur ferro ac aperiatur, idque fiat maturè. Si enim apertio differatur, pus vicinas partes erodit, & fistulam sæpe in emendabilem gignit.

Aperto autem abscessu, seu naturâ, seu arte, imponantur desiccantia, derergentia, consolidantia: quem in finem conducit *unguenta de tutia*, vel simile ex *aloë, myrrha, plumbo usto, tutia, spodio præparato* &c.

Chalmetæus *enchir. chir. lib.* 3. *cap.* 20. se nihil præstantius sequenti esse testatur;

℞. *Vini optimi*, seu potius *spiritus vini*,
Mellis rosacei an. ʒj. *myrrhæ optimæ* ʒij.
M. F. Linimentum, quo mane & vesperi locus illinatur.

Insuper ipsi ulceri postquam exsiccans aliquod im-

Digitized by Google

positum sit unguentum, pars affecta comprimatur instrumento ab aqua pendente descripto, & à sculteto *armam. chir. tab.* 8. *fig.* 1. depicto, aliove simili, ut ulcusculum ità consolidetur; & cicatrice occludatur.

Lacrymalis Fistula perfecta quomodo curanda sit.

IX. Si vero Perfecta sit fistula, lateribus adeo callosis, incidatur ferro, ac dilatetur. Sed si patiens ferrum admittere nolit, dilatetur turundi ex *radicibus gentianæ*, aut *spongiis præparatis*. Quod si hoc fieri nequeat, *tantillum ex caustico quodam* prudenter applicetur. Diligenter interim oculus claudatur, ne forsam liquefactum causticum in oculum fluat.

Apertâ & sufficienter dilatatâ fistulâ, *mercurius præcipitatus ruber* ulceri inspergendus, aut filamentis imponendus est, ac superponendum emplastrum ex *gummi elemi*.

Atque hoc modo callus consumendus, quo attrito, pars affecta nunc citato aquapendentis instrumento, vel simili comprimatur, ipsique ulceri *balsamum peruvianum*, vel *tolutanum*, aliudve unguentum exsiccans, detergens, cicatrizans imponatur, sicque consolidetur ac cicatrice occludatur.

Os fistulæ subjectum si sit corruptum, quid agendum.

X. At vero subjectum os si carioſum observetur, (quod deprehenditur, si immisso specillo asperitas quædam in osse appareat, aut sonus quidam percipitatur osse pulso, consumpto scilicet periosteo) quantum fieri potest detegendum est, dein ferro abradendum: quo sublato, ossi superstiti filamenta arida applicanda, quousque caro laudabilis ab ipso excreverit; imponendum quoque vulneris labiis *unguentum de tutia*, sarcotici loco, propter continuum ichoris ad angulum oculi fluxum: tandem cicatrix inducenda *gummi elemi*, aut *emplastro diapalmæo*, similive exsiccante. Si autem os carioſum & probe detectum commode abradi nequeat, *euphorbium in subtilissimum pulverem redactum* inspar-

Digitized by Google

gatur. Enimvero nihil præstantius esse *euphorbio* in ossibus carioſis, & in fistula lachrymali ostendit praxis, subscribit Hildanus *cent. 5. obs. 22.* & *cent. 1. obs. 92.* Quippe quod adjacentem carnem non adurit, ut perperam nonnulli metuunt.

Sunt qui cariem ossis *oleo vitrioli*, *sulphuris*, aut *aquâ forti* corrigere tentant, sed malè? ad circumjacentes enim partes fluunt, & os ulterius corrumpunt.

Alii ossis fistulæ lachrymali subjecti cariem *cauterio actuali* corrigunt, idque non malè; quæ enim ferrum aut ignis non sanat, insanabilia esse *hyppocrates* pronunciavit. Scribit tamen Fabritius Hildanus, sibi curationem fistulæ lachrymalis cum euphorbio semper tam feliciter succeciſſe; ut cauterio actuali nunquam fuerit usus. Interim vero illud non rejicit, atque ideo fistula plane occaleſcente. Inustionibus utendum, si ægri admittant; utpote quæ callum non modo atterunt, partemque ipsam corroborant, sed etiam citius separant os corruptum.

Quandoquidem igitur & callus fistulæ, & ossis corruptio consolidationem impediunt, hinc callositate ossisque carie absumptis, nec non deterso satis ac mundificato ulcere *balsamum peruvianum*, vel *tolutanum*, vel *unguentum de tutia*, aut simile filamentis applicetur ut plana ac pulchra fiat cicatrix.

XI. Per totum autem curationis tempus, collyrium exsiccans ac anodynum oculo frequenter instilletur, & linteum reduplicatum, eodemque collyrio madefactum applicetur, sintque omnia fasciâ diligenter ligata, ut oculi motus quoad fieri possit impediatur. Exempli loco esto id, quod sequitur.

℞. *Aq. Rosarum, plantaginis, euphrasiæ an.* ℥iß. *Sem cydoniorum* ℈iß. *Maneant in infusione per horas, dein colatura admisceantur.*

Tutiæ præparatæ an. ℈iiß.

Digitized by Google

Fiat collyrium, cuide oculo eadem idem adhibendum.

In genere tamen de fistula lachrymali inveterata cum magna subjecti ossis corruptione notandum, quod difficulter ea curetur; & si curata fuerit, adhuc tamen ex oculo lachrymæ effluant, ob carunculam lacrymalem assumptam.

Sed genuinam fistulas lachrymales curandi methodum videre licet apud Hildanum *cent. 6. obs. 3.* & Petrum de Machettis *observ. chirurg. 22.*

CAPUT XI.

De Aurium Ulceribus.

Aurium ulcera qualia fiant, & quomodo fiant.

I. ALiquando quoque in Auribus, haud secus ac aliis in partibus, excitantur ulcera, eaque sunt vel apparentia & visui expositа, vel occulta ac in profundiore auris parte sita: iterum vel recentia, vel antiqua, vel cum pauca, vel cum multa sanie.

Fiunt autem in auribus ulcera, vel ab externis causis, vel ab internis. Enimvero casus, percussio, vulnus hîc eodem modo, quo in cæteris partibus inflammationem, dehinc abscessum, tandem ulcus excitare queunt. Interdum quoque à diu in meatu auditorio retento cerumine amaro & viscoso, ibidemque ob salinam oleaginositatem putrescente, hujusmodi ulcus procedit. Deniquè acres, pungentes, mordicantes, parteſque auris interiores exulcerantes humores in causa non raro sunt. Communiter vero hîc observamus, magnam materiæ quantitatem inde profluere, & difficulter admodum hujus partis ulcera sanari, ea in primis quæ sunt in meatus auditorii parte ossea. Quantitas autem materiæ non solum à sanguine venit qui supuratur, sed etiam ex tunicæ meatum auditorium succingen-

Digitized by Google

tis glandulis, quæ à pure continuo irritatæ, magnam liquoris quantitatem è canaliculis suis excretoriis emittunt.

II. Quoad *diagnosin*, horum ulcerum signa sunt satis manifesta; cum ex dolore, ardore, punctione, pruritu, sanie vel pure ab illa parte emanante, in cognitionem devenire possimus: & si sanies copiosa effluat, sordidum ulcus: si tenuior, vitulentum: si fœtens, putridum indicat; sique nonnunquam post saniem aliquid sanguinis emanet, corrosivum ulcus arguit. An vero ab externis aut ab internis causis hujusmodi ulcus fuerit excitatum, ex ægrotantis & adstantium quærelis, aliisque circumstantiis facilè innotescet. Qua ratione cognoscantur

III. Cæterum recentia aurium ulcera facilius, at inveterata difficilius sanantur. Difficultas autem sanandi hæc ulcera inde est, quod semper à liquore ex meatum auditorium succingente glandulosa membrana profluente humectentur, adeoque siccari nequeant; quo fit quod materia è glandulis hisce profluens, acris quippe & salsa reunionem partium & cicatricem impediat. Difficilius quoque sanantur ulcera in meatus auditorii parte ossea, quam in parte cartilaginea, quia osseus canalis versus tympani membranum declivis est, & ubi in planum descendit, fossam efficit notabilem, ex qua purulenta materies non nisi difficulter eximi potest; cum è contrario meatus cartilagineus concham versus sit declivis, hinc & quævis excrementitia materia statim ejiciatur. Ulcerum horum prognosis

IV. Ad *curandi methodum* quod attinet: aurium ulcera quamvis interdum per se sanentur, post cohibitum puris effluxum, plerumque tamen artis auxilio egent. Et quidem, universalibus haud neglectis, sanies erit detergenda, ulcusque exsiccandum, à levioribus semper incipiendo, & quanto recentius Scopi curativi.

Digitized by Google

fuerit ulcus, tanto tutius abſterſione & exſiccatione curatur. Eum in finem eluatur auris *vino calente*. Atque injectiones fiant detergentes, ex *urina pueri*, aut *hydromelle*, aut *aqua hordei cum melle roſaceo*, & ſi fortioribus opus ſit, fiant decoctiones ex *ariſtolochia*, *agrimonia*, *centaurio*, *& ſimilibus in vino albo*, quibus miſceatur *mel roſarum*. v. g.

℞. *Rad. ariſtolochiæ rot.* ʒiij.
Herb. agrimoniæ, Mjß.
Sum. abſynthii, *cent. min. an.* Mj.
Coq. in ſ. q. vini albi ad ʒxij. *colaturæ admiſceatur*
Mellis roſacei ʒiß. *M. pro injectione*:

cui ſi ulcus putridum ſit & valdè ſordidum, addi inſuper poteſt *fel bubulum* vel *aloë cum ſpiritu vini*, aut ſimile. At vero pinguia omnia & oleoſa vitanda ſunt, quippe quæ aurium ulcus ſordidius in dies reddunt.

Galenus teſtatur, ſe hujus generis ulcera inveterata ſanaſſe cum *ferri ſcoria in pulverem redacta*, *hinc cocta cum aceto acerrimo*, *quoad mellis acquirat conſiſtentiam*. Etiam putredinem, qua hæc ulcera ſæpe diffluunt, emendare & ſiccare valet *fel bubulum in forti aceto diſſolutum*, *ac tepide inſtillatum*.

Valeſcus de Taranta ſequens ex Haly commendat & ſcribit, ſe eo Presbyterum, qui aurium ulcere & ſanie octo annos laboraverat, ſanaſſe:

℞. *Mellis* ʒx. *Aceti* ʒj.
Coq. leviter & deſpumentur, *dein add.*
Viridis Æris ʒj.
Miſceantur, *& cum turunda auri impone*.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Narium Ulceribus.

I. POst oculorum, auriumque ulcera, proximum est, ut ad NARIUM ULCERA accedamus, & quæ inde oriantur symptomata perpendamus. Igitur *narium ulcerum plures occurrunt differentiæ.* Alia enim à causis oriuntur externis, ab ictu viz. casu, vulnere. Alia ab internis, ab humoribus pura acribus, malignisve: sivè ii è toto sanguine ad nares ferantur, ut fit in lue venerea, sive à cerebro, aut à crassa pituitaria membrana eò expellantur. Narium ulcera unde fiant, &c.

Ad hæc narium ulcera in se considerata alia recentia sunt, alia inveterata; atque hæc etiam vel crustosa sine sanie, vel sordida, vel putrida ac virulenta, vel corrosiva, vel fistulosa, vel cancrosa. Denique quoad partem affectam; alia externa sunt & oculis exposita, alia interna, in intima narium parte, vel in osse ethmoide.

II. Signis verò discernenda sunt hæc ulcera, cum inter se, tum ab aliis narium affectibus. Recentia enim ulcera non rarò nec acrimonia, nec dolore sese produnt; nares tamen plerumque ichore sanguineo madent, aut crusta sicca, vel nigra emungitur. Dum autem crustula diutius hæret, perpetuo sub ea aliquid exeditur, quod ulcus majus efficit. Vetustius tamen & putridum ulcus, quod *ozæna* vulgo nuncupatur, fœtorem emittit talem, ut æger tum sibi, tum aliis tetri spiritus vapore admodum molestus sit. Et si diutius duret, paulatim serpit longius, atque vel alas narium, vel earum interstitium, vel tenella ossa exedit, paulatimque perforat, præsertim si vel cancri speciem habeat, Narium ulcerum signa.

Digitized by Google

vel à lue venerea contractum sit.

Ozæna. III. Igitur narium ulcera fœtorem ferè spirantia, *ozæna* dici consueverunt, ἀπὸ τῆς ὀζαίνης ozæna ut inquit Celsus *lib. 6. cap. 8.* sunt ulcera circa nares plures crustas & fœtidum odorem habentia. Et Æginetæ *lib. 3. cap. 24.* inquit *ozænam* esse ulcus carioſum ac putridum, ex acrium humorum alluvie prognatum. Possumus ergo & nos dicere, OZÆNAM esse *narium ulcus profundum ac putridum, ut plurimum crustosum fœdumque odorem spirans.*

Ejus Causæ. IV. Quoad *causam ozænæ*: Galenus *lib. 3. de simpl. med. comp. cap. 3.* ait: „ Ozænæ ex humorum a„crium, & putrilaginosorum influxu gignuntur: „nam si humor saltem acris esset, ægrè curabilia „ulcera produceret, non graveolentia. Galeno subscribunt Alexander Trallianus & Aetius. Esto igitur *proxima ozænæ causa* humor acri salinus, ac erodens, qui ipsa quandoque ossa, & maximè cartilagineum narium interstitium corrumpit, sicque faciem miserè deformat. Hic autem acris malignus humor, cujus influxu hujusmodi putridum ac crustosum: nec non graveolens narium ulcus, *ozæna* puta, generatur, vel à venerea lue procedit, vel ab acribus feriniſque catarrhis è cerebro, aut ex membrana pituitaria eò stillantibus; quibus propter acrimoniam corruptio facilè accedit; unde putridum ac graveolens hoc ulcus evadit. Ad hæc oritur quandoque hic affectus à suffumigiis è mercurio & cinnabare incautè adhibitis; cujus rei tres quatuorve historias recenset Fabritius Hildanus *cent. 2. obs. 23.*

Diagnostica, V. Cæterum externa narium ulcera oculis conspiciuntur; interna autem & occulta ex effluente sanie & crustis decidentibus cognoscuntur. Munda porro, ex sanie laudabili: sordida, ex crassiore: putrida, ex fœtore: corrodentia, ex sanguinis cum

Digitized by Google

sanie effluxu : cancrosa, ex præsentibus caueri signis cognoscere licet.

In specie verò ozæna cognoscitur ex effluente sanie, & decedentibus crustis : laborans præterea non ipse sibi graveolet tantum, sed & adstantibus tetri spiritus contagio molestus est.

VI. Sunt quoque narium ulcera curatu plerumque difficilia, ob humiditates viz. tum ex cerebro, tum ex pituitaria membrana, continuo ad partem hanc defluentes; & quo magis vel minus inveterata, eo curatu faciliora erunt vel difficiliora. Celsus de ozæna verba faciens inquit: „ sciri quidem debet, vix ei malo succurri, nihilominus tamen „ quædam tentanda sunt, quanquam curatu sit difficile. Porro tametsi narium ulcera externa, superficialia, recentia, munda, faciliùs curentur; occulta tamen, profunda, antiqua, immunda, crustosa, fistulosa, narium ossibus communicata, difficulter: putrida vero, corrodentia, cancrosa, periculosa plerumque existunt. Prognostica.

Etiam narium ulcera & ozænæ, si omnibus ritè administratis non curentur, pro desperatis non sine ratione haberi solent; quia suspicio est, ne in cancrum talia degenerent, quem satius est, non attingere.

Insuper pro desperatis hæc ulcera haud immerito habentur, quando ossa narium tenella excedunt, vel narium alas, earumque instertitium magnâ deformitate putrefaciunt, & exesum palatum perforant; præsertim si à lue venerea fuerint orta, quod ut plurimum evenit.

VII. Sunt denique eædem in narium ulceribus curandis indicationes, quas aliarum partium sordida ulcera exigunt. Viz. totius corporis primo habendam esse rationem, & humores in toto superfluos evacuandos. Et quoniam vel à lue venerea, vel sal- Indicationes curativæ.

Digitized by Google

tem ab acribus & ferinis catharris profundum, cruſtoſum, fœtidumque narium ulcus ut plurimum procedit; hinc in primis peccantes humores medicamento conveniente è toto corpore iterato expurgandi. Dein vena in brachio ſecanda. Cucurbitulæ per intervalla ſcapulis nunc ſiccæ, nunc cum ſcarificatione applicandæ. Nec non ſetaceum ad tertiam colli vertebram pro majore acrium humorum diverſione adhibendum. At interim, caput, impoſitâ ei cucuphâ, & fiſtulâ tabaci fumiſuctione ſumptâ, ſimilibuſque exſiccandum, roborandum.

VIII. Verum ſi omnibus hiſce ritè adminiſtratis, nihilominus tamen non curetur affectus, quin potius recrudeſcat, curatio inſtituenda, qualis in venerea lue inſtitui ſolet. Utatur patiens decocto ſudorifero, ex *ligno guajaco, corticibus ejuſdem, ſalſaparilla, china, turbith, hermodactylis, foliis betonicæ, majoranæ, ſalviæ, liquiritiâ*, ſimilibus. Et porro in omnibus ſeſe gallici morbi curæ ſubmittat.

IX. Sed ad partem affectam, nares puta, quod attinet: ulceris cruſtæ prius ſunt auferendæ; quod fit aliquo pingui, v. gr. *butyro recenti ac loto illito.* Celſus *mel cum tantillo therebinthinæ in nares immittit, & ſpiritu ſuccum attrahere jubet, donec in ore guſtus ejus ſentiatur*: ita enim cruſtæ reſolvuntur; quæ dein per ſternutationem haud difficulter ejici ſolent.

Cruſtâ remotâ ulcus eluatur *vino, in quo mel coctum ſit*; vel *vino decoctionis agrimoniæ & verbenæ cum melle.* Vel, ſi nimis ſordidum ſit, ad abſterſionem ejus & exſiccationem adhibeatur *unguentum Apoſtolorum*: aut *Ægyptiacum, cui parum ſucci tabaci admixtum ſit.*

Dein aliquandiu ſequens medicamentum naribus injiciatur, ac filamenta eidem imbuta imponantur.

Digitized by Google

℞. *Sem. cydoniorum groſſo modo contuſ.* ʒj.
Aq. plantaginis roſarum, ſpermatis ranar. an. ʒij.
Maneant in infuſione per horas in loco calido. Debinc
expreſſioni mucilaginoſæ add. mell. roſarum ʒj.
Pulv. coral. rubr. præpar. C. C. uſti & præpar.
tutiæ prep.
Lapid. calaminar. præpar. nihili an. ʒj.
Miſceantur.

Vel immitatur hoc aut ſimile unguentum.

℞. *Plumbi uſti & præpar.* ℈iiß.
Pulv. aloës, myrrhæ an. ℈ij.
Unguenti nutriti ʒiij. *Albi camphorat.* ʒij.
Ol. roſacei q. ſ.
Diu terantur in mortario plumbeo, & f. ſ. a.
unguentum.

Nonnulli commendant *aquam plantaginis, in qua diſſolutum eſt aliquid mercurii dulcis, cum petiis ulceri admovendam.*

Etiam *ſuccus ſcarleæ melli roſaceo mixtus* valdè hîc prodeſſe dicitur. Platerus ſequens laudat unguentum:

℞. *Ceruſæ* ʒj. *tutiæ præparatæ, lithargyri an.* ʒß.
Plumbi uſti ʒvj.
Pulv. myrrhæ, ariſtol. rot. an. ʒij.
Ol. roſarum, omphacini, ſucci plantaginis an.
ʒij.
Agitentur diu in mortario, & F. S. A. unguentum.

Barbette hoc valdè extollit.

℞. *Plumbi uſti, ceruſæ lotæ, tutiæ præparatæ,*
Lithargyri an. ʒij.
Cort. thuris ʒj.
Myrrhæ, ariſtol. rot. mercurii dulcis an. ʒß.
Unguenti fuſci fel, Vvurtzii ʒiij. *Alb. camphorat. q. ſ. M. F. S. A. linimentum.*

ti & hoc Fabritius Hildanus:

Digitized by Google

℞. *Succi geranii, solatri, sempervivi maj. an. p. aq. Lithargyri, plumbi usti, cerussæ, lapid. calamin. an.* ʒij.

Indantur in mortarium, affuso cochleari olei rosacei, & succi superioris alternatim, probè agitando, donec in unguentum coëat, quo turundæ illitæ naribus indantur.

Conducit & hîc *aqua aluminosa seu mercurialis*, vel sola, vel diluta cum petiis prudenter usurpata.

Præstans quoque est *aqua viridis Hartmanno usitata*, quæ non tantum in ozænis, sed in omnibus ulceribus fœtidis narium, palati, uvulæ, gingivarum, & linguæ mirificè valet. Cujus hæc est descriptio;

℞. *Mellis rosacei* ʒij.

Sulph. vivi, aluminis crudi, eruginis an. ʒj.

Albi graci, sabinæ an. ʒß. *Flor. sambuci* ʒj.

Fol. plantaginis, hyperici, pulegii, rosmarini, rutæ an. Mß.

Coq. in vini & aquæ lib. ij. *ad casum transversi digiti. At notandum, quod erugo non simul coquatur, sed in fine addatur & relinquatur, donec refrixerit: postea coletur & usui servetur. Viz. ejus aliquid in cochleari calefiat, tum intingatur penicillum, eoque locus ulceratus attingatur.*

X. Guilielmus Rondelètius *pr. lib.* 1. *cap.* 65. In ulceribus narium post sufficientem detersionem nihil efficatius se inveniisse scribit *sufflitu*, qui partes illas profundas attingit & siccat. Parandus autem ex potentissimè siccantibus hoc modo:

℞. *Ladani puri, hypocistidis, mastichis, myrrhæ an.* ʒiij.

Styracis rubr. & calam. cort. thuris, sandaracha, auripigm. an. ʒij.

Excipiantur omnia therebinthina, & F. Trochisci, quibus suffiatur æger serò & manè in cubiculo,

Digitized by Google

atque ſuffitus naribus infundibuli ope excipiatur.

Optimum etiam eſt parare candelas ex cera rubra : etenim ob *cinnabarim*, cum qua hæc cera conficitur, fuligo iſtiuſmodi candelæ plurimum juvat exſiccationem ; ſi præſertim accendatur in cubiculo benè clauſo & anguſto. Quod autem fuligo accenſæ candelæ cum inſpirato aëre excipi ſoleat, experimur, cum diutius in ſtudiis moram trahimus noctu ; namque ſputum & narium excrementa fuligine denigrata redduntur. Dein addit : *hac ratione nos ulcus curavimus, quod neque ab Italis, neque à Gallis curari potuerat.*

Suffitus ſequentis pulveris (inquit Barbette *in chirurgia* prunæ impoſiti multa præſtat, modo cautè, & non niſi ſemel, aut ad ſummum bis quotidie uſurpetur, ne ſalivatio excitetur.

℞. *Benzoini, ſandaracha, maſtichis, thuris, Styracis an.* ʒj.
Cinnabaris factitii ʒß.
M. F. *pulvis pro ſuffimigio.*

Quæ porro in inveteratæ ozænæ curatione ſunt obſervanda, videri poſſunt apud Sculterum *armament. med. chirur. tab.* 37. Hiſtoriam ozænæ graviſſimæ cum oſſis palati eroſione ſanatæ refert Hildanus *cent.* 2. *obſ.* 22. Exemplum quoque naſi ulceris, apicem illius depaſcentis, feliciter curati, habetur apud Platerum *lib.* 2. *obſervationum.*

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Labiorum Ulceribus & Fissuris.

Ulcera labiorum qualia sint & unde proveniant.

I. NOnnunquam & labia occupant ulcera crustosa, sæpe quoque serpentia, orta ab *humoribus biliosis, acri-salinis, & quodammodo glutinosis*, qui miserè hujusmodi exulcerationibus labia inquinare & corrumpere solent.

Talia ulcera nonnunquam per modum crisεos in febribus intermittentibus contingunt, atque febris solutionem indicant. Sæpe etiam absque crisi ab humoribus vitiosis è toto corpore eò protrusis ortum habent. Vel à gallica lue proveniunt.

Horum ulcerum diagnosis.

II. Hujusmodi autem labiorum ulcera oculis obvia sunt; causæ vero signis investigandæ. Si per crisin accidant, febris adest. Si à morbo gallico, is etiam suis signis sese prodit. Si & febris & lúis venereæ signa absint, ex latente in corpore cacochymia ortum habent.

Prognosis

III. Cæterum labiorum ulcera, si in febribus cum coctionis signis appareant, plerumque bonum sunt signum, atque febris perfectam solutionem, vel imminutionem significant, ac per se facilè sanantur. Sed cum viribus debilibus, aliisque malis signis, si os & labra exulcerentur, sæpe lethale est. Etiam curatu difficiliora & pejora sunt, quæ à morbo gallico proveniunt.

Curatio.

IV. Igitur in febribus labiorum ulcera si critica sint, per se facilè sanantur. At à lue venerea quæ oriuntur, curanda sunt ut venerea lues; curatione sc. instituta per salivationem, decocta sudorifera, & similia. Talium ulcerum curatorum exemplum habetur apud Forestum *ib.* 14 *obs.* 2. ubi scribit, se juvenem (qui ex lue venerea labia ulcerata, inflata,

Digitized by Google

nigra, tumida, dura, carcinomatis instar, habuit) curasse universalibus ad morbum venereum, & panno hac decoctione imbuto labiis appositio:

℞. *Ligni sancti p.* ij.
Bulliat in pinta una aquæ solatri, dein coletur, & colaturæ add.
Aluminis ʒj. *iterum simul ebulliant & colentur, ac colaturæ detur usui.*

Si vero ulcera hæc absque febre & morbo gallico oriantur, ab humoribus nempe vitiosis acribus, è toto corpore eò protrusis, universalibus usurpatis, & diætâ conveniente haud neglectâ, adhibeatur *unguentum de ceruſa*, vel *album camphoratum*, vel *nutritum*, aut simile. v. gr.

℞. *Unguenti rosacei, nutriti, albi camphorat. an. p. æq. terantur diu in mortario plumbeo, donec linimentum evadat.*

Quod si tale ulcus exiccari non possit, tangatur *aquâ aluminosâ* Fallopii, descripta *cap. de ulceribus venereis*. Aut prudenter usurpetur *aqua viridis Hartmanni*: vel vulgaris *aqua mercurialis* seu *aluminosa*, quæ *vino gallico* & *aquâ plantaginis* diluta frequenter admoveatur.

Labiorum fissuræ.

V. Atqui cutis cum carni in labiis connnexa sit tantâ tenuitate, tantâ subtilitate, ac teneritudine, ut nisi labris laceratis ab iis separari non possit; hinc facilè à causis externis, ventis, frigore; ut & internis, humoribus puta & vaporibus salsis & acribus, vitiantur, finduntur, & ita scinditur, ut interdum etiam sanguinem fundant. Vitium hoc græci ῥαγὰδας, latini *fissuras* seu *sciſsuras labiorum* vocant. Quæ sanè non planè sunt negligendæ: namque turpitudinem pariunt, atque in crustosa & difficulter curabilia ulcera quandoque degenerant.

Quomodo Curari debeant.

VI. Solent vero haud difficulter sanari labiorum fissuræ, innuncto *candelarum sevo*: vel inungatur *un-*

Digitized by Google

guentum rosarum, aut *pomatum*; vel fiat litus ex *recenti axungia gallinæ*, *& cerâ albâ rosaceâ*, *aquâ sæpius lotis*.

Aëtius *ovi pelliculam internam* fissuras labiorum agglutinare tradit.

Sed ad labiorum ut & mammarum fissuras admodum conducit *sevum hircinum liquatum in aqua rosacea*, si pars affecta eô illinatur. Etiam utile est *oleum è vitellis ovorum recenter expressum*: uti & *oleum ceræ sine fuco recenter destillatum*. Vel quod sequitur:

℞. *Butyri insulsi* ℥j. *Ceræ flavæ* ℥ß. *Liquatis admisceatur*,

Succi uvarum carulearum recentis q. p.

F. *exinde S. A. globulus*, *quô labia fissa oblinantur*.

CAPUT. XIV.

De Ulceribus Oris.

Oris ulcera qualis sint, & quomodo fiant.

I. PRæter ulcuscula quæ in internis oris partibus oriuntur, illarumque superficiem depascunt, & *aphthæ* vulgo nuncupantur (de quibus verba facere nunc animus non est) *in ore*, *faucibus*, *aliisque intra os contentis partibus* serpentia non raro observantur ulcera; quæ aphthas exulceratas nonnunquam sequuntur: aliquando post inflammationes & per se, ut in aliis partibus, ex affluxu vitiosorum humorum fiunt; quemadmodum & in gallico morbo excitantur.

Qua ratione Curati debeant.

II. In ulceribus hisce curandis, quoque totius corporis habenda erit ratio per purgantia identidem exhibita, quandoque venæsectiones, & si malignitas adfuerit, decocta sudorifera, antivenerea, quæ hîc magni usus sunt.

Externa media etiam hîc abstergentia sint, atque

Digitized by Google

ſiccantia. Quem in finem Barbette hanc oris collutionem valdè extollit.

℞. *Fol. quercus* Mj. *Flor. roſarum, balauſtiæ, an. p. j.*
Cort. granator. ʒij. *Alum. uſt.* ℈ij. *Vitrioli alb.* ℈ß.
Coq. inſ. q. vini rubri adſtringentis ad ℥viij. *colaturæ add.*
Diamoronis, mellis roſacei an. ʒj.
Miſceantur pro oris collutione.

Ad ſordida oris ulcera utilis quoque eſt *aqua viridis Plateri*:

℞. *Eruginis* ʒj. *Aluminis* ʒß. *Vitrioli, minii an.* ʒj.
Coq. in vini albi ℥iv. *Aq. vitæ* ʒj.
Huic aquæ intincto penicillo loca in faucibus ac ore tangantur, cavendo ne quid deglutiatur. Poſtea lacte dulci in quo calx ignitus ſit extinctus, os colluatur.

Etiam à multis uſurpatur *Unguentum Ægyptiacum in aqua plantaginis cum pauco aceto diſſolutum, addito melle roſaceo.*

Verum acria hæc ſerpentibus horis ulceribus, in primis ſi in carcinomatis naturam vergant, adverſiſſima ſunt. Hildanus *cent. 3. obſ.* 86.

Hinc in oris ulceribus non cancroſis hoc conducit linimentum:

℞. *Mellis roſacei* ℥iß.
P. alum. uſti ʒß. *Myrrhæ optimæ* ℈j.
Ol. ſulphuris gutt. x.
Miſceantur.

Barbette laudat linimentum *ex* ʒiij. *unguenti fuſci Felicis Wurtzii, & ʒij. mellis roſacei, inter ſe mixtis.*

Sed ad oris, omniumque ejus partium ulcera, ſive ſint uvulæ, ſive tonſillarum, ſive linguæ, ſer-

Digitized by Google

pentia, etiamsi cancrosa, sequens linimentum utilissimum semper observavi:

℞. *Mellis rosacei* ℥iij. *Tincturæ Saturni* ʒiij. *vel* ʒiv.
Misceantur exactè.

Eum in modum quoque fieri potest gargarisma vel oris collutio:

℞. *Aq. caprifolii, plantaginis an.* ℥vj.
Mellis rosacei ℥iij. *Tinct. Saturni* ʒiij. *vel* ʒiv.
Misceantur.

At verò si in latere linguæ nascantur ulcera, videndum num dens aliquis acutior sit, qui saneſcere sæpe ulcus non sinit, quique proinde limandus, vel evellendus est.

Os palati quum exesum sit quid agendum.

III. Cæterum in oris exulceratione *os palati* ab humore corrodente non rarò perforatur & corrumpitur: quod ubi evenit, sermo vitiatur; cum aër, qui per os elidi debeat, simul per foramen illud ad nares penetret, per easque egrediatur. In tali casu si os nigrum sit, radendum id prius, dein ex arte curandum. Sed antequam foramen illud claudatur, vel si planè claudi non possit, ut vitium illud sermonis tollatur, fabricanda est minutissimis foraminibus perforata lamina aurea vel argentea, instar clypei, quæ in medio eminentiam habeat, cui spongiosa sicca, foraminis magnitudini respondens, alligetur, atque ita foramini adapteretur: ubi enim spongia humorem imbiberit, dilatatur, ut lamina firmiter hæreat, foramenque claudat.

Ulcera oris scorbutica quomodo tractanda.

IV. Ad ulcera oris, gingivarum præsertim, scorbutica conducit linimentum *ex melle vulgari vel rosaceo, cum alumine usto & spiritu vitrioli.* Vel talis oris collutio.

℞. *Aq. plantaginis* ℥iij.
Antiscorbuticæ, vini albi gallici an. ℥iß.

Digitized by Google

Cinamomi ʒij. *Alum. crud. pulv.* ʒiiß.
Miſceantur.

Si vero gingivæ, parteſque vicinæ nigreſcant, adeo ut gangræna metuatur:

℞. *Aq. antiſcorbuticæ* ℥vj.
Theriaces, ſalis abſynthii an. ʒj.
Mellis roſacei ℥j.
Alum. crudi ʒiß. *Sp. vini* ʒvj.
Miſceantur.

Denique *fiſtuloſa* ſæpe *ulcera* gingivas obſident, unde vicini dentis radix cariem contrahit eò uſque, ſaniei acrimoniâ omnino denudetur. Quo in caſu carioſum dentem evellere oportet: ſic enim brevi curabitur fiſtula.

CAPUT XV.

De Pectoris Ulceribus & Fiſtulis.

I. QUandoque & ULCERA in PECTORE excitari ſolent; quorum alia ſunt *penetrantia* & *fiſtuloſa*, hinc & FISTULÆ THORACIS meritò dicta; alia verò *non penetrantia*: & ex his alia majora, alia minora, alia profundiora, alia minus profunda, alia antica, alia poſtica, alia lateralia ſunt. Pectoris ulcera qualia ſint

II. Hujuſmodi autem thoracis ulcera, fiſtuloſa, in primis oriuntur vel ex cauſis internis, vel ab externis. Atque ſequuntur non rarò aut empyema, aut pleuritidem, quæ ritè per ſputum evacuata non fuerit, dehinc foras apoſtema effecerit. Inſuper poſt tumores, aut vulnera thoracis malè curata, fiſtulæ in pectore ſæpe excitari ſolent, quæ difficilis ſunt curationis; præſertim ſi oſſa, ſternum puta, ſpina dorſi, aut coſtæ ſimul afficiantur. & unde fiant.

III. Hæc autem thoracis fiſtulæ cognoſcuntur fa- Mo.bi

Digitized by Google

hujus diagnosis, & prognosis.

cilè, & oculis patent; sique penetrent, stylo, vel aëris egressu observantur.

Cæterum penetrantia thoracis ulcera in fistulas perfectas non rarò terminantur: & quando pus non ritè expurgatur, ac in thoracis cavitate retinetur. Patiens empycus fit; hinc tabidus macilentus & marasmodes evadit. „ Omnes thoracis fistulæ, ait Pigræus *prax. chir. libr. 5. cap. 5.* difficilis sunt cu„ rationis, longèque est satius eas palliativè curare, „ optimâ vivendi ratione adhibitâ, quam accura„ tius; hac spe, quasi persanari brevi possent.

Atque ideo in primis si vetus sit fistula, curâ tantum utendum palliativâ, cum harum partium fistulæ rarò sanentur: unde qui fistulâ thoracis penetrante laborant, solent plurimum toto vitæ tempore argenteam gestare fistulam. Et scribit aquapendens, nonnullos se novisse, qui viginti quinque & triginta annos talem gestarunt, & vitam satis commodam duxerunt.

Porro quæ in dorso sunt fistulæ, periculosiores sunt ob majorem nervorum copiam & spinalem medullam vicinam, ac raro sanantur. Quæ in musculis sunt circa magna vasa, non satis tuto curantur. At non penetrantia thoracis ulcera, quæ sunt absque ossis corruptione, facilè curam suscipiunt.

Curandi Methodus

IV. Enimvero thoracis ulcera non penetrantia, sicut aliarum partium ulcera curantur: & si putrida sint, ad putridi ulceris curationem respiciendum.

Penetrantia autem seu fistulosa quæ sunt, & medicamentis internis & externis curari debent, haud secus ac de ulcere fistuloso superius indicavimus. Orificium vero, nisi id satis hiet, in primis dilatandum, immissâ turundâ ex *spongia præparata*, vel *radice gentianæ*, vel *medullâ sambuci contortâ*, vel aliquo simili; quæ filo appendenda, ne in thoracis cavitatem ingredi possit. Dein turunda cava plumbea

Digitized by Google

vel argentea similiter filo alligata immitatur, ut sic materia sæpe & sensim evacuetur ulcus interim, partesque internæ detergantur injectionibus *ex decocto hordei cum melle roſaceo*, cui & *hydromel* addi potest. Vel fiat talis:

℞. *Rad. aristoloch. rot. iridis Florent. an.* ʒiij.
Herb. agrimoniæ, hyperici, centaurii min. vincæ per vincæ an. Mj.
Flor. roſar. rubr. Mß. *Hordei M. pug.* iij.
Coq. in duabus partibus aq. comm. & una parte vini albi ad ℥xxij. *Colaturæ add. mellis roſacei* ℥iij. *vel* ʒiv.

Et quum opus fuerit ulcus carne replere,

Pulv. myrrhæ iridis, ſang. draconis an. ʒj.
M. F. ex his injectio.

Quam vero glutinare & exsiccare expedit, haud inutile erit id quod sequitur.

℞. *Therebinthinæ optimæ* ʒj. *mellis communis* ʒiß.
Farinæ lupinorum. ℥ß. *Fabarum* ʒij.
Succi apii, plantaginis, agrimoniæ an. ʒj.
Pulv. myrrh. maſtichis, thuris an. ʒij.

F. *ex his ſuper igne S. A. unguentum*; quô turundæ & penicilli illinantur, ac desuper ponatur *emplaſtrum de ſcavona*, vel *diapalma*, vel *de minio*, sicque ulcus carne oppleatur, & cicatrice occludatur.

V. Verum obliquus, flexuosusque si sit fistulæ sinus, nec non fistulæ finis declivis; præstat universum fistulæ flexuosum, declivemque sinum *turundâ ex ſpongiâ compreſſâ, vel radice gentianæ* dilatare non tantum, sed quoque Scalpello, aut potius parvo cultello unam aciem habente, eamque in extremitate paulo intus recurvatam, (cujus cuspidi insuper exiguus affixus sit globulus ex cera alba) discindere; ac ad fundum usque aperire. Enimvero citissima & quasi momentanea fistulæ thoracis inci- Thoracis fistula obliqua & flexuosa quomodo tractari debeat.

Digitized by Google

sio est, quæ fit syringotomo, quod in altera extremitate habet aciem, circa cuspidem globulo cereo obvolutam, quo minus in immissione carnes laceret. Hinc in fistulam immittatur, ac ubi ad fundum ejus pertingit, per carnem & cutem superincumbentem dextrâ adigatur, ut globulo cereo in ulcere remanente cuspis cutelli per foramen factum exeat: qua digitis sinistræ apprehensa, amborum foraminum interstitium, unico quasi ictu, incidatur.

VI. Insuper contingit nonnunquam, quod fistula non solum declivis sit & terminum habeat inferius, sed etiam à spatio intercostali superiore subtus costam sese insinuet; viz. inter pleuram & costam, donec in alterum intercostale spatium subjectum terminetur. In hoc casu C. Celsus vult, præcidendam esse & eximendam ex utraque parte costam. Sic enim loquitur *de re med. lib. 7. cap. 4.*, Solent „ autem inter costas fistulas subterire, quod ubi ac„ cidit, eo loco costa ab utraque parte præcidenda „ & eximenda est, ne quid intus corruptum relin„ quatur. Quæ operatio quam difficilis sit, quam periculosa, unicuique facilè patet. Hinc potius talis fistula pertundatur instrumento ab aquapendente excogitato. Imitatur viz. cannulæ argenteæ & incurvatæ extremitas, ad fistulæ fundum usque, ut exterius spectet: dein per cannulam fistulæ immissam impellatur acus longa (quæ non longè à cuspide foramen habet, & filum ducit) ut fistulæ fundus perforetur, & filum per superiorem & inferiorem sinus portam exeat. Perforato fistulæ fundo, eximatur acus per novum sinus foramen, & fili extremitates colligantur, ut fistulæ foramina teneantur aperta, ac materia purulenta per inferius effluat, donec sinus subtercostalis vel carne repleatur vel agglutinetur. Hunc fistulam thoracis curandi apparatum

Digitized by Google

tum exponit Scultetus *armament. med. chir. tab.* 38. Atque thoracis fistulæ acu pertusæ, & hoc modo sanatæ exemplum adfert *obs.* 44.

VII. Sed non raro quoque accidit, fistulam intus penetrare in costam, vel claviculam, vel sternum: quæ ossa cum sint cavernosa, solet facilè in iis pus colligi, & serpere perpetuo corruptio vel costæ, vel claviculæ, vel sterni. In hoc casu candens ferramentum per cannulam ad costam aut claviculam inferatur, omnisque putredo exsiccetur & absumatur, parsque corrupta roboratur; ita enim cicatrice obducetur. Vel fistulæ sinu ad costam aut claviculam carioſam usque, immissâ ex *compressa spongia*, vel *radice gentianæ* turundâ, abundè dilatato, ossi carioso inspergatur *pulvis euphorbii*, sicque caries auferatur, ac sinus consolidetur. Fistulæ thoracis, cum erosione claviculæ, brevi tempore curatæ, exemplum videre est apud Scultetum *obs.* 40.

Ad costam, claviculam, vel sternum si penetret fistula. quidagendum.

At vero si sternum corruptum, aut aliqua saltem labe affectum sit, amplianda fistula, aut ferramento incidente, aut turundâ ex compressa spongia vel radice gentianæ; dein pars ossis corrupti abradenda, usque dum caro laudabilis paucas post horas illi accrescat. Quod si caro isto temporis spatio non succreverit, indicio erit, totum corruptum os non esse abrasum, ac proinde rasionem repetendam, donec caro optima adnascatur, quo aliis postmodum remediis detur locus, & curetur fistula. At nunquam deveniendum est ad inustionem ipsius sterni, uti rectè monet Petrus de Marchettis *obs. chir.* 39. quia non abscedit, aliorum corruptorum ossium more: additque se observasse, inustum sterni os in multis non abscessisse, nisi elapsis duobus tribusve annis. Quod idem affirmat Dom. de Marchettis P. F. *Anatomes cap.* 9.

Digitized by Google

Cæterum ulcera fistulosa in pectoris dextra sede, juxta papillam curata: videri possunt apud Platerum *lib. 2. observ.* ubi habetur quoque ulcus fistulosum in dorso, à scapula ad lumbos usque pertingens, sanatum. Fistula mammæ dextræ curata extat apud Scultetum *post armament. med. chir. obs.* 75. Ex vulnere thoracis fistulam subortam, quæ spatio aliquod mensium pervadens ad capsulam cordis, hujus substantiam ad cavitatem usque absumpsit, observavit Petrus de Marchettis *obs. chir.* 47.

Thoracis fistula inveterata & planè desperata, qua ratione tractanda.

VIII. Omnes autem thoracis fistulæ difficillimam recipiunt curationem, ita ut interdum tum medici, tum ægrotantes defessi, & spe destituti, curam ipsi naturæ relinquant: quo in casu aquapendens fistulæ orifitio imponit *pilam ex cera alba*, appensum filum habentem; præcipitque ut quotidie ea mordetur ac tractetur, veluti si esset fonticulus, curandoque ipsam in posterum ut fonticulum, non ut fistulam, sicque temporis progressu caro gignitur quandoque per totum fistulæ ductum, atque ita fistula, alioquin insanabilis, non raro sanatur.

CAPUT XVI.

De Abdominis Ulceribus & Fistulis.

Abdominis ulcera qualia sint.

I. HAud secus ac in *thorace*, ita quoque in VENTRE INFERIORE quæ excitantur ULCERA, alia sunt *penetrantia*, alia *non penetrantia*. Non penetrantia dicuntur illa, quæ peritonæum non perforant: penetrantia verò, quæ usque ad partes intra peritonæum contentas pertingunt.

Unde oriantur.

II. Oriuntur autem ulcera in infimo ventre iisdem ex causis, ex quibus in aliis partibus excitari solent: ex casu viz. percussione, inveterato vulnere,

Digitized by Google

post suppuratum apostema, ex acris erodentis materiæ confluxu, ex acribus medicamentis appositis, hisque similibus. Et sanè abdominis abscessus, à quibus postea ulcera relinquuntur, frequentius occurrunt, quam vulgus medicorum putat. Ita Galenus *lib. 5. de locis affectis cap. 7.* refert, Stesianum quendam, quasi abscessum in hepate haberet, ab aliis medicis curatum fuisse: id quod Galenus negavit & monstravit abscessum fuisse inter musculos transversos & obliquos abdominis. Similem fere historiam habet Dodonæus *obs. med. cap. 29.* de quodam scriba, qui cum dextri lateris dolore cum febre esset correptus, juxta ac paulo infra costas notharas, medicumque accersivisset, qui ipsum ut pleuriticum curaverat, atque inde pejus haberet, dodonæum vocavit; qui exhibito primum leni purgante, cataplasma emolliens applicavit, ac tumore emollito tandem sectionem instituit; cumque ex abscessu copiosum pus effluxisset, æger adhibitis ulceri idoneis remediis convaluit. Scribit quoque Sennertus *prax. lib. 3. part. 10. cap. 8.* Vietoris uxorem simili tumore ad ipsam ferè ventriculi regionem laborasse, qui cum in tantam magnitudinem excrevisset, ut propemodum duos pugnos æquaret, sectione eum aperiri curavit: ex quo abscessu maxima puris copia effluxit, magno cum fœtore, fluxitque pus postea aliquot dies, ægraque idoneis ulceri curando medicamentis adhibitis, tandem convaluit. Narrat insuper Fabritius Hildanus *cent. 2. obs. 38.* virum quadragenarium, robustum, dolore lateris dextri ad finem costarum notharum laborantem ad se lausannam venisse. Cum vero nullus tumor apparet, sed saltem dolor cum febricula adesset, atque purgantia, fomentationes, cataplasmata, inunctiones, discutientia, resolventia, & anodyna per aliquot dies sine fructu applicarentur, nihilominus dolor punc-

Digitized by Google

torius & pulsatorius circa regionem hepatis & peritonæum persisteret, & si in cure nihil appareret, dolore locum affectum monstrante, sectio facta est: quâ peractâ pus copiosè effluxit, neque diu post febris, dolor, lypothymia paulò cessarunt; ulcus tamen propter puris copiam quæ effluxit, per aliquot menses apertum servatum fuit, ægerque tandem sanatus. Et certè si pus collectum esse animadvertatur, maturè absceſſus aperiendus, ne nimia puris copia colligatur, quæ dein vel peritonæum penetret, & in abdominis cavitatem defluat: aut postea sine vitæ periculo evacuari non possit: cujus rei historiam habet *cent.* 2. *obs.* 39. de viro quadragenario, qui in dextro hypochondrio absceſſum immensæ magnitudinis habebat, ut cutis totius ferè lateris ab illi osse usque ad costas veras, lineamque albam & spinam dorsi puris plena & elevata esset, cum dolore continuo lypothymia, nausea, appetitus & virium prostratione, vocatus Hildanus ob periculi magnitudinem tumorem aperire recusavit; quod cum postea Barbitonsor quidam feciſſet, & vomicam aperuisset, maxima puris copia inde efflúxit, & dolor quidem aliquo modo imminutus est, sed intra biduum æger exspiravit. Unde ille monet, ut juniores Chirurgi in aperiendis magnis absceſſibus cauti sunt, & materiam non confertim, sed sensum & per vices evacuent. Scribit porro Petrus Estanove *obs.* 2. puerum quendam ventris tumore laborantem, hydropicum habitum fuisse, cumque umbilicus valdè promineret, apertio tandem facta est, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluxere, sicque omnino æger curatus est adhæc plurima & admiranda absceſſum abdominis exempla adferri possent, quorum quemdam licet videre apud Th. Burnetum *in thesauro medicina practica libr.* 1. *sect.* 4. Ex quibus postea non exac-

Digitized by Google

tè curatis, non rarò ulcera relinquuntur in abdomine, non penetrantia; imo & nonnunquam penetrantia seu fistulosa.

III. Enimverò *id abdomine* quoque interdum fistulæ, in primis super pubis latera fiunt, cum eum in locum humores facilius decumbant, atque ibidem hæreant. Insuper & corrumpuntur sæpe, putredine inficiuntur, ac corroduntur simul intestina, ut per fistulam etiam fæces alvi egressas fuisse, compertum sit. Sic per umbilicum, post abscessum inter pectinem & umbilicum ruptum, puero cuidam Mediolanensi fæces alvi exiisse, refert Cardanus *de subtilitate lib.* 18. Et Alexander Benedictus *prax. lib.* 10. *cap.* 24. narrat, cuidam puero veneto ex abscessu intestina perforata fuisse, ut per umbilicum magnam excrementorum partem singulis diebus emitteret; sano tamen similem per domum ambulasse. Scribit quoque Fabritius Hildanus *cent.* 1. *obs.* 51. se vidisse adolescentem duodecim annos natum, qui tumore musculorum abdominis laborabat, quo rupto excrementa per quatuor aut quinque hebdomades per eum locum, nil vero per alvum egessit. Quæ autem in ejus cadavere inventa sunt, ibidem licet videre. Atque *cent.* 1. *obs.* 54. & 55. similes fere narrat historias. Refert quoque Petrus de Marchettis *obs. chir.* 53. sibi visum patrem quendam Theatinum laborantem fistulâ umbilici, ad intestina usque penetrante, de quorum dolore erant quærelæ ex demisso statim in eandem specillo: qui tamen brevi temporis spatio curatus est. Adhæc Platerus *obs. lib.* 3. scribit, Capitaneum quendam ante multos annos in ventre vulneratum, stercus per fistulam, quæ sanato vulnere illic remanserat, multos annos incolumen alioquin & superstitiem excreviisse. Etiam de muliere gravida refert, cui tuberculum nucis juglandis magnitudine in sinistra

Fistulæ abdominis.

Digitized by Google

abdominis ſede, tranſverſæ manus ſpatio ab umbilico erupit, quod in abſceſſum, indeque in ulcus ſinuoſum abiit, ex quo aperto ſanies & pus copioſe effluxerunt, tuncque pruritu ſaltem quodam remanente, dolor penitus remiſit, ipſaque nihil mali paſſa, fœtum vivum & ſanum, ſtato partus tempore peperit, niſi quod excrementa alvi, per ulcus illud ſinuoſum apertum progredicbantur; quæ ab eo tempore omnia, non amplius per alvum, per hanc aperturam expurgabantur, & ut procederent, mulier ipſa manibus ventrem premendo, bis quotidie ſic ab illis ſeſe exonerabat. Narrat quoque Chirurgus hujus urbis expertiſſimus Ravenſvvay, ſibi viſum in muliere, ob eroſionem inteſtini, non tantum excrementa, verum etiam duos vivos lumbricos ex inguine prodiiſſe, quæ tamen perfectè fuit curata.

Hiſtoria.

Ulcerum abdominis diagnoſis, & prognoſis

IV. Cæterum penetrantia hæc infimi ventris ulcera dignoſcuntur ex ſtyli vel candelæ cereæ immiſſione: cum nimirum multa horum portio ingrediatur, & ex vini injectione ſyphone facta. Enimvero in penetrantibus abdominis ulceribus intra peritonæum vinum penetrat. In non penetrantibus vero reſſuit, ſtylique ſive cereæ candelæ panca portio intra ulcus ingreditur. Porro quæ non ſunt penetrantia abdominis ulcera, facilioris ſunt curationis. Quæ vero ſunt penetrantia, frequenter in fiſtulas abeunt, & difficulter ſanantur.

Curandi methodus

Ad *curationem* vero quod attinet: non penetrantia, abdominis ulcera, ſicuti aliarum partium ulcera. Curari debent, cum nihil peculiare habeant. Atqui ulcera hæc ſi ſint magna, ſinuoſa, vel fiſtuloſa, non aliter quam inciſione curantur: & quidem ſi fiſtula unum orificium habeat, utendum eſt ſyringotomo altera extremitate acuto, ut finis fiſtulæ perforetur, & totus fiſtulæ meatus diſſecetur atque

Digitized by Google

aperiatur. Si vero fistula plura orificia habeat, syringotomo utendum altera parte obtuso, & exiguum globulum præfixum habente, quo etiam tota fistula aperiri possit. Vel fiat apertio Cultro seu Scalpello longo manubriolum similiter longum habente; qui Culter unâ tantum parte aciem habeat, in extremitate paulò intus recurvatam, exteriorem vero partem retusam obtineat, ad cujus cuspidem ex cera globulum infixum esse oportet, quo intus per totum fistulæ ductum sine obstaculo demittatur.

VI. At vero si penetrantia & fistulosa fuerint talia ulcera, fucatâ curatione, sicut de penetrantibus pectoris ulceribus diximus, uti debemus, servatâ optimâ victus ratione, utque decet detersо ac mundificato ulcere. Scribit tamen Fabritius ab aquapendente, se istiusmodi abdominis ulcera penetrantia ac fistulosa, affectis etiam intestinis curasse, & curata vidisse; non manu, non ferro, non igne, non aliis medicamentis: sed solis *aquis thermalibus*, per insessiones mane & vesperi in iis factas, ita ut aqua per fistulæ foramen in cavitatem abdominis ingrederetur, intestinorumque erosiones suâ substantiâ pertingeret, & attingendo exsiccaret, purgaret, impleret, tandemque cicatricem induceret. Et in thermarum defectu *sulphur*, *alumen*, *& sal in aqua liquare & decoquere*, ac insessiones moliri, utile censet.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De Vesicæ urinariæ, & pudendorum ulceribus.

Vesicæ urinariæ ulcera unde oriatur.

I. FIunt quoque ULCERA in VESICA URINARIA, vel in *ejus fundo*, vel in *collo*; idque ab affluentibus humoribus acribus; vel purè è locis superioribus transeunte, ibidemque nimiam ob visciditatem hærente; aut medicamentis vesicam exulcerandi vim habentibus, inter quæ præcipuè numerantur *cantharides* incautè assumtæ. Insuper post inflammationem & abcessum vesicæ malè curatum, non rarò ulcus reliqui solet. Oriuntur quoque vesicæ ulcera à calculo asperiore vesicam lædente, quale exemplum refert Platerus *lib.* 3. *obs.* Atque à vasorum ruptione & læsione, ex percussione, lapsu, vulnere, ac simili causa violentâ externâ.

Ulcerum horum diagnosis

II. Cognoscitur verò hujus partis ulcus è squammulis & pure, quæ cum urina minguntur, nec non gravi urinæ odore, si ulcus sit sordidum: dolor quoque adest gravis in pectine & pube, quoties ægri mingunt: nonnunquam etiam cum ulcus serpit, subcruenta & sanioſa eminguntur. Urinæ quoque difficultas accedit, sæpe & continuus egerendi conatus, ac membri virilis erectio.

An autem in fundo vesicæ ulcus consistat, an juxta urinarium meatum, eo discernitur: quod si in fundo vesicæ fuerit, dolor circa pubem percipitur: si vero juxta meatum urinarium, tempore mictionis magis deprehenditur, ac imprimis ubi mingere incipiunt & desinunt ægri.

Prognosis

III. Porro vesicæ ulcera ferè incurabilia sunt; quia in parte sunt membranosa & urina, quæ mordax est, continuò illô transitu vellicat, & consolidationem impedit. Periculosiora autem sunt istius-

Digitized by Google

modi ulcera quæ ex erosione sunt orta, quam quæ ex aliis causis. Etiam difficilius & rarius curantur in senibus quam in juvenibus. Ulcus quod est à calculo, non curatur, nisi prius is extrahatur.

Curandi methodus

IV. In curatione absterſionem & consolidationem quoque requirunt vesicæ urinariæ ulcera: interim tamen præcavendum, ne ulcus irritetur, latiusque serpat; sed ut dolor leniatur danda opera, uti & urinæ ardor ac difficultas. Id quod præstant emulsiones ex *amygdalis, seminibus quatuor frigidis maj. &c.* Atqui ad ulcus abstergendum, simulque leniendum sumat patiens bis in die, sequentis electuarii particulam magnitudinis avellanæ:

℞. *Therebinth. venet. crud.* ℥j.
Cassiæ fistulæ rec. extr. ℥iß.
Pulv. liquiritiæ elect. ʒiij.
Occul. cancr. crud. ʒij.
Salis prunellæ ʒj.
Merc. dulcis ʒß.
Balsam. sulphuris gutt. xxvj.
Syr. althææ fern. q. s. M. F. *elect.*

Dein superbibat largiorem hausturn hujus decocti:

℞. *Rad. althææ, consolid. maj. liliorum alb. an.* ℥iß.
Glycyrrhyzæ rasæ ℥j. *aut.* ℥ij.
Herb. bugulæ rec. Miij.
Agrimoniæ, veronicæ, pyrolæ, sanículæ, an. Mj.
Capit. papaver. cum seminibus ℥ß.
Coq. in s. q. aq. puræ ad ℔iv.

Electuarii loco proderit bis quotidie sumere guttas 6. aut 7. *balsami sulphuris therebinthinati*, vel *succinati*, vel *balsami copaive*, vel cochlear *aquæ gonorrhœalis Quercetani*. Vel mane & vesperi usurpentur *pilulæ ex terebinthina, liquiritiæ, troch. Alkekengi, &c.*

Digitized by Google

Barbette ſequens laudat :

℔. Troch. Alkekengi, de carabe,
Gypſi uſti an. ʒß.
Boli armeni, terræ ſigillatæ, cranii humani an. ʒj.
Therebinthinæ venet. q. ſ.
F. S. A. *pilulæ piſi magnitudine.*

Multi hoc in caſu miris laudibus extollunt *trochiſcos Gordonii.* Ulcus enim mundant, dolorem ſedant, & urinæ ardorem mitigant, ſimulque conglutinant.

V. Interea in veſicam per catheterem infundatur *lac recens cum melle roſaceo.* Et certe quæ per catheterem injiciuntur non rarò tantum proſunt, quam ore ſumpta; cum longa à ventriculo ad veſicam via ſit, in qua vires medicamenti non parum alterantur. Barbette hanc proponit injectionem :

℔. Aq. calcis vivæ ʒiij.
Plantaginis ʒij.
Sief albi rhaſis ʒj.
M. pro injectione, ſingulis diebus ter quaterve uſurpanda.

Aqua calcis, nihil aliud eſt, quam *aqua communis, in qua calcis vivæ particula ſit extincta.* Sed cavendum, ne acris nimis efficiatur.

VI. Ulcus vero quod eſt à *calculo* non curatur, niſi calculus tollatur : quem tamen extrahere nonnunquam periculoſum eſt propter ulcus. Ideoque ſi ulcus ſit profundum, tutius eſt emplaſticis & lenientibus ſaltem medicamentis uti, ut lapidi quædam lævitas inducatur, ulcuſque mitigetur; quod optimè fit *uſu lactis dulcis, in quo althæa radix ſit decocta.*

VII. Si ulcus ſit *à cantharidibus* atque id recens, *lac dulce* copioſè bibendum; vel ſumenda *emulſio ex ſeminibus quatuor frigidis maj. papaveris albi, &c.* Vel *emulſio fiat ex ſemine cannabino, addito colaturæ ſyrupo althææfern.* Dein conſolidandum cum *tragacan-*

Digitized by Google

tha, *bolo armeno*, *terra sigillata*, similibusque. Si vero antiquum sit, ut alia ulcera tractandum.

Insignem ulceris vesicæ curari historiam licet videre apud Fabrit. Hildanum *cent. 3. obs. 69.* Adhæc vesicæ ulcus, multis aliis frustra tentatis remediis, tandem *aquarum spadanarum* continuo usu sanatum fuisse, refert Tulpius *obs. med. lib. 2. cap. 53.*

VIII. At vero in virili pudendo non raro etiam excitantur ulcera: eaque sunt vel externa vel interna: atque alia sunt in præputio, alia in glande, alia circa glandem, alia per reliquum membrum: insuper alia sunt pustulis similia, alia sicuti excoriatio, alia corrosiva & virulenta; alia porro recentia sunt, alia antiqua, putrida, & cavernosa. Penis ulcera.

IX. Horum ulcerum origo aliquando est à causa externa, ut à difficili ac violento coitu cum virgine vel fœmina, cui angustius pudendum est; vel à coitu non difficili quidem, sed multiplicato nimis, penemque inflammante, uti & è dura longaque equitatione: quandoque à causis internis, uti à sorde simplici & non contagiosa inter glandem & præputium hærente, ibique putrescente, contracta ex coitu cum muliere non infecta. Hinc enim pustulæ exiguæ instar granorum milii è glandis superficie emicare solent, quibus maturatis ruptisque ulcuscula rotunda, & in medio punctum albicans habentia expullulant, aliàs dispersa, alias ita densa, ut ex pluribus unum tandem fiat. Ulcerum horum Causæ.

Præterea è contagio excitari possunt hujusmodi ulcera, ut iis accidit, qui rem cum infecta muliere habent: viz. ex seminali humore corrupto, ac inter glandem & præputium retento, partemque istam erodente, exulcerante.

X. Sunt autem manifesta satis partis hujus ulcera, cum glans à præputio denudari possit, & ideo aliis signis non esse opus. Si vero propter tumorem præ- Diagnosis.

Digitized by Google

putium deorsum trahi non possit, & ulcera oculis non appareant, tunc dolore, tumore, & saniei ejectione dignoscuntur.

Prognostica. XI. Cæterum periculosa sunt ulcera in pene, utpote in organo fungoso, hinc & corruptioni facilè obnoxio: unde serpunt facilè, & difficulter sanantur, in primis quum urina per penis meatum effluens curationem impediat. Præterea pars ipsa sensu exquisito prædita est: qua de causa istiusmodi ulcera acria medicamenta sustinere non possunt, quæ alioquin hîc prodessent. Ulcera quæ à lue venerea in his partibus excitantur, non curantur, nisi morbo illo prius curato, cum ab ejus malignitate foveantur.

Insuper ulcera hæc aliquando in cancrum abeunt, vel gangrænam inducunt, ut totum membrum virile abscindere opus sit, cujus rei habent exempla Valescus de Taranta, Fabritius Hildanus, aliique.

Curandi methodus. XII. Quando igitur penes ulcera parva & benigna sunt, topicis facilè curantur: atque in hujus partis excoriatione sufficit partem *vino gallico*, vel *aquâ rosaceâ & plantaginis, cui & vinum addi potest*, identidem abluere; & si majori exsiccatione opus sit, iis parum *aluminis* addatur: vel illinatur *unguentum de tutiâ*, aut *album camphoratum*, aut *diapompholigos*, similève. Enimvero medicamenta in ulceribus hisce conducunt, quæ insignem siccandi vim habent, & hoc non solum ulceris, sed & partis affectæ ratione, qualia sunt *C. C. Ustum, ostreorum ebur ustum concha combusta, alumen, tutia, lythargyrum, plumbum ustum, æs ustum, flos æris cerussa antimonium*, & similia; ex quibus pulveres, linimenta, & lotiones parari solent. v. gr.

℞. *Aq. ferratæ vel plantaginis* ℔j.
Rasur. cort. guajaci ℥j. *Aluminis* ℥ß.
Rosar. rubr. ʒj.

Digitized by Google

Coq. S. A. & colentur. *Abluantur ulcera hoc decocto sæpius.*

℞. *Aq. decoctionis mytilorum q. v.*
Florum æris q. s.

Stent in digestione ad radios solares aliquot dies, dein liquor decantetur, eôque frequenter abluantur hujus partis ulcera.

Si vero ulcera fuerint antiqua, sordida, putrida, sanioſa, calloſa, virulenta, ac serpentia, in primis abluenda sunt *hydromelite cum alumine*; cui & *spiritus vini* addi potest. Vel:

℞. *Vini albi* ℥vj. *Aq. plantaginis, rosarum an.* ℥ij.
Floris æris ʒß. *Aluminis crudi* ʒiß.
Misceantur, & parum ebulliant.

Utile quoque est *unguentum ægyptiacum* & *Apostolorum*, ut & *aqua aluminosa* vel *mercurialis.*

Etiam *mercurio præcipitato rubro cum linimento mixto* utendum: non tamen in ejus usu diu persistendum: sed quando quo calloſum & virulentum absumptum est, fovenda pars affecta *decocto malvæ althææ, seminis lini, &c.* & medicamentum digestivum idoneum ulceri imponendum, donec quod corruptum est separetur, ut in curatione luis venereæ fieri solet.

Si vero penis & præputium valdè intumuerint, *cataplasma imponatur ex floribus camomillæ, sambuci, meliloti rosarum, farina seminis fœnigraci, & similibus.* Quod si nec hoc modo pars exulcerata detumescat, & dolor perseveret, ulcusque serpat, præputium secundum longitudinem incidendum, ut ulcus mundari, ac convenienti modo curari possit. Hoc tamen in ulceribus penis curandi semper est observandum ne pendens pudendum teneatur: verum suspendatur, & superioribus partibus alligetur, ita tamen, ne dolor excitetur.

At si gangræna & sphacelus penem corruperit,

Digitized by Google

tutissimum est, id quod corruptum, vel etiam si opus sit, totum penem abscindere, & medicamenta postea, quæ in aliarum partium gangræna & sphacelo adhibentur, usurpare. Exemplum hujus rei habet Forestus *lib. 26. obs. 6.* de quodam, cui penis post inflammationem ita putrefactus fuit, ut cataplasmati adhærens exciderit, & putrefactio scrotum quoque occuparit, ægro nihilominus, idoneis medicamentis adhibitis, vivo manente, & ex ventre per foramen saltem urinam emittente. Similem prorsus historiam refert Fabritius Hildanus *cent. 3. obs. 88.*

Meatus urinarii ulcera unde fiant.

XIII. Sed accidit aliquando, quod ulcera oriantur in virga, *hoc est*, in meatu urinario: viz. ex tuberculo seu apostemate intus oborto; vel ex urina acri, vel ex calculis asperis & angulosis, qui inter transeundum meatum hunc lædunt; vel quod frequentius fieri solet, ex semine acri & virulento, uti in gonorrhæa virulenta neglecta & inveterata contingit.

Quomodo deprehendantur.

XIV. Cognoscuntur autem meatus urinarii ulcera præcipuè ex dolore, qui inter mejendum percipitur, & ex pure quod ante urinam excernitur. Insuper ex tactu & compressione ulcerata pars invenitur, cum in parte ulcerata ex compressione dolor excitetur. Adhæc penis interdum tensus & aliquantisper tumidus est, doletque, & ad inferiora curvatur, nec nisi inter femora indolenter teneri potest.

Quid de iis sit judicandum

XV. Ulcera hæc si ex virulenta gonorrhæa oriuntur, non ita facilè sanantur, nisi sublatâ penitus gonorrhæâ: quæ vero ab aliis humoribus eveniunt, *emulsione seminum melonum & cucumeris, ac amygdalarum*, per plures dies usurpatâ, sæpe sanantur. Curantur autem hujus partis ulcera, venerea in primis, facilius in juvenibus: è contrario in seni-

Digitized by Google

bus rarò aut nunquam curationem ſuſcipiunt. Sed curatio ſemper maturanda. Niſi enim maturè curentur, vel carunculæ in meatu urinario gignuntur, quæ urinæ emiſſionem impediunt; vel ad interiora proſperit malum, & vel veſica, vel perinæum; aliæve altæ exulceratæ partes ad ſummam uſque cutem exeduntur, ut per varias partes vicinas ad anum, ſcrotum, ipſumque penem urina, quaſi cuniculis factis, continenter effluat: ſicque fiſtuloſa evadunt, & non raro vix curabilia hujuſmodi ulcera.

De fiſtulis in perinæo audi Hildanum *cent.* 3. *obſ.* 75. „ Videant juniores Cheirurgi, ut in prognoſtico fiſtularum perinæi ſint prudentes. Si enim ex „ cauſa interna facta fuerit fiſtula, nunquam perfectè ſanatur. Obducitur quidem nonnunquam cicatrice, ſed facillimè à cauſa aliqua interna recrudeſcit, & nonnunquam, ſi ad tempus clauſa „ perſiſtit, graviſſima ſymptomata ſubſequuntur, „ uti porro exemplis demonſtrat: quapropter monet, ne ægri tantopere de integra & perfecta conſolidatione harum fiſtularum ſint ſolliciti.

XVI Igitur ulcus hoc ut detergeatur & conglutinetur, atque adeo ritè curetur, meatui urinario per ſiphonem injiciatur *aqua hordei* vel *lac dulce cum melle roſaceo*. Vel talis, aut ſimilis fiat injectio: Qua ratione curari oppeant.

℞. *Lactis dulcis in quo ſcilicet igniti extincti ſunt* ℥xij. *in eo diſſolv.*
Mellis roſacei ℥iß.
Muſilag. gum. tragacant. & rad. conſolid. an. ℥ß.
Therebinth. in ovi vitello ſolut. ʒj.
Ceruſ. ʒiß. *Pomphol. alb.* ʒj.
Miſceantur diligenter, triduoque vel quatriduo renovetur, ne lac aceſcat, aut mucilagines corrumpantur.

℞. *Lithargyri, ceruſ. tutiæ præparat. an.* ʒj.
Sacchar. cand. ℥ß. *Camphor.* ʒß.

Digitized by Google

Aq. rosarum, plantaginis an. ℥iv.
Misceantur pro injectione; cui addi potest *aluminis* ʒj.

Ad cicatricem inducendam utile est hoc:

℞. *Aq. plantaginis, rosarum an.* ℥iv.
Troch. alt. rhasis ʒß.
Boli armeni ʒß.
Misceantur.

Est quoque efficax valde *balsamum peruvianum*, illinendum tenui candelæ cereæ, quæ dein virgæ immittatur.

Petrus de Marchettis ulcera hæc curat candelis tenuibus, *compositis ex pulveribus plumbi usti, cerussæ, tutiæ præparatæ, mixtis cum cera*, in urethram immissis, & continuo ibidem detentis: mejendi tamen pruritu sollicitante educantur. Verum & observandum, non esse immittendas fluente gonorrhæa, ne ab iisdem suppressa exulceret collum vesicæ, & alias partes proximas: atque si malignitatis aliqua suspicio subsit, eædem candelæ imbuendæ *unguento albo camphorato, mixto cum præcipitato rubro*, absque ullo metu, ne hoc exulceret partes sanas; tum quia est correctum unguento albo camphorato; tum quia non excoriare eas solet, sed tantummodo extinguere malignitatem ulcerum, quæ eâ sublatâ, dictis candelis postmodum facillimè sanantur.

Interim patiens bibat *emulsionem ex seminibus quatuor frigidis, amygdalis, &c.* Nec non subinde sumat cochlear. *aquæ gonorrhealis Quercetani*; vel aliquod ex medicamentis de vesicæ ulceribus propositis, quo urinæ meatum perlabente, ejusdem vi exsiccante & consolidante ulcera urethræ facilius consolidentur.

Meatus urinarii fistulæ.

XVII. Cæterum istiusmodi ulcera quia perforare solent urethram cum integumentis, aliquando in PERINÆO, quandoque in SCROTO, ab

ab aliis tandem oriuntur FISTULÆ : quæ si in perinæo sint, absente gonorrhæâ, pars callosa circa urethram, parteſque vicinas, impoſito cauterio potentiali abſumenda ; vel ferramento candente inurenda, quo caro illi accreſcat, & ad cicatricem deducatur fiſtula : hac tamen cautelâ, ne urethra ipſa erodatur vel inuratur, atque fiſtula amplior fiat : vel alioquin fiſtula uſque in urethræ cavitatem incidatur, & dein ſarcoticis ac epuloticis cicatrice claudatur.

XVIII. Si vero pars urethræ ſcroto oppoſita fiſtulâ laboraverit, urina ex ipſa effluens ſcrotum corrodit pluribus foraminibus : quæ curatio ardua & difficilis eſt, licet eandem felici ſucceſſu aliquoties tentaverit Petrus de Marchettis, hac methodo : expurgato prius corpore, & exhibito *decocto guajaci, ſalſaparillæ, chinæ, &c.* ad ipſam partem affectam accedit ; quæ ſi multiplex ſit, omnes fiſtulas ſecat, & per candelam propoſitam omnem operam in ſananda urethra adhibet ; cum alia ratione fiſtulæ ſcroti non omnino ſint ſanabiles, niſi curâ palliativâ, qua denuo recrudeſcunt : quod ſi non poſſit curari urethra candelâ propoſitâ, ſcrotum ſecandum, uſque ad illius fiſtulam, ipſaque inurenda, vel potentiali cauterio conſumenda materia ejus calloſa, & ſectæ partes ſarcoticis carnæ replendæ, tandemque epuloticis cicatrix inducenda. Idem refert *obſ.* 59. hiſtoriam cujuſdam, cui ex inveterata virulenta gonorrhæa, collum veſicæ, prope urethram, variis fiſtulis fuit pertuſum, cum effluxu urinæ non ſolum ex ſcroti pluribus locis, verum etiam ex inguinibus, ægro tamen ſanitati præter ſpem reſtituto.

XIX. Nonnunquam caruncula, calus carnoſus, verruca, aut omnino carnoſa excreſcentia in meatu urinario naſcitur. Id quod ſæpe iis accidit, qui Caruncula in meatu urinario.

Digitized by Google

gonorrhæâ virulentâ, & hinc orto ulcere in meatu urinario laborant. Talia enim ulcera si negligenter tractentur, *caruncula* seu *excrescentia quædam carnea in meatu* relinquitur, urinæ difficultatem inferens. Enimvero succrescens inibit caro primum mollis & exigua est; sed temporis progressu ita induratur & augetur, ut urinam non rarò omnino supprimat.

Quomodo dignoscatur, & quid de ea censendū sit.

XX. Dignoscitur autem hoc malum, quod libere non exernatur urina, sed difficulter & guttatim exeat; idque aliquando tanto cum cruciatu, ut æger nonnunquam alvinas fæces simul egerat, haud secus ac vesicæ calculo laborans. Adhæc dolor in mictionis fine magis discrutiat, quam dum urina profluit. Exploratur quoque caruncula cathetere, vel candelâ cereâ in meatum urinarium immissâ, quæ toties in via offendit, quoties caruncul æ obstruentes occurrunt. Insuper compresso digitis penè, durum tuberculum deprehenditur.

Porro indagandum, num caruncula meatui urinario innata sit recens, num inveterata. Nam quantò antiquior est, eò difficilius curetur, quia in callum non ratò induratur. In genere omnis caruncula in hac parte oborta difficulter absumitur, ob loci angustiam, & tractandi difficultatem.

Qua ratione curari debeat.

XXI. Absolvitur vero curatio carnem absumentibus, ulcusque consolidantibus; auspicando semper à mitioribus, progrediendumque ad acriora, si ex usu fore videantur. Alfonsus Ferrius *l. de caruncula seu calla* specillo carunculam dissolvere tentat: „ Nec est, *inquit*, cur sanguinis effusionem timea„ mus, saluberrima enim ea est; quinimo tum Chi„ rurgicum opus prosperè succedit. Vidimus enim „ plures solâ specili ope curari, cum in c arunculam „ penetraverit: urina namque egrediens suâ abster-

Digitized by Google

„ gendi atque exsiccandi vi, sine ullo alio artis „ præsidio, sanare potest.

Hanc carunculam curandi methodum violentam prodidit modo Galenus *l. de loc. aff.* viz. ut æneâ fistulâ caruncula deteratur. M. A. Severinus de *effic. chir. p. 2. de section. cap.* 114. hanc operationem quoque commendat, refertque Hieron. Cardanum testari, se vidisse perforatâ cathetere carunculâ rem optimè cessisse; tametsi sanguinis & saniei multum profluxerit. Quam rem & sibi compertam esse testatur. Adhæc Paræus inquit: „ nec debemus ter- „ reri, si per intervalla sanguis ex latentibus carun- „ culis fluere cernatur. Est enim ad curationem „ compendium; quia materiæ conjunctæ portione „ sublatâ, incrementum ejus prohibetur, pars ipsa „ pondere premente levatur. Itaque nisi talis hæ- „ morrhagia sponte supervenerit, utile erit eam „ provocare in strumento duriore, quam est ipse „ catheter. Sicque carunculas cathetere atterendas vult, eundo, ac redeundo quoties eandem viam, quoties ipsis atterendis & comminuendis necesse videbitur; attritasque sanguine multô manare suadet, ad affectæ partis levamen. Sed contra hos, & in primis Alfonsum Ferrium, acriter insurgit Julius Palmarius *lib. 2. de lue venerea cap.* 10. ubi hæc habet: „ Falsum est, quod scriptum reliquit Alfonsus Fera- „ rius, Chirurgicum opus rectè ac prosperè succe- „ dere, quum caruncula specillo repugnat, eoque „ superata sanguinem multum profundit. Sic enim „ curatos non paucos notavi inflammatione prehen- „ sos ac jugulatos ante septimum diem: multoque „ magis quod ait; urinam abstergendi, siccandi- „ que, qua pollet facultate, sine artis beneficio „ sæpe persanare carunculam. Nam si recens geni- „ tum ulcus, sive in renibus, sive in cervice vesicæ „ consistat, nec abstergere, nec siccare urina po-

Digitized by Google

„ teſt, quomodo genitam jam carunculam atteret, „ atque adæquabit? Ego quidem urinâ acriore nec „ ſiccari, nec cicatrice obduci ulcera, ſed potius „ augeri atque exaſperari notavi.

Barbette *in chirurgia* ſcribit, ſe multoties hujuſmodi carunculas integrè curaſſe uſu ſuppoſitorium exilium ex ſequenti unguento, levi coctione incraſſato.

℞. *Unguenti fuſci Fel. Wurtzii, mellis roſacei an.* ʒij.
M. F. S. A. unguentum.

Vel,

℞. *Lithargyri, flor. ſulphuris an.* ʒiij.
Tutiæ præparat. ʒij.
Minii ʒß.
Unguenti ægyptiaci ʒj.
Mellis roſacei q. ſ. M. F. S. A. unguentum. Quod illinatur candelæ cereæ, eaque in urethram immittatur, bis terve quovis die renovando, uſque dum mundificatio abſoluta ſit.

Hieronymus Reuſnerus *obſ.* 91. refert, carunculam meatus urinarii certiſſimo experimento in pluribus ſubſtuluiſſe Antonium Fuchſium Medicum Norinbergenſem: *oleum ſuccini cum ovi vitello mixtum* applicabat candelæ cereæ, quam meatui urinario immittebat. Sanè ſecurum remedium, & reliquis omnibus præferendum, ſi reſpondeat eventus. Nam in carunculis meatum urinæ obſtruentibus cavendum, ne malum acribus medicamentis irritetur: lenientibus & validè ſiccantibus, ſi fieri queat, potius curetur. Inter mitiora ſiccantia & leviter admodum corrodentia præ cæteris commendatur *pulvis ſabina.*

Emplaſtrum quô doctiſſimus Fernelius uti ſolebat:

Digitized by Google

℞. *Aloës oprim.* ʒij.
Myrrhæ, ariſto ochiæ, an. ʒiß.
Tutiæ præparat. ʒß.
F. omnium pulvis, ex quo cum ſtyrace liquida fiat maſſa, quæ emplaſtri craſſitiem habeat. Cereolo è quo ceræ tantillum abraſum ſit, qua parte carunculam attingere oportet, agglutinetur; idque penis calore liqueſcens, tuberculum cui inſidet, abſumit.

Si Alfonſo Ferrio credimus, omnem carunculam tutiſſimè, ac ſine dolore ſenſim radicitus exedit & exſiccat id quod ſequitur:

℞. *Sabinæ in umbra ſiccatæ, & tenuiſſimè tritæ* ʒiß.
Cerati de mucilaginibus ʒß.
Miſceantur.

Egregium unguentum ad carunculas in meatu urinario abſumendas, hoc eſt:

℞. *Ceruſæ præp.* ʒß.
Tutiæ præp. corall. rubr. præp.
Lithargyri, ſarcocollæ.
Camphoræ cum oleo roſaceo tritæ an. ʒß.
Aloës, maſtichis, olibani an. ℈vj.
Plumbi uſti & loti ʒiß.
Antimon. præp. ʒij.
Troch. alb. rhaſis ſine opio ʒß. *cum ſ. q. olei roſacei & amygdalar. dulc.* F. *S. A. unguentum; quod candelæ cereæ ope carunculæ identidem admoveatur.*

Vel ne aliæ partes, præter carunculam in meatu urinario, tangantur, neve effluens per intervalla urina medicamenta applicita eluat; immittatur penni cannula argentea, tenuis, à latere perforata, & aperta foramine, quod magnitudini carunculæ reſpondet, eamque excipit; dein vel ſpecilli, vel tenuis candelæ cereæ ope medicamenta applicentur, cannulaque ibidem relinquatur.

Digitized by Google

Haud multum absimile excogitavit instrumentum Hier. Fabrit. ab aquapendente, cuius beneficio nil nisi caruncula absumitur, prohibetu que ne medicamentum carunculæ admotum ab urina, quæ sæpius excernitur eludi possit. Fit autem cannula ex linteo, cerâ albâ oblinito, (longitudine digiti transversi, & latitudine eâ, ut æquet argenteum catheterem) quæ filum longum habet appensum. Hæc cannula prius extrinsecus idoneo medicamento sit oblita, quale est propositum unguentum, vel id quod, teste Sculteto, carunculas meatus urinarii absque dolore, & sanarum partium excoriatione, consumit:

℞. *Mellis communis in cineres usti, tutiæ præp.*
Butyri rec. in aq. plant. loti,
Therebinthinæ similiter lotæ, ceræ flavæ an. ʒß,
Aluminis usti ʒß.
M. F. Linimentum.

Cannula igitur medicamento oblinita, stylo extra fistulam argenteam prominenti adaptetur, atque una cum argentea fistula & stylo, in meatum urinarium immittatur, donec occurrat carunculæ. Et cum jam est in loco carunculæ, argentea fistula cum suo stylo retrahatur: cannula vero ex linteo cera inducto parata, & immissa relinquatur in meatu, ut per eam urina excernatur; quæ simul prohibet, ne medicamentum carunculæ admotum ab urina elui possit; filum autem dictæ cannulæ appensum trahitur, cum volumus ut cannula cerea foras trahatur, & medicamentum renovetur.

Gabriel Fallopius *lib. de tumoribus pr. nat. cap.* 38. pro caruncula in meatu urinario inter alia unum familiare habet secretum, *arsenicum* sc. quo utitur hoc modo. Emollit ipsum super lapide pictorio cum *succo limonum*, postea soli, donec siccatur exponit, dein ipsum diluit *aceto stillatitio*, iterumque sub so-

Digitized by Google

le ficcat, & hoc quater facit. Ultimâ vice abluit *aquâ rosaceâ*, deinde cum cerato aliquo miscet, ut cum *diapalma*, vel *diachylo*, vel cum *oleo rosaceo & cera*, facitque emplastrum pro ratione duritiei carunculæ. Adhæc minimam portiunculam hujus medicamenti ponit in extremo candelæ cereæ, ac quotidie semel vel bis in meatum urinarium felicissimè immittit. Interim tamen si dolor, aut insolitus rigor, aut febris, aliudve symptoma ex acrimonia admoti medicamenti acciderit, extrahenda candela vel cannulla medicamento oblinita, meatusque urinarius eluendus *lacte recenti calido*, aut *aquâ rosaceâ cum camphora*, idque tamdiu, donec sedata illa impedimenta videbuntur.

Signa autem extirpari caruncula, habentur è mordicatione circa partem, & è copia effluentis puris.

Carne absumptâ, ulcus abstergendum, eique cicatrix dein inducenda, quod nullo medicamento melius perficitur, quam *amalgamate mercurii, si unguento diapompholigos misceatur*: hoc unguentum modis nunc expositis carunculæ admoveatur, & sæpius renovetur; vel eô inuncta candela cerea urethræ inseratur.

Atqui absumpta caruncula & absoluta curatio creditur, quum urina liberrimè ac citra ullum dolorem effluat, & candela cerea (etiam parte crassiore) vel catheter sine ullo offendiculo transeat, & in vesicam facilè intromittatur. Enimvero horum remediorum vicissitudine nulla est tam inveterata, neque tam contumax caruncula, quæ non semper, sensim ac sine dolore exedatur, ac radicitus extirpetur; modo prudenter ea adhibeantur, & bene valeat reliquum corpus.

XXII. Cæterum inter pudendorum ulcera merito numerantur ea quæ testium sunt. Enimvero post Testium ulcera.

Digitized by Google

inflammationem interdum ulcus in teſtibus relinquitur : & ſcroti ulcera nonnunquam teſtibus communicantur. Suntque hæc ulcera valde periculoſa, & ſæpe in cancrum abeunt, aut in gangrænam terminantur.

At verò ut ritè curentur, primò corpus convenienti modo purgandum : deinde ulcus mundandum *unguento apoſtolorum* vel *aureo*, vel ſimili; mundatum autem & abundè deterſum, conſolidandum & cicatrice claudendum epuloticis ſæpius propoſitis.

uteri, eiuſdem que colli ulcera.

XXIII. In utero quoque, & præcipuè in ejus cervice & collo non raro contingunt ulcera. Sunt autem talia ulcera nunc magna, nunc parva, nunc ſuperficiaria, nunc profunda, nunc ſimplicia & munda, nunc ſordida, erodentia, depaſcentia maligna. Quæ ſi diutius protrahantur, aut negligentius curentur, non raro in *fiſtulas calli uterini* degenerant.

Unde, & quibus de cauſis hæc ulcera excitentur.

XXIV. Cauſæ vero uteri cervicem vel vaginam exulcerantes ſunt vel internæ; affluxus viz. acrium humorum diuturnus, id quod in fluore muliebri albo diu nimis protracto accidit; & ſi ut acres, maligni, pravique humores cum ſanguine menſtruo in hanc quaſi corporis muliebris ſentinam confluunt, & per hunc locum evacuantur; aut ſecundinæ corruptæ, lochia item diu poſt partum retenta & corrupta : inflammationes in abſceſſum converſæ, qui ruptus poſtea in ulcus abit : vel externæ & evidentes; acria viz. & erodentia medicamenta; partus difficilis cum grandior fœtus, præſertim à minus perita obſtetrice extrahitur; violentus concubitus, imprimis cum lue venerea vel virulenta gonorrhæa infecto; contagium namque venereum iſtiuſmodi ulcera ut plurimum inducit. Tandem vulnus, caſus, percuſſio, quæ in aliis locis, ſi non

Digitized by Google

rectè tractentur, ulcera excitare possunt, hîc quoque rarius locum obtinent.

XXV Hoc autem ulcus cognoscitur primum ex dolore & perpetua mordicatione eo in loco, quæ sensim augetur & intenditur, ac in primis si tangatur ut & in concubitu; mariti namque c i gressum ægrè perferre possunt. Insuper punctiones acutas in pube, ardoresque vehementes circa pudendum & anum experiuntur, cum dejiciendi conatu maximo, & stupore circa sedes inferiores. Deinde visu cognosci possunt si in extremitate vaginæ consistunt. Adhæc ex effluente pure, quod interdum est doloris; expers, uti & odoris, interdum flavum, viride fœtidum; prout ulcus nunc nite est, nunc sordidum. Affectus hujus diagnostica.

Si istiusmodi ulcus in fistulam degeneravit, cognoscitur ex ipsa figura ulceris, quæ in formam fistulæ protenditur. Habetque fistula conjunctum callum, funditque tenuem ac pravam saniem, & præcipuè si locus præmatur plus sanies effluit. Adhæc colli uterini fistula aliquando ad vesicam usque penetrat, & tunc per fistulam urina exstillat, aliquando ad anum, ut etiam excrementa alvi per fistulam exeant. Sed monendi hîc sunt juniores practici, non raro anatomes minus periti, ne unquam meatum urinarium (cui insignis præest caruncula) pro fistula pudendi muliebris tentent curare; uti ille barbitonsor, cujus meminit Petrus de Marchettis *obs. chir.* 60.

XXVI Hæc colli uterini ulcera periculo non vacant, nullumque ex his contemnendum, suntque difficilia curatu; cum sint in parte tenera, exquisito sensu prædita & humida, ac suscipiendis humoribus valdè idonea, atque hinc inflammationi & putredini obnoxia, ita ut levis etiam excoriatio requirat diligentiam, ut rectè sanetur, ne in gravius ulcus abeat. Prognostica.

Digitized by Google

Curandi methodus

XXVII. Quoad *curationis præcepta* hîc eadem erunt, ac in aliarum partium ulceribus curandis. Igitur universalibus præmissis, ad ulceris detersionem frequenter in collum uteri metrenchytâ injiciatur *serum lactis, cui vel saccharum, vel mel commune, vel mel rosaceum sit admixtum.* Vel fiat talis injectio:

℞. *Therebinth. venet.* ʒij.
Vitellum unius ovi.
Mucilag. seminis cydoniorum ʒj.
Dissolvantur cum seri lactis, aq. plantaginis an. ʒvj.
Pro injectione.

Si autem dolor magnus sit, ad eum leniendum ita immutetur:

℞. *Aq. rosarum, plantaginis, spermat. ran. an.* ʒij.
Opii dissol. ℈j.
Albumen unius ovi.
Olei rosacei ʒj.
Agitentur probè pro injectione.

Etiam doloris ulceriscque causâ, hoc vel simile præscribatur unguentum; quod cum linteo discerpto uteri vaginæ intrudatur:

℞. *Mucilag. seminis psyllii cum aqu. ros. facta* ʒiij.
Troch. alb. rhasis cum opio, butyri rec. an. ʒß.
Vitellos duorum ovorum.
Misceantur simul pro unguento.

Ad ardorem quoque & cruciatum, qui hujus partis ulceribus ut plurimum adesse solet, conducit *emulsio ex seminibus melonum, cucumeris, papaveris, amygdalis,*

Et ad majorem detersionem ac ulceris sanationem, hæc fiat injectio:

℞. *Rad. consolid. althææ an.* ʒvj.
Bistortæ ʒß.
Herb. plantaginis, equiseti, consolid. saracen. an. Mj.

Digitized by Google

Sem. lini ℥j. *Psyllii* ʒij.
Hordei mund. p. j.
Decoq. in s. q. aq. communis ad ℥xvj. *colaturæ add.*
Mellis rosacei ʒij. *Sacchar. Thomæi* ℥j.
Misceantur pro injectione.

Dein unguentum admoveatur, ex *unguento de tutia, nutrito, albo camphorato, diapompholigos*, similibusque. Vel præscribatur tale:

℞. *Pulv. iridis Florent. lithargyri, flor. sulphuris an.* ʒij.
Mastichis ʒj. *Merc. dulcis* ʒß.
Unguenti fusci Felicis Wurtzii ʒij.
Mellis rosacei q. s.
M. F. S. A. Linimentum.
℞. *Unguenti rosacei* ℥j.
Merc. præcipitati albi ʒiß.
Misceantur exactè pro unguento.

Interea insessiones à quibusdam valdè hîc commendantur, ex *radicibus althææ, liliorum, consolidæ, herbis plantagine, equiseto, artasiemia, lauro, alchymillæ, floribus camomillæ, melilloti, seminibus lini, anethi, similibusque in aq. communi decoctis.*

Suffitum quoque per infundibulum, injecto sequenti pulvere super carbones, excipiat patiens:

℞. *Gummi juniperini* ℥j.
Thuris, mastichis, myrrhæ, ladani an. ʒij.
M. F. Pulvis. Cui, si originem debeant hæc ulcera morbo gallico, addi insuper potest *cinnabaris* ʒj. Quo in casu etiam cum linteo discerpto admoveatur *aqua viridis Hartmanni*, vel *aqua aluminosa seu mercurialis*, vel aliquod è medicamentis de penis ulceribus venereis propositis.

In genere pro hujus partis ulceribus curandis, *thermæ siccantes, sulphureæ & aluminosæ*, valdè efficaces sunt, eæque non rarò ulcera, quæ aliis medicamentis sanari non potuerunt, curarunt.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De Ulceribus & Fistulis in ano.

Ani ulcera unde fiant.

I. ETiam solent intus in ANO oboriri ULCERA, ægrè admodum sanabilia. Ea orrum ducunt à lue venerea; ex gravi dysenteria, ac succedente tenesmo; item ex hæmorrhoidibus exulceratis, aliisve causis: sic abscessus gravissimi circa podicem ex inepta venæsectione sequuti, notabile exemplum habetur apud Fabrit. Hildanum *cent. 5. obs. 63.* Atque adeo humorum ad partem hanc affluxus varii, item inflammationes, vulnera, equitatio longa, aliæque externæ læsiones, horum ulcerum causæ esse possunt.

Quibus modis dignoscantur.

II. Hæc autem ulcera si externa sint, oculis patent; quæ vero intus latent, ea ex sanie emanente & dolore percipiuntur. Nonnulli in hoc casu anum inspicere conantur instrumento, speculo ani dicto, parum calefacto, & ut lubricum reddatur, oleo oblinito: sed quoniam hoc instrumento vix observari possunt istiusmodi ulcera, quin potius partes cum dolore & inflammatione lacerentur; hinc usum speculi hujus non probo, cum facilius quod optamus consequi possimus. Viz. indice digito in anum immisso non solum ulceris magnitudo, sed insuper durities, & tubercula melius percipiuntur. Adhæc ulceris quantitatem conjicere possumus ex copia saniei excrementis immistæ; quanta enim est sanies, tantum est ulcus: sicuti ulceris qualitatem, ex qualitate saniei. Etiam ulcerum ani statum exactissimè cognoscimus turundâ ano immissâ, & per integrum diem relictâ: qua eductâ, observatur cui parti materia purulenta adhæreat, quæ tunc locum & magnitudinem ulceris indicat.

Digitized by Google

III. Sed externa & benigna hujus partis ulcera ut facilius deprehenduntur, ita etiam facilius curantur: sic ex dysenteria quæ fiunt hujusmodi ulcera, brevi temporis spatio non raro sanantur deterſione & consolidatione; viz. *aquâ hordei, & melle rosaceo iterum, & tertio per siphonem infusis*; vel injecto identidem clystere ex *lacte dulci, cum therebinthina in ovi vitello dissoluta, addito melle rosaceo.* Quæ vero maligna sunt & occulta, difficulter curantur; cum pars hæc exquisito sensu prædita sit & medicamentis acrioribus facilè exasperetur, ac à transeuntibus excrementis inquinetur: atque ideo hujusmodi ulcera venerea non adeo facilè sanantur; serpunt namque plurimum supra musculum sphincterem aut superius, seu inferius, vel ad latera. Sic refert Marchette *post observationes chirurgicas*, in cadavere observasse plusquam triginta distincta ulcera supra sphincterem musculum, per totum rectum intestinum & aliquam coli intestini partem serpentia, quibus dissectis insignis puris quantitas effundebatur. Quid de iis sit judicandum

IV. Quoad *curam horum ulcerum*: (venereorum præsertim) primò totum corpus est expurgandum; dein exhibendum decoctum *ex ligno guajaco, corticibus ejusdem, salsaparilla, china*, & similibus, cum sudore, & observata tenui diæta, prout in lue venerea fieri solet; vel salivatio movenda, bis, terve sumpto *bolo ex conf. rosar. rubr. cum turpeto minerali.* Qua ratione curari debeat.

Interim dum hæc fiunt, topica adhibenda remedia: in primis injectiones hîc conducunt detergentes & consolidantes, sine acrimonia & morsu v. gr. ex *aqua hordei chalybeata cum melle rosaceo.*

Petrus de Marchettis à principio injectiones laudat ex *aqua hordei cum unguento ægyptiaco*, ad abstergenda sordida ulcera, usque dum dolorem infe-

Digitized by Google

rant, atque ex ipsis aliqua portiuncula sanguinis effluat; tunc vero abstinendum ab *aegyptiaco*, cujus loco erit *decoctum guajaci, scordii, virgæ aureæ, &c.* Vel fiat talis:

℞. *Hordi integri p.* ij. *Ligni guajaci* ℥iß.
Herb. plantaginis, scordii, verbasci an. Mß.
Flor. rosar. rubr. p. j.
Coq. in s. q. aq. fabrorum ad ℥xvj.
Colatur. ad.
Mellis rosacei ℥ij. vel ℥iij. *Misceantur.*

Valdè efficaces quoque sunt *aquæ thermarum siccantes, sulphureæ & aluminosæ*, si calidæ per siphonem ano frequenter injiciantur.

Adhibitis autem hujusmodi detergentibus, ne dolor exacerbetur, mox aliquid lenientium & consolidantium admoveatur; v. gr. *oleum hyperici cum æquali portione olei ovorum*, vel simile. Seu potius ab injectionibus immittenda turunda longa & crassa, imbuta *unguento de tutia*, vel sequenti:

℞. *Unguenti albi camphorati* ℥j.
Lithargyri, tutiæ præpar. an. ℥j.
Sarcocollæ, thuris, balaustiæ an. ℥ß.

Terantur diu in mortario plumbeo, donec fuscum fiat unguentum.

Cui pro curandis istiusmodi ulceribus venereis, semper addatur aliquid *præcipitati rubri.*

V. At vero quanquam hac methodo multa ulcera ani venerea quotidie sanantur, quandoque tamen adeo maligna occurrunt, quæ dictis remediis non cedunt: in quibus curandis deveniendum ad ignem quod inurenda non semel tantum, sed iterum, & tertio ac quarto; atque ne partes sanæ lædantur, inustio fiat hoc modo. Cannulla longo manubrio donata & ad latus perforata (Scult. *tab.* 16. *fig.* 2. 3.) linteo in vino austero expresso & similiter perforato, obducatur, ac ano immittatur, dein candente

Digitized by Google

ferramento (Scult. *tab.* 16. *fig.* 4. in eandem immisso repetitis vicibus ulcus inuratur : hac tamen cautelâ , ne frequentius id fiat , & citius remoto ferramento candente , potius quam eodem diutius intra cannullam detendo , ne sc. intestinum rectum altius inuratur & perforetur.

Factâ inustione , duos aut tres dies utendum turundâ imbutâ *butyro recenti* : postmodum deveniendum ad laudatas nunc injectiones , impositâ semper turundâ dictis unguentis imbutâ. Atque hac methodo istiusmodi ulcera ut plurimum sanantur : & quæ hoc modo curam non suscipiunt , in *fistulas* abire solent. Enimvero ulcera ani si vel medici negligentiâ, vel ægri morositate non rectè curentur , ex sanie intus relicta , ibidemque cuniculos quasi agente , atque vicinas partes corrumpente, excitantur *fistulæ*.

Ani fistula qualis fit affectus,& quæ ejus sint differentiæ.

VI. Est autem ani fistula *ulcus angustum , longum , callosum , sedem habens in substantia intestini recti , vel musculi ejus sphincteris.* Exulceratur vero sedes hac fistulâ variis modis. Interdum namque circa anum oriuntur fistulæ rectum intestinum haud quaquam perforantes : sed circa anum consistentes , & in carne terminum habentes. Aliæ exedunt intestinum rectum , simulque perforant communia integumenta , ut sanies exterius per cutem egrediatur. Nonnullæ ad intestini recti tunicam tantum exteriorem pertingunt , & serpunt supra intestinum , quod tamen non perforant. Aliquæ inter tunicas intestini recti sursum tendunt,modo ad medium sphincterem , modo ulterius. Quædam ad vesicam deflectunt. Adhæc aliæ uno tantum sinu , aliæ pluribus perreptant : quædam rectæ, quædam tortuosæ ut non possit earum ductus investigari : quandoque vero sunt multæ simul & contortæ atque conjunctæ , habentes tamen unum orificium. Sunt etiam aliæ pertengentes ad articulum coxæ. „ Harum fistularum

Digitized by Google

„ principium excurrit nonnunquam ad lumbos, sive „ thoracis vertebras; imo interdum ad ipsas scapu- „ las, *innuit* Ampl. Tulpius *obs. med. lib. 3. cap. 28.* „ Cujus horas licet forfice diducas & amplies, (quod „ tamen ad cutaneas fistulas summè utile) operam „ nihilominus ludes: nec pervenies unquam ac re- „ motissimum sinuosorum flexuum principium.

Ani fistulæ quibus ex causis oriantur.

VII. Causæ vero *fistularum ani* aliæ externæ sunt, aliæ internæ. Inter *externas causas* frequentissima est tuberculum exterius circa anum enatum & suppuratum, cujus sanies si exitum non habet, sinum efficit profundum. Enascitur autem istiusmodi tuberculum ex contusione partium ani, ut sæpe equitantibus, & aliquando remigantibus contingit: item ex ictu, vel casu in partibus circa anum facto, cum exinde partes ani proximæ atterantur, & perruptis vasis sanguis ad nates, & circa anum cogatur, qui extravasatus putrescit, & putrescendo acrimoniam acquirit, & molles illas partes exedit, sinuat, fistulamque efficit. Insuper vulnera hujus partis non raro in ulcera degenerant, atque hæc in fistulas. Inter *internas* namque *fistularum ani causas* primo numeratur ulcus intestini recti non ritè curatum: dein apostema in partibus hisce ob ortum & serius apertum; viz. expectatâ ejus maturatione, cum tunc temporis sanies illa intus contenta corrodat, ac sinum tandemque fistulam efficiat: atque ideo in hac parte apostemata, antequam ad maturationem perveniunt, sunt incidenda.

Cæterum ab humoribus vitiosis ad intestinum confluentibus: & musculum sphincterem erodentibus hujusmodi fistulæ oriuntur, dum à materia salsa, mordaci, vel virulenta, ex lue potissimum venerea, exulceratur rectum intestinum, hinc sensim evacuato ulcere ab eadem in eo congesta, & diutius hærente, paulatim perfoditur; atque materia inter partes

Digitized by Google

partes musculosos collecta, tandem oritur tumor in partibus ani externis, qui disruptus in fistulam abit, tum rectum intestinum, tum musculum ejus sphincterem pertrudentem. Denique hæmorrhoides tumentes & malè curatæ, atque exulcerantes, in sinus nonnunquam, tandemque in fistulas abeunt.

VIII. Cognoscuntur autem ani fistulæ, quod orificium ulceris sit angustum, sinus vero intus latens, & labia ejus callosa sint. Excernitur etiam inde sanies (modo orificium ejus non claudatur. Tum enim nihil excernitur, & vicinæ partes tumidæ fiunt) aliquando aquosa, aliquando virulenta. Fistularū ani diagnostica.

An vero unus vel plures sinus sint; item an penetrent vel non penetrent; vel sintne rectæ aut intortæ hæ fistulæ, stylo immisso exploratur. Si namque fistula sit in partibus externis prope anum, quæ licet musculum sphincterem non perforaverit, in intestinum rectum tamen penetraverit, id specillo patebit intruso siquidem digito oleo inuncto in anum facilè penetrare non possit, ex excrementis id deprehenditur; cum aliquando per fistulam fœces alvi reddantur, & liquor in fistulam injectus per anum exeat, seu in anum infusus per fistulam egrediatur. Porro fistulæ inter intestini recti tunicas dignoscuntur immisso specillo, si digito id non fuerit obvium, sed membranâ ipsius intestini rectum. An vero fistula perforat intestinum rectum in musculo sphincterē, vel supra eundem, hoc prodit signum: siquidem si digiti in anum intrusi apex ab eodem non constringi, sed in loco veluti vacuo hærere sentiatur; quo stylus quin etiam in fistulam demissus pervadat ad extremum usque digitum, in illud scilicet cavum, fistulam perforare intestinum supra sphincterem indicio erit. Utrum vero fistula fuerit in musculi hujus principio, medio vel fine, quoque digito & specillo patet. Si ad vesicam perveniat, urina per

Digitized by Google

eam redditur. Interdum ad rectum inteſtinum & veſicam ſimul penetrat, ac tum inter mingendum crepitus ex pudendo, perinde atque podice emittitur.

Prognoſtica.

IX. Quoad *præſagia de ani fiſtulis* facienda: ani non penetrantes fiſtulæ penetrantibus minus periculoſæ ſunt. Nihilominus tamen omnes ferè ani fiſtulæ ſanabiles ſunt. Et gloriatur Petrus de Marchettis, ſe ultra ſexentas ani fiſtulas perfectè curaſſe alias difficilius, alias facilius.

Ægrè admodum ſanantur ani fiſtulæ, quæ ſupra muſculum ſphincterem inteſtinum perforant; ut & quæ à lue gallica proveniunt. Facilius verò & brevi tempore, quæ in orificio ani; minus facilè, quæ in medio muſculo inteſtinum perforant.

Ani & recti inteſtini fiſtularũ curatio.

X. Atqui *fiſtulas haſce curandi indicationes* vel totum corpus, vel partem reſpiciunt affectam. Totum corpus quæ reſpiciunt, permittunt (ſi viſcera patientis bene fuerint conſtituta, ut patet ex inculpata ejus valetudine) fiſtularum curationem mox aggredi, non expurgato corpore, abſque ullo futuri morbi periculo. Alioquin permittatur corporis purgatio, præparantibus & purgantibus lenioribus; nec non vena ſecetur. At vero ſi patiens fuerit mali habitus & cacochymicus, propinetur inſuper decoctum *ex ligno guajaco, ſalſaparilla, china, &c.* Ut tum per ſudores tum per auctam tranſpirationem & copioſiorem excretam urinam, ab humoribus vitioſis liberetur: præſente ſiquidem cacochymiâ, raro admodum ex toto ſanantur fiſtulæ ani. Fonticuli item in cruribus excitati non raro multum conducunt, cum per hoſce materia derivetur & evacuetur: ſic in ſenibus ex antiqua fluxione ſi ſint fiſtulæ, eæ turo nunquam curantur, niſi ante conſolidationem excitetur fonticulus in crure, pro evacuatione materiæ quotidie collectæ.

XI. Partis autem affectæ curatio multiplex eſt,

Digitized by Google

pro varietate & differentiis fistularum. Atque hinc in ipsius fistulæ curatione explorandum prius, num hæc sit unica vel multiplex, *hoc est*, num unum habeat orificium & ductum; an veno plura orificia, pluresve ductus: deinde num in intestinum penetrent fistulæ, nec ne; & sic porro. *Fistulæ* quippe *prope anum, quæ non pertingunt ad ipsius orificium*, facillimè sanantur, non tamen absque sectione: & quidem si rectæ sint sectione unicâ; si autem sinuosæ, pluribus curari solent sectionibus.

Primò igitur foramen fistulæ dilatandum immissis turundis ex *radice gentianæ*, vel *spongiæ compressæ*; ac quotidie eædem crassiores immittendæ, donec foramen fistulæ dilatatum admittat Scalpellum ad sectionem: satis vero dilatato foramine, immittendus cultellus rectus atque facienda unica sectio, ad fundum usque ipsius fistulæ postmodum ad prohibendam inflammationem imponendum linteum discerptum *ovi albumine* imbutum, superinjectis stupis in eodem madefactis, quibus postero die remotis, diligenter stylo inquirendi alii sinus: qui dilatandi, atque secandi modo nunc dicto: supra fistulam sectam adhibendum digestivum *ex melle communi, therebinthina & ovi vitello*. Quod si fistulæ callum consumere nequeat, imponatur illud Sculteti,

℞. *Merc. præcipit. rubr.* ʒß.
Mellis rosacei ʒß.
Misceantur. Unguentum hoc linteo discerpto excipiatur, & fistulæ apertæ callo imponatur.

Consumpto callo detersoque vulnere, caro generanda, non quidem sarcoticis unguentis admotis, utpote humidioribus, sed siccioribus, *unguento de tutia* scilicet, *de plumbo*, similibusve; atque linteo discerpto his imbuto vulnus omnino implendum, ut caro è fundo succrescat; ac superponendum *emplastrum diapalma*, vel simile.

Digitized by Google

Productâ autem æqualiter carne, inducenda cicatrix, non pulveribus, nec filamentis aridis, quibus labia vulneribus calloſa evadunt, & cicatrix non ita facilè obducitur; at impoſitis iiſdem exſiccantibus unguentis, quibus dura ac ſolida evadit cicatrix, quæ difficilius dehiſcit.

XII. Sed *fiſtulæ, quæ ad orificium ani pertingunt & ſerpunt, exterius ſupra inteſtinum rectum, non tamen ipſum perforant*, non ita facilè ſanantur, ob copioſas humiditates, quæ ab inteſtinis continuo defluunt. Iſtæ ſunt quoque dilatantæ & ſecandæ; nullo quippe alio præſidio ſanantur.

Igitur ſi occurrat fiſtula ani non penetrans rectum inteſtinum, ſumendum ſpecillum, quod in una ſui extremitate capitulum rotundum & pro fili ſerici trajactione foramine donatum habeat: in altera pro inciſione fundi fiſtulæ, inſtar acus tricuſpidis acuminatum ſit, cujus affici affigatur pila cerea, qua inſtrumenti acumen liberiorem tranſitum habeat ad ſinus fundum, neque timor ſit, ut in latera ejus impingat, operationem impediat, & dolorem excitet.

Præparato ita ſpecillo incerato, fiſtulæ fundus inquirendus, eoque invento, ſpecillum fortiter trudendo cutis perforanda, totumque illud per fiſtulam ducendum, propendente ex utroque foramine filo ſerico; dein educto ſpecillo, fili extrema colligenda, arctiſſimè ſtringenda, ſicque univerſi ſinus inciſio filo peragenda. Atque hic modus fiſtulam non penetrantem incidendi proponitur à C. Celſo *lib. 7. cap. 4.* hiſce verbis: in fiſtulam „ demiſſo ſpecillo „ ad ultimum ejus caput, incidi cutis debet: dein „ novo foramine ſpecillum educi lino ſequente, „ quod in aliam ejus partem ob id ipſum perforatam „ conjectum ſit. At vero quia fiſtulæ totius per filum inciſio & curatio nimis tardè procedit, illam-

Digitized by Google

que assiduus committatur dolor, meritò rejicit eam Fabr. ab Aquapendente, nec locum habere ait, nisi in iis, qui meticulosè ferrum expaveſcunt. Unde & nos potius ducimus fistulâ ſpecillo perforatâ, & foraminibus pro uſu ſyringotomi quod altero extremo capitulum craſſius habet, ſufficienter dilatatis, filum ſericum removere, atque fiſtulam ipſam incidere. Et hæc fiſtularum per filum & aciem ſcalpelli curatio Celſi & recentiorum practicorum votis ſatisfacit, atque ſimplici per filum inciſione melior eſt & tolerabilior, in primis quando orificia propter ſinus longitudinem nimium diſtant. Si tamen & hæc operatio æquo tardior videbitur, omnibus bonæ operationis conditionibus ſatis faciet Chirurgus, ſi ſtatim fiſtulam inciderit ſyringotomo acutam aciem habente, globulo tamen cereo munitam quo ſyringotomi acumen tranſitum habeat liberiorem ad fundum fiſtulæ, neque metus ſit ut in latera impingat, operationem impediat, doloremque excitet.

Verumenim vero licet hoc modo, per ſectionem partium externarum, fiſtulæ ani non penetrantes ut plurimum curari ſoleant; facilius tamen eædem curam ſuſcipiunt, ſi ipſum inteſtinum intus ſecetur. Neque omnino metuenda eſt muſculi ſphincteris & inteſtini recti ſectio; hac equidem cautelâ, muſculus totus ſecetur, ſicque fæces involuntariè effluant. Scribit Hipp. *lib. de Hæmorrh.* ſphincterem tutò poſſe incidi, quovis modo, ſine læſione ſui officii, ſi ſaltem octava ejus pars relinquatur intacta, aliàs ſequeretur involuntaria fæcum excretio, & tandem ipſa mors.

XIII. Tertiò occurrunt *fiſtulæ, quæ inteſtinum rectum perforant, ſive in inferiore muſculi ſphincteris, ſive mediâ, ſive ſuprema ejuſdem parte*; quæ tamen loci diverſitas non mutat curationem, ſed ſolum-

Digitized by Google

modo ejuſdem tempus : extremi quippe muſculi fiſtulæ citius ſanantur, medii vero, vel ſupremi tardius propter profundas ſectiones, quibus ad perfectam earundem ſanationem opus eſt.

Hujuſmodi fiſtulæ aliquando ab Hippocrate ſine inciſione curantur. Nam primum turundam fiſtulæ immittit *ſucco tithymali* malidam, pro callo conſumendo : deinde *florem aris* adſpergit : in anum ad inflammationem prohibendam, glandem immittit corneam, exterius *cretâ detergente* illitam uſque in quintum diem : ablato callo, glandem *alumine* implet, anoque imponit, ad glutinandum, an inflammationem arcendam, ad locum affectum exſiccandum. Sed vix unquam hæc curatio ſuccedit. Præferenda autem quæ primum haſce fiſtulas dilatat turundis accommodatis, deinde eas ſecat, vel ſyringotomo, vel filo ſerico. Unguentum filo patientibus ferrum reformidantibus, licet hæc ſectio longa ſit, & dolore moleſta : frequentius vero ſyringotomo, quia citius & minore dolore operatio perficitur : & quidem hunc in modum. Specillum ſumendum argenteum, in utraque extremitate rotundis capitibus præditum, illudque pro neceſſitate incurvandum. Hujus extremo & ſyringotomi globulo filum ex lino duplicato alligandum. Quibus peractis fiſtulæ orificio lentè intrudendum ſpecillum, illudque ut & filum duplicatum, & globoſum ſcalpelli caput, per ani orificium trahendum. Deinceps manu ſiniſtrâ arripienda ſyringotomi ſuperior pars atque ſic inſtrumentum trahendo & impellendo fiſtula uno ictu, ne diu ægri doloribus torqueantur, integrè incidenda. Qua inciſa, ſanguis ſiſtendus, inflammatio prohibenda, callus (modo nunc dicto) abſumendus, vulnus recenti carne implendum, & cicatrix inducenda.

XIV. Ad *fiſtulas* autem, *quæ inteſtinum perforant*

Digitized by Google

ultra musculum sphincterem, parte superiore, quod attinet: istæ à multis habentur insanabiles, nisi præfecto toto sphinctere, ex quo involuntaria fit fæcum alvinarum excretio. Hasce tamen se sæpius feliciter sanasse scribit Petrus de Marchettis, citra illud incommodum: factâ viz. congruâ dilatatione, ut in omnibus aliis ani fistulis curandis fieri solet; musculus sphincter eousque secandus, ut aliqua ipsius pars integra supersit, ac intacta, quæ suo fungatur officio. Factâ sectione, superstes fistula actuali cauterio erit inurenda, ut callus tollatur, cujus crustâ *butyro* vel *digestivo* sublatâ, implenda cavitas linteo discerpto imbuto *unguento de tutia*: hac ratione, ut imminuatur quotidie donec proba caro æqualiter generetur & cavitas oppleatur.

XV. At nonnunquam observantur *fistulæ quæ serpunt inter intestini recti tunicas, & superius tendunt, modo ultra latitudinem sphincteris, modo infra.* Eæ tamen raro fiunt callosæ, propter humiditatem in intestinum, ejusque membranas continuo allabentem; quæ proinde statim sunt dilatandæ turundis ex panno lineo confectis (vitatis illis ex radice gentianæ, vel spongia compressa, quæ plus satis dilatando, lacerant membranas intestini (dehinc secandæ secundum longitudinem absque ullo metu læsionis musculi sphincteris: ad interna vero facienda est sectio.

Sed fistulæ hæ dum secantur, immittenda intra anum cannula rotunda, altero extremo clausa; at à latere fissura patefacta, in cujus medio lana mollis vel gossypium lateat, ne acies scalpelli habetur: illius cannulæ usus est, ut sectâ fistulâ excipiat gladiolum, illæsis proinde intestini partibus oppositis.

Curantur autem facilè hæ fistulæ sectæ, obductâ cicatrice injectionibus exsiccantibus bis quotidie infusis, nec non immissis turundis imbutis *unguento de tutia* atque pulveribus itidem exsiccantibus. Factâ

Digitized by Google

namque sectione mox immittenda turunda longa, ad fundum usque sectionis pertingens illita *ovi albumine cum bolo armeno conquassato*: ad detersionem vero injicienda *aqua hordei cum melle rosaceo*; & supra turundam inspergendi pulveres ex *bolo armeno, terra sigillata*, similibusque, tum ad exsiccandum, tum ad astringendum. Notandum vero, quod hujusmodi fistulis nunquam adhibeatur digestivum, ne tenues intestini membranæ nimium flaccescant & resolvantur. Post quatuor aut quinque dies, parandæ injectiones ex *aquis thermalibus*; vel hisce deficientibus, *artificialibus ex vitriolo, nitro, sale, alumine, cum aqua communi* immissâ semper turundâ imbutâ *unguento de tutia*, ac pulveribus dictis exsiccantibus: quibus remediis obducenda cicatrix, quæ durior licet & callosa, nequaquam tamen impedit constructionem musculi sphincteris: quinimo si mollior foret, brevi resolventur denuo ab humiditate continuo partem illam alluente.

XVI. Tandem *ad vesicam serpentes fistulæ* succedunt; quarum quædam perveniunt ad ejus collum: & quidem aut juxta ejus exortum, vel medium, vel finem, ipsum tamen non perforant: aliæ ipsum pertundunt in ejusdem exortu, aut medio, aut circa finem, ubi cervix vesicæ oriri vulgo perhibetur. De hisce vix est dicendum, cum omnino sint insanabiles, & solo prognostico relinquendæ, infamentur artis præsidia. Quoad illas tamen, *quæ pervadunt ad cervicem vesicæ, ipsam tamen non perforant*: in iis curandis majore dilatatione opus est quam in præcedentibus, in quam rem ex usu sunt turundæ ex *compressa spongia*, vel *radice gentianæ*, atque fistulâ dilatatâ facienda sectio glandiolo admodum recurvo, dorso lævi, ne lædatur collum vesicæ, acutâ acie, quod partes illud investientes sint membranosæ, quæ difficulter secantur. Si sint plures sinus, ii

Digitized by Google

pluribus sectionibus sunt patefaciendi, illæso semper vesicæ collo: turpe quippe, & fœdum foret, urinam per aliam partem effluere quam naturalem. Factâ sectione, callus removendus, tum absolvenda curatio uti in aliis fistulis.

In genere vero de fistularum ani curatione medico observandum, ut statim ad ea accingat, nisi renuente ægro: suppressâ siquidem, ut sæpe fit, purulentâ materiâ varii sinus excavantur, unde tandem fistula in plures diffunditur; è qua suppressa materia oriuntur abscessus, non sine magno dolore gravi febre, & aliquando morte ipsius patientis.

Perperam itaque existimant multi Pseudo-Medici & Barbitonsores, se sanare posse fistulas ani & intestini recti balsamis, unguentis, injectionibus, aliisque hujusmodi præsidiis: sed frustra laborant, cum hæ non nisi sectiones sanabiles sint.

CAPUT XIX.

De Tibiarum, Articulorum, & pedum Ulceribus.

I. TAndem restant ulcera quæ in tibiis, articulis & pedibus fiunt. Sed quæ in genere de ulceribus nunc diximus, facilè quis ad harum partium ulcera applicare poterit, adeo ut dubitaverim, de tibiarum, articulorum & pedum ulceribus quicquam superaddere. Nihilominus tamen, quoniam non infrequenter contingit, ut salsi, acresque humores ad hasce extremas partes expulsi, ulcera excitent, de iis pauca adjungere haud abs te putavi. Etenim acres, austeri, acido-salini humores cum sanguine per arterias ad partes illas delati, ibidemque relicti, nonnunquam ulcera excitant, ægrè curabilia: idque præsertim post erysipelas partes il-

Ulcera hæc unde oriantur.

Digitized by Google

las frequenter inferans accidit; quemadmodum & in fœminis menſum obſtructione laborantibus. Inſuper è ſcorbuto hujuſmodi ulcera ſæpe naſcuntur. Etiam quibuſdam familiis talia ulcera admodum familiaria ſunt, ut omnes fœminæ præſertim, etſi aliàs benè valere videantur: ulcera illa diuturna in cruribus habeant.

Partium harum ulcera qualia ſint.

II. Hiſce autem partium extremarum ulceribus maturè omnino occurrendum eſt. Niſi enim ſtatim ſanentur, natura adſueſcit ad haſce partes vitioſos in corpore redundantes humores amandare; qui poſtea, ſi ulcus occludatur, & corpus non diligenter, ſæpiuſque purgetur, alios morbos graviores excitant. Solent etiam neglecta incrementum ſumere, partes vicinas corrumpere, calloſa fieri, ut ita, ſi maturè iis non ſuccurratur, incurabilia fiant. Sed iſtiuſmodi pedum ulcera, in primis quæ tibiæ anteriora occupant, multum laboris chirurgo creant, ex eo quod corporis univerſi humiditates continuò ad partes affectas defluant; quæ res efficit, etiam optima medicamenta fruſtra uſurpari, niſi faſciis per arctè, ab inferiore parte ad genu adſcendendo conſtringatur, ſemelque aut bis quavis ſeptimana purgatio juſta inſtituatur.

Quomodo curari debeant.

III. Igitur ut ulcera hæc ritè curentur, primò corpus diligenter ab humoribus vitioſis purgandum, ac viſcerum dyſcraſia corrigenda. Et ſi plethoricus ſit æger, vena brachii ſecanda, & ſanguis mittendus. In topicis autem ac localibus præſidiis ſemper partium affectarum natura conſideranda, cum non eadem medicamenta ſiccioribus partibus & humidioribus competant. Et ſi ulcera in articulis fuerint, ratione humiditatis partis affectæ, ſicciora & aridiora medicamenta ſunt applicanda, *inquit* Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 5. qui in hiſce ulceribus curandis inter alia laudat *frequentem irrigationem aquâ ma-*

Digitized by Google

rinâ vel *muriâ factam*. Enimvero articulorum ulcera sunt quamprimum exsiccanda & sananda, cum in partibus hisce sæpe ulcera cava & cacoëthe gignantur; tum propter ossium articulationem, tum quia pauco calore sunt præditi articuli, tum quia ctasso & viscido humore perfunduntur. Quapropter pro his ulceribus curandis, exsiccantibus medicamentis *spiritus vini* miscendus erit, qui partes illas roborat, exsiccat, & maximè putredini resistit. Sed cum dictæ partes declives sint, & ideo ad recipiendos humores aptæ, plano loco inter curandum sunt situandæ.

I V. Tibiarum vero ulceribus imponatur *unguentum diapompholigos*, quod in hoc ulcerum genere efficacissimum semper deprehenditur, eò usque donec pus bonum & album appareat. Vel applicetur *unguentum desiccativum rubrum*; vel quod efficacius, *unguentum de minio*, cujus hæc est descriptio:

℞. *Axung. porci rec.* ℥xij.
Cera alba, ceruſæ, minii an. ℥ij.
Lithargyri, lapid. calaminar. præpar. an. ℥j.
Vitrioli albi ℥ß.
M. F. S. A. Unguentum.

Et quia oleosa & pinguia, propter immediatè cutì subjectum periosteum in ulceribus hisce curandis omnino sunt vitanda: laudatur à multis *lamina plumbea tenuissima*, tibiæ ulceratæ firmiter alliganda: nec non *emplastrum gryseum*.

Vel,

℞. *Empl. gryscì, de plumbo an.* ℥j.
Ceruſa, lithargyri an. ℥iij.
Sacchari Saturni ℥ß.
Gummi elemni ℥ij.
M. F. S. A. Emplastrum.

Efficacissimum quoque hisce ulceribus curandis est, *fac totum magistri christiani*:

Digitized by Google

℞. *Ol. rosacei* ℥xij.
Cerussæ, mucilag. rad. consolid. an. ℥vj.
Ceræ albæ ℥iv.
Lithargyri, minii, lapid. calamin. præparati an. ℥iij.
M. F. S. *A. Unguentum.*

Platerus *lib.* 2. *obs.* hoc medicamentum, utpotè validius exsiccans, extollit:

℞. *Cerussæ, aluminis, vitrioli an.* ℥iß.
Aceti vini q. s.
Coq. donec in formam calcis siccæ rèdigantur.
De hac calce dissolve portiunculam in vino albo, quo illinatur ulcus, in eoque intinctum linteum discerptum ulceri imponatur: dein superponatur hoc emplastrum:

℞. *Lithargyri, cerussæ plumbi usti an.* ℥j.
Tutiæ præparatæ, matris pellarum an. ℥ij.
Mastichis, thuris an. ℥iß.
Camphoræ ℥j.
Colophoniæ ℥ß.
Savi cervini ℥j.
Therebinthinæ ℥ij.
Ol. rosacei q. s.
M. F. *S. A. Emplastrum.*

Insuper pro crurum, pedumve ulceribus inveteratis curandis, non semel egregium & efficacissimum expertus sum quod sequitur:

℞. *Herb. artemisiæ, agrimoniæ, scordii, Sum. absynthii, centaurii min. an* Mj.
Aquæ pluviæ ℔vj. *coq. ad* ℔ij.
Incolatura madefiant lintea discerpta, quæ ulceribus hisce imponantur, & bis quotidie renoventur; ac mappa lanea similiter madefacta superinjiciantur.

Laudatur & hoc:

℞. *Aquæ melissæ* ℥vj.

Digitized by Google

Tutiæ præpar. ʒiß. *vel* ʒij.

Fiat mixtura eodem modo usurpanda.

V. Sed harum partium ulcera magnas medico & chirurgo sæpe pariunt molestias, nec curam suscipiunt, nisi è directo ulceris, sub genu vel supra genu, excitetur *fonticulus*, quo affluentes continuò humores deriventur & evacuentur: qui non occludatur priusquam ulcera sint curata & affecta pars, & ex morbi diuturnitate labefactata, satis robusta observetur.

Digitized by Google

PRAXEOS CHEIRURGICÆ

LIBER QUARTUS.

DE

FRACTURIS.

CAPUT I.

De Fracturis in genere.

I. SED quum de affectibus, qui carnosis mollibusque partibus accidere solent, quippe pro curatione manuum opera indigent, abundè nunc dictum sit; modo restat, ut de iis vitiis quoque agamus, quæ ossa invadere possunt. Enimvero quod in parte molli est vulnus, id in dura & ossea est *fractura*, propriè Græcis ἄγμα κατὰ κατάγμα, quæ est ossis divisio seu ruptura à causa externa violenter irruente. In fracturæ definitione omnes ferè auctores sunt concordes, quod sit *continui solutio in osse facta:* in hoc vero differunt, quod Galenus, Paulus Ægineta, & alii Græci, per fracturam intelligant *quamcumque unitatis sive continuitatis solutionem in osse, à re extrinseca violenta factam, tam ab instrumento incidente, quam contundente vel rumpente.* At vero cum de fracturis tantum simus dicturi, quæ à re contundente vel rumpente fiunt; ideo cum Guidone de Cauliaco *fracturam* definiemus: quod sit, *ossis continui solutio absque incisione, violenter extrinsecus à re*

Fractura quid sit

Digitized by Google

rumpendi, vel contundendi vim habente facta: vel potius dicamus FRACTURAM esse *continuitatis ossium solutionem, à violentia quadam extrinsecus irruente accidentem.*

II. Sunt autem variæ fracturam differentiæ, quas tradit Galenus *lib. 6. meth. med. cap. 5.* Franguntur namque ossa vel simpliciter, vel cum adjuncto vulnere, extremitatibus acuminatis fracti ossis musculos, cutemque perforantibus. Idem contingit, cum à glande plumbea vulneratur caro, & subjectum os frangitur. Simplex fractura tribus modis contingit: vel enim franguntur ossa transversim, quæ in primis & propriè *fractura* dicitur. Et quidem si ita franguntur, ut nullo pacto extrema cohæreant, atque è directo non jaceant: in specie hujusmodi fractura καυλώδης, à fractis caulis similitudine appellatur. Dicitur etiam ῥαφανώδης καὶ σικυώδης, à similitudine fractæ radiculæ & cucumeris. Vel franguntur ossa secundum longitudinem instar alicujus asseris: atque hoc fracturæ genus *fissura* vulgo, Galeno σχιδακώδης nuncupatur. Vel franguntur cum contritione in plures partes, & talis fractura σύντριμμα *comminutio* appellatur; quæ & καρυώδης *nucatim* à quibusdam dicitur, quod sit facta in modum contusarum nucis testarum. Fracturarum Differentiæ.

Dein à parte affecta variæ petuntur fracturarum differentiæ. Alia enim est cranii fractura, alia humeri, alia brachii, alia femoris, alia aliùs partis. Insuper alia fractura magna est, alia parva, alia simplex, alia multiplex, alia sola, alia cum carnis contusione & vulnere, alia cum luxatione, inflammatione, gangræna, &c.

III. Causæ autem fracturarum internæ nullæ sunt: externæ vero ea omnia quæ contundendi, vel ossa rumpendi ac dividendi vim habent: sive sit casus, sive ictus quidam violentus, qui sua vi & Causæ.

Digitized by Google

violentia os frangit & comminuit, ac contiguatis solutionem, quam *fracturam* appellamus, efficit. Facit tamen ad faciliorem ossium fracturam eorundem constitutio fragilis, ut etiam leviorem impetum sustinere non possit, sive ea sit naturalis, sive à carie (in primis luem veneream, ac inunctiones mercuriales subsequente) acquiratur. Enimvero ex lue venerea, arthritide, aut inveterato scorbuto carioſum os, levissima accedente causa externa, fractum fuisse aliquoties notatum est. Memorandæ & raræ fragilitatis historiæ exstant apud Marcellum Donatum *de hist. med. mirabil. lib. 4. cap. 5.* Schenkium *libr. 5. obs.* 8. Hildanum *cent. 2. obs.* 66. 68. Qualem & nos observavimus in muliere scorbuto graviter afflicta: cujus historiam adferre haud gravabor. Mulier septuagesimum septimum agens annum scorbutica, postquam tum brachiorum tum crurum doloribus lancinantibus ac rodentibus diu fuisset afflicta, vasculum quoddam è pavimento attollens, mox vehementissimum in crure sinistro sentiit dolorem, ab quem deponere vasculum, & proximo in loco sedere fuit coacta. Dolor hic in dies augebatur, variaque ei sedando per quinque hebdomadas imposita fuerunt remedia: quæ cum nullum adferrent levamen, ecce 2. Junii 1688. per gradus descendens eadem in parte ossium crepitum persentiebat, ab eoque momento omnis incedendi potentia cessabat. 14. Junii vocatus cum Gerardo Dompselaar, medicinæ doctore & cheirurgo N. Schut, crus omnino diffractum observavimus. Fracturam composuimus & deligavimus, linteaminibus madefactis epithemate ex æqualibus partibus *aquæ puræ, aceti rosacei, & spiritus vini*, addito tantillo *salis communis*. Sed penitus emaciata quum esset ægra, nulla succrescentis calli indicia unquam apparuerunt: quin potius,

Observatio.

potius labescentibus in dies viribus, tandem ad plures abierit.

IV. Ad dignoscendas fracturas jubet Hippocrates partem sanam cum ægra conferre, ut discrimen si quod sit, facilius intelligatur. Nam si partis affectæ figura fuerit inæqualis utpotè in loco percusso cava, & in opposito tumida, fracturam suspicari licet. Insuper transversim vel oblique facta fractura facilè cognoscitur, quia ossis fracti extremitates separatæ tactu deprehenduntur: si membrum fractum contrectetur ac variè dimoveatur, crepitus ac fragor in affecto loco, ob ossium mutuam collisionem ac affrictionem auditur; dolor vehemens adest ob divulsionem ac distorsionem partium nervosarum, aut ob punctura eminentis ossis in periosteo. Adhæc fractura femoris, tibiæ, aut pedis, omnem incessum tollit, quem aliqualem admodum licet dolorificum, luxatio concedit, & hoc certum signum distinguens fracturam & luxationem. Adest quoque interdum membri tortuositas & brevitas, dum inferiorum ossis partem musculi convulsi sursum trahunt, sed non semper. Signa diagnostica.

Si vero fracturæ vulnus sit conjunctum, non solum dictis signis ea cognoscitur, sed etiam tactu; digito vel specillo intra vulnus immisso, quibus fractura vel ossis asperitas persentitur.

Fracturæ autem secundum longitudinem factæ difficilius cognoscuntur: deprehenduntur tamen ex membri præternaturali crassitie, inæqualitate, dolore. At comminutio tactu explorari facilè potest; variis enim in locis os digitis cedit, exasperatum valdè.

V. Cæterum ossa fracta nunquam verè reuniuntur, & sicut caro non coalescunt secundum intimas partes: sed ob ossium siccitatem ac duritiem; duntaxat secundum exteriorem superficiem mediante Prognostica.

Digitized by Google

callo, circa oras ipsorum oborto, consolidantur. Facilius autem curatur fractura ossis transversim facta, quam quæ oblique contingit, quæve inæqualitatibus prædita est: quia neque facilè committuntur, & nullo retuso innituntur, carnemque interdum & nervum quoque & tendinem vulnerant: sunt namque illæ fracturæ in quibus capita fractorum ossium sunt retusa minus periculosæ.

Difficilius item curatur fractura, ubi hos in multa fragmenta divisum est, quoque plura sunt fragmenta. Etiam quò fractura major & ossa fracta majora, eò difficilius & tardius consolidatur.

In illis partibus ubi bina sunt ossa, ut in brachio & crure, si alterum tantum frangatur, facilius fractura curatur, quam si ambo sint fracta, cum minus musculi contrahantur, sed ab altero osse integro tensi serventur, atque integrum os fracto sit veluti sustentaculum. Facilius item consolidantur fracta ossa, quæ suis sedibus mota non sunt.

„ Ossa autem minus periculosè in medio fran„ guntur & facilius curantur, & quo propior frac„ tura capiti vel superiori vel inferiori ossis est, eò „ pejor est. Celsus *lib.* 8. *cap.* 10. Enimvero & majores adfert dolores ob nervosarum, tendinosarumque partium læsionem, & difficilius curatur. Quæ vero fracturæ articulis spatio trium vel quatuor digitorum proximæ sunt non solum periculosæ, sed & curatu difficiles, cum commodè ligari nequeant, ac ut plurimum tales difficilem juncturæ motum relinquunt; vix. ob callosam inter tendines, articulorumque ligamenta concrescentem substantiam.

In genere tamen recens fractura ad consolidationem aptissima est. Si vero tempus protrahatur, curatio difficilior redditur, Arabum Princeps Avicenna inquit: „ Quantò serius fracturæ restaurantur, „ tanto pejores sunt; cum spatium illud alienâ sub-

Digitized by Google

„ ſtantiâ repleatur, & in reſtauratione majore ex-
„ tentione egeant, magnæque extenſioni ſæpe ſpaſ-
„ mus ſeu convulſio accidat.

Quæ porro fracturæ cum vulnere ſunt conjunctæ, periculoſæ ſunt & eo periculoſiores, quo majora fuerint vulnera, ac ſenſibiliores partes tetigerint; cum in hujuſmodi fracturis dolores, inflammationes, ac gangrænæ ſupervenire ſoleant, & ferulis aliiſque ſubſtentaculis uti vix queamus.

Demum de tempore conſolidationis fracturæ nihil certi prædici poteſt, cum id variet ſecundum ætatem, habitum corporis, ani tempus, ac alias circumſtantias. Ut plurimum vero naſi, maxillæ, juguli-pectoris, ſcapularum oſſa, coſtæ, oſſa ſpinæ, tali, calcis, manus & plantæ pedis, intra vigeſimum, vel vigeſimum quartum diem conſolidantur. At crurum & brachiorum intra trigeſimum quintum & quadrageſimum diem, &c.

Circa tempus vero, quo oſſa fracta confirmari, ac firmo ſoleant obduci callo, obſervavit Fabritius Hildanus *cent. 6. obſ. 68.* tibias gravidarum fractas, quamdiu uterum gerunt, mediante callo coaleſcere non poſſe. „ Tota enim natura, *inquit*, cum cir-
„ ca formationem fœtus occupata ſit, materiam
„ pro calli generatione deſtinatam ad uterum mit-
„ tit, & oſſa fracta negligit. Cujus rei memorabile exemplum refert *cent. 5. obſ. 87.* de matrona gravida, quæ tibiam fregerat; ubi tantas circa generationem calli habuerunt difficultates & labores, adeo etiam, ut tertiâ & vigeſimâ hebdomadâ, poſt contractam fracturam, movendo & circumagendo pedem, oſſa confracta adhuc vacillarent. Tandem tamen ſcilicet à tertia & vigeſima ad trigeſimam ſeptimanam, fractura fuit confirmata. Cauſam autem tardioris generationis calli in fœtu quærendam eſſe judicat. Quamdiu enim in utero fuit fœtus.

Digitized by Google

Alimentum pro calli generatione destinatum, ad sui nutritionem per vasa umbilicalia attraxisse putat.

CAPUT II.

De Generali Fracturarum Curatione.

Ad curanda fracta ossa quæ requirantur.

I. AT fracturarum curatio tum in rupti, fractique ossis adunatione ac reductione; tum in illius consolidatione & conglutinatione consistit. Ossis vero adunatio chirurgi operâ & dexteritate efficitur: consolidatio autem & agglutinatio virtute ac viribus naturæ, cumque balsamo suo naturali, glutinoso nempe humore, ad coadunanda & consolidanda ossa accommodatissimo, efficacissimo. Enimvero cum fractura sit ossis continui solutio, pro ejus curatione finis ac prima intentio erit unitio. Hanc tamen unitionem medicus facere nequit, sed solius naturæ opus est, quæ in junioribus nonnunquam per intrinsecam & omnimodam partium disjunctarum unionem: in adultis vero, interveniente πώρῳ seu callo, tanquam glutine, conjungere fractas extremitates solet. Est autem callus idoneum ac proprium fracti ossis alimentum quod ibidem effervescit dum concoquitur, & in tumorem attollit substantiam ossis, haud secus ac in taleolis arborum per incisionem adaptatis contingere solet. Atque hic porus seu callus licet non sit os, ita tamen durus est ut si idem membrum denuo frangi contingat, potius alia in parte frangatur, quam ubi callus genitus est.

II. Verumenim vero unitio illa etsi naturæ opus sit; tamen ut ea scopum suum assequatur, plura adhuc necessaria sunt. Nimirum cum ossa fracta, plerumque suo loco dimoveantur, si id accidat, ea restituenda, & ad amussim coaptanda. Deinde

Digitized by Google

hoc modo conjuncta ſervanda. Quæ ſi dextrè à chirurgo fiant, unitio poſtea oſſium ſeu calli generatio opus naturæ eſt. Medicus tamen & hîc naturæ opem ferre debet: quod fit, ſi partis naturalem temperiem conſervet & inflammationem, ac omnia ſymptomata, quæ naturam in opere ſuo turbare poſſent, avertat.

III. Primò itaque ut Corn. Celſus *lib.* 8 *cap.* 7. docet, animadvertendum & conſiderandum eſt, utrum oſſa fracta proprio loco exciderint, nec ne cum non ſemper, ubi tranſverſim franguntur oſſa, ſuâ naturali ſede excidant. Cognoſcitur autem oſſa ſuo loco dimota non eſſe, ſi in fracturæ loco nulla cavitas percipitur, nec punctionis ſenſus adeſt, nec membrum brevius apparet. In hac ergo fracturæ ſpecie non opus eſt, ut membrum extendatur, & de oſſium repoſitione ac coaptatione laboretur.

At vero oſſa fracta ſi loco ſuo exciderint, ita ut unum ſupra alterum efferatur, prima cura eſſe debet, ut reſtituatur. Fit autem hoc duabus operationibus, quarum altera *extenſio*, altera *confirmatio*, ſeu *oſſium in ſuum locum repoſitio* appellatur.

Fracturæ extenſio quomodo ſit facienda.

IV. Igitur in fractorum oſſium reſtitutione opus eſt membri *extenſione*: cum enim muſculorum fibræ, oſſis robore deſtituræ ſequantur naturalem ſuam determinationem, & in ſe contrahantur, neceſſum eſt per vim eos ſimul cum oſſe fracto tantum elongare, quantum à naturali ſtatu receſſerint. Alioquin ſi non recta fiat extenſio in fracturis, ex attritione rumperentur oſſium eminentiæ, quæ dein ſuas in cavitates reponi non poſſent: ſed vel exterius ad oſſium latera hærerent, vel inter oſſa fracta remanerent, oſſiſque fracti coaptationem impedirent.

Ut autem juſta fiat extenſio, danda opera ut fiat minimo cum dolore. Fiet vero hoc, ſi membrum extendendum eâ figurâ colloceetur, in qua muſculi

Digitized by Google

non agant, sed otiosi, & omnes laxati sint; *hoc est*, membri talis sit situs, qui ipsi sano omnium familiarissimus, quive nullam ipsi adferat lassitudinem: quo modo & minore extensione opus est, & minore cum dolore opus perficitur. Extensio interim fiat neque validior neque debilior quam requiritur; sed moderata: quoniam ex validiore extensione insignis oritur dolor, ex quo postea febres, convulsiones & resolutiones sequuntur: in debiliore vero ossium capita committi nequeunt; sed eorum eminentiæ simul confricantur vel franguntur, vel in proprias cavitates recondi ac reponi non possunt.

Cæterum fit extensio hæc aut solis manubus, idque unius vel plurium, vel habenis, sive linteis, fasciisve circumpositis, vel per trochleam trajecto fune, quale exemplum habet Fabrit. Hildanus *cent. 5. obs.* 86. & ex eodem Scultetus *armam. chir. tab. 22. fig.* 1. Extensio namque major vel minor requiritur pro diversitate temporis, ætatis, magnitudinis ossis. Fractura recens, æger debilior, os exile, leviorem exigunt extensionem: vehementiorem vero fractura inveterata, æger robustus, os magnum. Sic minimam postulat extensionem radius; majorem ossa, quæ in summa manu & summo pede sunt; adhuc majorem ossa cubiti, validiorem humerus & tibia, validissimam femur.

In genere autem cognita fractura mox instituatur extentio; si namque id non fiat, magnus ob dolorem vehementem fit humorum affluxus & musculi versus sua principia trahuntur; hinc extensio difficilis evadit, & si instituatur, ossa fracta adjacentes partes carnosas pungunt, ac sequuntur inflammationes, convulsiones, aliaque mala accidentia: „ Quidquid suo loco motum est, ante inflamma„ tionem reponendum. Si vero convulsio oriatur, „ ossibus in suam sedem restitutis, rursus ea (si

Digitized by Google

,, commodè fieri possit) suis locis propulsabimus. Chalmet. *in enchir. chirg. lib.* 4. *cap.* 2. Quod idem docet Hippocrates *l b. de fracturis* §. 36.

Si cum fractura luxatio incidit, primum luxatio modo fieri possit, dein fractura erit curanda; quod majorem vim in restaurando postulet luxatio, quam fractura. Tagaultius *lib.* 5. *cap.* 4. Anton. Chalmetæus Enchir. *chirurg. lib.* 4. *cap.* 2. Oribasius *lib. de machinamentis, vide interprete p.* 498.

V. Extensioni succedere debet *conformatio*, quæ est ossis fracti in suum locum repositio & extremitatum recta coaptatio, quam musculorum legitima figuratio optimè determinat, sic ut nulla in illis contorsio notetur. Ea fit, si postquam membrum eatenus extensum est, ut in reponendo ossa se tangere nequeant, chirurgus membrum utraque manu comprehensum, studeat ad pristinam figuram reducere, impellendo hinc, inde, ante, retro, ad latera, donec extantes particulæ in suas cavitates & pristinas sedes fuerint reductæ. Non sunt autem eminentiæ ossium cum impulsu vehementi in suas cavitates intrudendæ ne rumpantur, sed potius sponte sua, extensione laxata, manubus chirurgi leniter directæ in suas sedes recedant. Repositionem vero probe factam esse ex doloris cessatione, ossis fracti in superficie æqualitate & comparatione cum sano membro facta eluceſcit: sique membrum reductum post fracturam longius appareat, id violentæ extensioni tribuendum est. Conformatio.

VI. Ossa sic probè coaptata exactè conjuncta sunt tenenda, quod præstabit *deligatio*, quæ ita fieri debet, ut & partes commissas servet, & inflammationem arceat. Sed priusquam fascia membro facto injiciatur ad humorum affluxum & inflammationem prohibendam atque partem affectam roborandam linteum reduplicatum *oxycrato* aut *vino rubro adstrin-* Fracturarum deligatio.

Digitized by Google

gente madidum (omiſſis *oleis*, *emplaſtris*, & ſimilibus, utpotè inutilibus, ac non raro admodum noxiis) imponatur ; dein deligatio inſtituatur, quæ nec nimis laxa ſit, nec oſſa ſuo loco iterum dimoveri poſſint : nec nimis arcta, ne alimenti affluxum prohibeat, & dolorem excitet. Perficiatur vero duabus faciis, paratis ex linteis vetuſtis, aliiſque uſibus ex parte atritis, ut ſint tractabiliores, validis tamen nec extentæ lacerentur ; nullas contuſiones aut extantias habentibus, ut æqualiter ac ſine dolore conſtringant. Prior faſcia ſupra fracturam injicienda, & circa eam modicè comprimendo ter involvenda, dein ſurſum verſus ducenda, uſque dum ad ſanam membri partem, quatuor, quinque, vel pluribus circumvolutionibus perveniat, paulatim imminuta compreſſione. Ubi autem ſatis de ſana parte fuerit comprehenſum, ibi deligationem terminare oportet. Dein altera faſcia priore duplo longior contrario modo involvenda : ſi enim prior verſus dextram, hæc verſus ſiniſtram obvolatur ; ut ſi forſan muſculus aliquis per primam faſciam nimiùm ad alteram partem ſit attractus, reſtituatur in partem contrariam per ſecundam faſciam, quæ primum fracturæ injicienda, & una vel altera circumvolutione facta, ab ea incipiens deorſum aliquoties circumvolvenda, ſimiliter paulatim compreſſionem minuendo, iterumque ſupra fracturam ducenda, ita ut ultra primam faſciam in parte ſana terminetur.

Maximâ igitur diligentiâ opus eſt in faſciis arctandis, cumque eæ injiciuntur, patientem interrogare oportet, qualem circumjectam faſciam ſentiat, & ſi premi ſe dixerit laxari debet : ſin vero faſciam ita laxam affirmet, ut minimè fractum membrum ſuſtineat, adſtringere eſt opus. Moderatè ergo faſciæ adſtringi debent, magiſque in parte fracta ſtringi ac

Digitized by Google

coactari quam alibi, ut ab humorum defluxu ea defendatur.

VII. Quoniam vero hæ duæ fasciæ jam circumvolutæ, ad fracturam continendam debiliores sunt, adhibenda insuper *splenia* seu panni linei sæpius complicati, oblongi, crassi, splenis brutorum instar. *Compressa* barbaro vocabulo, latino *pulvilli* vocantur) hæc circa fracturam & totum membrum, per ejus longitudinem adhibenda, ut unum alteri non superponatur, sed inter ea digiti transversi spatium circiter intercedat: quæ firmentur appositis *ferulis*, ex ligno tenui lævigato, aut potius charta crassiore paratis. Etenim cum fasciæ & splenia inflexibilia non sint, fracturam firmam & directam servare nequeunt; sed facilè fieri potest, ut tum vigilantibus, tum dormientibus membrum moveatur. Ut igitur in motibus membrum firmum teneatur, opus est iis quæ rigida sunt & non flectuntur, & tamen minus ponderosa. Quem in finem Hipp. elegit ferulas quæ & rigidæ sunt ac inflexiles, sed leves. Quod si ob membri inæqualitatem ferulæ aptari non possint, partes cavæ spleniis implendæ sunt, ac membrum æquale reddendum, ut ferulæ commodè applicari queant. Desuper vincula alliganda admodum laxa, sic ut appositæ ferulæ cum spleniis contineantur, nec quidquam partem adstringant ac comprimant, sed ut tutum, immobile, ac in debita figura membrum servent. At vero in ferularum appositione cavenda sunt ossa prominentia & excarnia; illis namque appositæ dolorem, nec non alia inferre graviora symptomata.

VIII. Signum autem congruæ deligationis potissimum ipse æger indicare solet, ubi num præmatur rogaveris, atque is respondeat, se premi quidem, sed leviter, idque præsertim qua fractura est. Sin vero patiens fasciis nimis premantur, eæ celerrimæ

Digitized by Google

ſolvendæ & aptius diligandæ, ne ex arctiori vinculo prava eveniant ſymptomata. Sin faſciarum circuitus juſto laxiores, & nihil ſe premi reſpondeat patiens arctius vinciendæ, cum laxa vincula non prohibeant membrum, quo minus, qua fractura eſt, depravetur.

Membri fracti, & deligati repoſitio.

IX. Congruæ deligationi ſuccedit bona membri *repoſitio*, quæ ſit mollis, æqualis, ſurſum vergens, ſic ut nec protuberantia, nec ſinus in loco fracto noretur, neque dolorem & inflammationem excitet. Præterea in repoſitione oportet congruam membri figurationem conſiderare; quæ ſcilicet dolore vacat, & muſculos ex utraque parte integros ſervat: hæc autem eſt figura media in qua dum oriamur ſingula continere conſuevimus, ut in cubito figura angularis in carpo recta, &c. Ea nimirum quæ inter extremos cujuſque membri motus intermedia eſt. Hæc figura niſi obſervetur, exiguo poſt tempore membrum dolere ſolet.

Pars igitur deligata in capſula lignea, qualem depingit Hildanus *lib. de Ichore & Melicer. cap.* 29. & Scultetus *armam. chir. tab.* 56. *fig.* 1. 2. 3. ſtupa linteo involuta repleta, ſive in pulvinari molliuſculo deponatur, atque ita in tertium uſque diem relinquatur, ſi patiens eo quo deligatus eſt die, & ſequenti nocte ſentiat ſe valentius ſtringi; poſtero vero die minus, nec non in parte extrema tumor laxus, mollis, & parvus appareat: ſi vero aut ſit nullus tumor, aut magnus & durus poſtridie in manu vel pede, prava eſt deligatura, quia illa non continet: hæc nimis arcta eſt & inflammationem movet, atque gangrænam non raro minatur; unde nulla interpoſita mora æger ſolvendus, ac denuo, ſed moderatè deligandus eſt.

Faſciæ quando ſolvendæ.

X. Igitur ſi probæ deligationis ſigna adſint, nullusque dolor inſignis, nullave inflammatio ſuſpecta

Digitized by Google

sit, reliquum opus, quod est callum, per quem fracta ossa conjunguntur, gignere naturæ committendum, & deligatio ante tertium diem non solvenda. Tertio autem post primam deligationem die quum laxiores videntur fasciæ solvantur; cumque suliginibus ac vaporibus ob deligationem exhalare prohibitis, & per moram ac stagnationem acrioribus redditis, ita intolerabilis non raro exciretur pruritus, ut in dolorosam excoriationem ac inflammationem terminetur; hinc pruriens pars *aquâ tepidâ* aliquoties perfundatur, ut apertis poris detente sub cute suligines evaporari queant: dein membrum ligatura, quæ moderata paulo arctior sit, constringatur, ac porro ut prius deligetur, inque capsula seu molliusculo pulvinari deponatur in septimum usque diem; nisi pruritus, vel inflammatio, vel dolor, vel quid aliud infestet. Septimo die fasciæ iterum solvendæ, membrum *aquâ tepidâ* perfundendum & deligandum, arctius adductis fasciis; ita tamen ne sanguinis circulatio, spirituumque vitalium ac animalium radiatio prohibeatur.

Membrum ita deligatum detineatur immotum ad duodecimum circiter diem, quo fasciæ denuo solvendæ & membrum deligandum. Si namque tardius solvatur deligatio, magna sæpe incommoda (qualia sunt, partis exulceratio, putredo, gangræna, &c. inde oriuntur; quorum exempla notavit Fabritius Hildanus *cent.* 2. *obs.* 91. qui propterea monet, ut secundo aut saltem tertio die semper deligatio solvatur: & quanquam post septimum non sit adeo necessarium toties fracturam solvere, se tamen de quarto in quartum facias solvere, partemque affectam inspicere solere, scribit. Atque hæc deligatio continuanda (paulo laxius tamen fasciis & ferulis in dies adstrictis, ut nutrimentum ad ossa fracta magis confluere, & callus gigni, firmusque reddi

Digitized by Google

possit) donec callus genitus & fractura sanata sit; quod triginta aut quadraginta intra dies plus minus fieri solet.

XI. Interim ad calli generationem alii exhibent *jusculo, in quibus bullierunt folia agrimoniæ, & radices consolidæ majoris.* Nonnulli *viscidiores cibos* præbent. Alii *lapidem osteocollam pulverisatum & cum jusculo exhibent, & cum cerata extrinsecus applicant.* Sed cum calli generatio, adeoque fractorum ossium mediante callo unitio solius naturæ opus sit, hæc omnia, ut inutilia ac planè inepta, merito rejicimus. Nihilominus tamen, ut omnia quæ naturam in opere suo turbare possent removentur, bona diæta ægrotanti præscribenda: venæsectio aliquando instituenda, & sanguis nonnunquam depurandus: in partium inferiorum fracturis purgantia rarius, ferè sola suppositoria usurpentur: in superiorum autem partium fracturis purgantium atque enematum usus necessarius admodum est.

Fractura per ossis longitudinem facta

XII. Quod si fractura per longitudinem ossis facta sit, fasciæ arctius stringendæ quam in reliquis, ut ossa fracta, quæ secundum latitudinem à se invicem recesserunt; ad mutuum contactum ducantur, & removeri nequeant. Cæterum ea omnia agenda, quæ in transversæ fracturæ curatione dicta sunt.

Digitized by Google

CAPUT III.

De affectibus præter naturam, qui fracturis accidunt.

I. QUoniam vero fracturis non raro quædam accidere solent, quæ aut curationem remorantur, aut post curatam fracturam remanent; ut sunt dolor, inflammatio, pruritus, excoriatio, membri debilitas & gracilitas, figura depravata, &c. quæ idcirco medici operam requirunt, de iis etiam paucis dicendum.

Dolor igitur si adsit, nec in causa sit, ut humores in partem affectam confluant, & inflammationem vel quid aliud excitent, omnino leniendus ac tollendus. Ut vero tollatur, considerandum à qua causa proveniat, quæ statim tollenda. Perpendendum ergo, an ab osse aliquo pungente dolor sit, an à fasciis nimium adstrictis, an ex pravo membri situ, an ex humorum affluxu. Dolor.

Si ex osse pungente dolor sit, (id quod ex levi partis contrectatione & pungente dolore cognoscitur) fasciæ solvendæ, & os pungens vel in locum suum reponendum, vel si fieri possit, eximendum aut præcidendum. Sin ex fasciarum nimia adstrictione dolor oriatur, deprehenditur id ex tumore, qui in membri extremitate apparet, ægerque se vehementer premi conqueritur: tunc quamprimum fasciæ solvendæ, & laxior deligatio instituenda. Sed ob malam membri situationem si dolor fiat, id æger facilè indicat, & situs mutationem postulat, quæ ita instituenda, ut jam sine dolore se esse fateatur.

II. Verum ex humorum defluxu quum pars doleat, *tumor* & *inflammationis* signa apparere incipiunt. In hoc casu si membrum devinctum sit, quam- Inflammatio.

Digitized by Google

primum ſolvendum, & cum linteo duplicato vel quadruplicato calidè imponendum *oxycratum*, vel *vinum rubrum adſtringens*: vel applicetur fomentum anodynum, reſolvens, leviterque repellens, ex *malva*, *althæa*, *violaria*, *ſcordio*, *floribus ſambuci*, *camomillæ*, *roſarum rubrarum*, *&c. in lacte dulci*, *vel cereviſia tenui decoctis*. At priuſquam ſedata fuerit inflammatio, pars affecta non deliganda, ſaltem arctè non ſtringenda.

Pruritus. III. *Pruritus* cum partem infectet & ægrotantem torqueat, ceſſabit ſi *aquâ tepidâ* pars inter deligandum foveatur, ut apertis poris materia pruritum efficiens difflari poſſit. Quod ſi locus affectus aquæ tepidæ affuſionem commodè non admittat, ejus vapori ſatis utiliter apponitur: prohibenda interim ægris ſcalptura, eò quod peſſima, & præter excoriationem dolores excitet graves. Si tamen ex imprudenti ſcalptura, vel ex faſciarum reſolutione diutius quam par eſt protracta, doloroſa oriatur *excoriatio*, ſanatur affuſione *aquæ tepidæ*, uti pruritus; & litu ex *unguento de ceruſa*, *albo camphorato*, *nutrito*, vel ſimili.

Excoriatio.

Gangræna. IV. Non raro quoque fracturis, vel ex attritu, vel ex arctioribus vinculis, vel qualibet alia de cauſa *gangræna* accidit. Quæ qua ratione tractanda ſit, *lib.* I. *cap.* 17. abundè dictum fuit.

Membri gracilitas & debilitas, poſt fracturam relicta. V. Sed & nonnunquam poſt fractarum *membrum gracile & debile manet*: quod fit ob alimenti penuriam, dum à nimia faſciarum ſtrictura partis affectæ vaſa & poroſitates admodum conſtringuntur, adeo ut ſufficiens alimentum affluere nequeat. Id quando fit, pars *aquâ moderatè calidâ* fovenda, donec rubeſcat, eaque laxius deinceps vincienda. Inſuper commendatur à nonnullis *picatio*, quæ fit *nigra pice ſupra linteum ducta*, *parti multoties applicata*, *& violenter*, *velociterque ablata*, ut ratione

Digitized by Google

adhærentiæ, pilorumque evulsionis ac doloris alimentum alliciatur, cavendo postmodum strictam fasciarum circumductionem, quæ affluens alimentum iterum repelleret.

VI. Etiam contingit, ut postquam ossa fracta iterum coaluerunt pristinam & convenientem figuram non recipiant, sed distorta sint, unde membri motus impeditur, & claudicatio in pede oritur, vel in brachio apprehensio læditur. Fit autem hoc, vel ob chirurgi ossa componentis & fracturam deligantis imperitiam aut negligentiam; vel ob ægrotantis vitium, quando membrum fractum ante calli confirmationem movet aut ipsi innititur: vel ob ipsius fracturæ culpam, quum ossis frustulum inter ossa fracta continetur, quod mutuum eorum contactum impedit. Ossa distorta, & malè cõposita.

Emendatur autem hoc vitium, si quidem læsio membri sit magna, continuoque punctiones ob acuitatem capitum ossium non rectè compositorum, persentiantur. Patiens sit juvenis & robustus, callus recens & non diu concretus, os fractum non adeo magnum; si callus iterum frangatur, & ossa rectè coaptentur & componantur. Verum ut tutius fiat hæc calli fractio, is emolliatur multos dies fomentis, balneis & linimentis. Callo satis emollito, chirurgus membrum fractum genu suo imponat, & os utrinque utraque manu deprimat ac denuo frangat: deinde ossis fracti partes manuum palmis coaptet, & fracturæ novæ convenientem curam instituat. At vero si patiens sit senex vel debilis, callus vetustus & induratus os magnum, quale est femoris vel humeri; optimum est illi manum non admovere ob periculosa, quæ hanc curationem subsequi solent symptomata: satius enim est vel deformem vel claudum multos adhuc annos vivere, quam crudeli cura læthalia, provocare symptomata. Etiam si læsio

Digitized by Google

membri in ſuis functionibus non ſit admodum magna, æger ſorte ſua ſit contentus.

Atqui ſi oſſis fruſtulum membrum totum diſtorqueat, inciſio fiat ad os fractum uſque & volſella oſſis portio glutinationem impediens extrahatur, dein fractura per extentionem coaptetur, deligetur, & deponatur, eodem modo quo recens fractura.

CAPUT IV.

De Fracturis cum Vulnere.

I. SEd fracturis non raro conjungitur vulnus, quando oſſium fractorum eminentiæ acutæ incumbentem carnem perforant. Atque in hiſce interdum os fractum nudatum eſt, interdum non eſt nudatum: quumque denudatum eſt, nunc extra vulnus non eminet, nunc vero eminet: deinde interdum os, ſeu fragmentum aliquod adceſſurum eſſe metuimus, interdum nihil abſceſſurum ſperamus. Quæ omnes differentiæ cum variæ ſint, variam ſane expoſtulant curationem.

Curatio fracturæ cum vulnere, oſſe non nudato.

II. Fractura cum vulnere ſimplici, *hoc eſt*, in qua nec os à ſuis tegumentis denudatum eſt, nec aliqua oſſis portio abſceſſura, duas habet pro ſui curatione indicationes. Prima eſt, ut oſſa fracta loco ſuo reſtituantur & conjungantur. Altera, ut vulneris labia ſimul reuniantur. „ Quod ſi os frangatur, „ & unà cum oſſis fractura etiam muſculi & corpora „ adjacentia vulnerata ſint, tunc curationis intentio „ oritur duplex, quarum altera quidem circa oſſa „ fracta, altera vero circa corpora adjacentia vul„ nera verſatur. Galenus *lib. de arte medica cap.* 91.

Primum ergo cruore ſordibuſque deterſis, membrum congruè extendendum, & oſſium fractorum capita debitè coaptanda, haud ſecus ac in fractura ſine

Digitized by Google

sine vulnere. Hîc tamen notandum, ne extensio sit adeo valida, quod partes carnosæ ac membranosæ admodum laceræ, contusæ, & attritæ plerumque sint: alioquin dolores ingentes nec non convulsiones excitarentur, non rarò cum vitæ discrimine. & quidem extensio hæc, ossiumque repositio statim & primo aut ad summum secundo die fiat priusquam parti gravis superveniat inflammatio.

Extensione peracta osseque reposito, vulneris labia ad mutuum contactum adducenda, adductaque servanda per linteola emplastica cruciatim imposita & fasciam. Dein vulneri ea aplicentur, quæ conglutinandi ac vulnera consolidandi vim habere suo loco docuimus.

Post hæc fractura deliganda est, perinde ac si ossa citra vulnus essent fracta. Fasciæ tamen hîc sint molliores & latiores, ut oras vulneri utrinque comprehendant, & sic labia ejus constringant, non comprimant. Angustiores namque si essent fasciæ, tunc vulnus situm tenerent & dolorem inferrent. Cæterum minus etiam stringendæ sunt, quam si vulnus non adesset, ne compresso vulnere dolor & inflammatio oriatur: unde Hipp. & Celsus plures faciunt circumvolutiones, cum melius sit sæpius circumvolvere quam adstringere. Nonnulli autem hujusmodi fracturæ deligationem instituunt per ascialem fasciationem, de qua Scultetus *armament. chirurg. tab.* 27. *fig.* 1. *& tab.* 28. *fig.* 8. 10. ut crebrior fieri possit partis affectæ inspectio.

Tertio, nonnunquam secundo, à prima deligatione die pars solvatur, iterumque deligetur; ita tamen, ut deligatio paulo magis comprimat, quamdiu durat timor inflammationis, nisi dolor prohibeat. In secunda vero & tertia solutione laxior semper fiat deligatio, ut libera omnino sit sanguinis, pro futuri calli [illegible], circulatio. Reliqua cura-

Digitized by Google

tio eadem erit ac fracturæ ſine vulnere ; niſi quod ferulæ non ſint ad vulnus apponendæ , ne id comprimant : ſi vero apponendæ, adhibeantur ad vulneris latera & partem oppoſitam , donec ſanatum ſit vulnus. Raro autem contingit , ſimplex vulnus , ſi fracturæ conjungitur , ſecundo vel tertio apparatu cicatrice non obduci , vel ſaltem carne non repleri. Sanato vulnere ſi nondum confirmatum ſit os , eadem agantur , quæ in fractura ſimplici.

Curatio fracturæ cum vulnere , ubi os nudatum non eſt : oſſis tamen fruſtulum abſceſſurum expectatur.

III. Interdum tamen accidit in fractura cum vulnere , ut os nudatum non ſit ; oſſis tamen fruſtulum abſceſſurum metuamus. Id quod fit , cum ob fracturæ impetum aliquod oſſis fragmentum ita à reliquo oſſe ſeparatum ſit , ut cum eo denuo conjungi nequat. Tum enim natura id quod ſibi moleſtum eſt , aliiſque oſſibus uniri non poteſt , foras protrudere conatur , neque finem facit , donec expulſum ſit ; id quod longiore demum tempore non raro perficere ſolet.

At vero abſceſſurum os indicat ſanies , quæ copioſior , quam pro magnitudine & conſtitutione vulneris effluit. Deinde labia vulneris non coeunt , & ſi coiverint , iterum dehiſci , & ad excretionem ſtimulari videntur , & laxa quaſi ac ſpongioſa evadunt ; nec non tacita quædam motio in parte vulnerata percipitur : neque enim natura vulnus integrè ſanat , ubi aliquid intus hæret , quod reliquis agglutinari non poteſt. Adhæc oſſa abſceſſura indicatur , ſi in plures particulas os comminutum ſit : neque enim tunc omnes facilè conglutinantur.

Cito autem futuram abſceſſionem ſuſpicatur , ſi caro laudabilis in parietibus oſſis ſani generetur. Enimvero non alio modo os recedit , quam dum natura carnem in labiis oſſis ſani creat , quæ os ſuperpoſitum attollit atque propellit , „ maturum oſſis „ exitum , præter probabiles quaſdam conjecturas ,

Digitized by Google

„ inde cognoscere licet; si os semel, iterum, at-
„ que tertio quis pulset, percussum enim si clango-
„ rem & vacui resonitum reddit, apertum de ma-
„ turitate testimonium dabit. M. A. Severinus *efficac. chir. part. 2. de iis quæ ad ossa spectant, cap. 11.*

Tempus vero quo ossa recedere soleant, varium est. Enimvero ætate tenera, tempore æstivo, sique os non adeo magnum sit, viginti, triginta, aut quadraginta dierum spatio abscedit. Si vero sit magnum, ætate adulta, tempore hiemali, vix sexagesimo die, aut etiam tardius os separatur. In magnis ossium contritionibus, etiam post multos annos fragmenta ossium prorumpere, exemplo demonstrat Hildanus *cent. 4. obs. 97.* Quod & in praxi frequenter observari solet.

Si igitur os abscessurum suo loco motum sit, & in vulnere consistat, statim volsellâ extrahendum. Similiter si ossis frustulum per rimam undique à reliquo osse sit separatum, in suo tamen adhuc loco detineatur, nihilominus quoniam nunquam cum reliquo osse glutinari potest, apprehendendum & extrahendum: siquidem sine dolore & violentia extrahi possit: atqui absque magna vi si id fieri nequeat, non debet extrahi, quia facilè excitantur dolor, inflammatio, febris, ulcusque fistulosum redditur, cum extracto osse cavitas illa sanie repletur, quæ corrodendo carnis generationem impedit. Hinc potius naturæ negotium tunc committendum, quæ sensim id quod agglutinari nequit, separat. Interim tamen opus naturæ à medico juvandum, & propterea deligatio laxior instituenda, sæpiusque de tertio sc. in tertium solvenda, ne pus detineatur, sed facilè effluat. Ferulæ etiam eo loco quo os abscessurum non imponendæ, ne dolorem comprimendo pariant. Insuper medicamenta vulneri amovent, quæ

ossa & omne alienum è vulnere expellant. Quem in finem Barbette *chir. par.* 1. *cap.* 3. sequentia proponit:

℞. *Cineris lumbricor. terrestr.* ʒiij.
Mellis virginei ʒiß.
M. F. *Unguentum.*

Vel,

℞. *Alcës, myrrhæ an* ʒß.
P. rad. consolid. maj. aristoloch. rot. an. ʒiij.
Euphorbii ʒij.
Therebinthinæ, ceræ q. s.
Ob. liliorum alborum parum.
M. F. *Unguentum.*

Osseculo tandem omnino separato, ac citra violentiam extracto, ferulæ adhibeantur ad latera vulneris donec id consolidetur. Si autem, vulnere ad cicatricem perducto, fractura nondum fuerit confirmata, ferulæ undique erunt apponendæ, ut in fractura simplici.

Verumenimvero si ossium fragmenta, quanquam à suo toto separata, periosteo tamen adhæreant & affixa sint, nullo modo sunt educenda, sed potius in suum locum, situmque naturalem aptè reducenda cum coalescere & conglutinari queat.

Attamen insignis ossis portio si sit abscessura, ideo quod ossis fracti partes non potuerint cum aliis componi: tales partes vulneratæ omnino leniter tractandæ sunt. Enimvero propter motum & compressionem dolores accidunt vehementes, pungentibus ossis diffracti particulis non ritè compositis partes vicinas.

Si vero non statim, sed demum postea, os abscessurum appareat, deligatio hæc (ut membrum quotidie deligari & solvi commodius queat, absque eo quod fractura moveatur) mutetur in ascialem fasciationem, donec os abscederit. Osse autem abscesso, ac in conspectum detruso, eoque volsellâ,

Digitized by Google

si citra violentiam fieri possit, extracto vulnus consolidandum. Quo ad cicatricem perducto, membrum in quiete conservandum, donec fractura confirmetur, appositis undique ferulis.

IV. Cæterum in fractura cum vulnere si os periosteo suo denudatum appareat, videndum utrum extra vulnus emineat nec ne. Extra vulnus si non emineat, curatur moderata membri extensione, convenienti coaptatione, labiorum vulneris ad mutuum contactum adductione, apta deligatione, & congrua depositione. In deligatione tamen denudatum os cute, musculisque quamprimum cooperiendum, sicque ab aëre externo quantum fieri possit defendendum, ne alteretur & postea abscedere necesse sit; hinc considerandum an aliqua ossis portio sit recessura vel nulla? nulla abscedet, si os nudatum statim cutis operculo fuerit retectum: aliqua recedet, si os diutius aëri fuerit expositum, quanquam & hæc regula non ita universalis, quis sæpius observatum sit, ossa propter causas tum externas, tum internas denudata, non fuisse alterata, nec squammam abjecisse, uti variis exemplis ostendit Fabritius Hildanus *cent. 4. obs. 95. & 96.* Curatio fracturæ cum vulnere, in qua os nudatum est.

Si igitur nullum aut parvum os abscessurum sit, deligatio peragenda, velut in fractura cum vulnere simplici, & in qua parvi ossis expectatur separatio; sin magnum sit abscessurum, asciali deligatione pars vincienda, uti in fractura cum osse magno abscessuro.

At vero os fractum, nudatumque si extra vulnus emineat perpendendum, an in propriam cavitatem beneficio debitæ extensionis, citra violentiam & convulsionis periculum restitui possit nec ne? si possit, restituatur, sin minus non restituatur. Periculosam restitutionem indicant, prominentia magna, inflammatio, & pars ob musculorum con-

BIBLIOTECA
Digitized by Google

tractionem dura : facilem vero , os eminens parvum , abſentia inflammationis & partis mollities.

Cum igitur os eminens citra violentiam & periculum convulſionis reponi poſſit , primò membrum moderatè extendatur , deinde fractura componatur. Quod ſi oſſa extenſione difficulter coaptari queant , ob timorem magni doloris & periculoſæ convulſionis , validior ne fiat extenſio , ſed vecte ſeu ſcalpro quodam inciſorio , inter oſſa fracta immiſſo , (vid. Scultet. *tab.* 27. *fig.* 9. extenſio juvetur , donec oſſa è directo collocata videantur : deinde paulatim extenſio relaxetur , & vectis extrahatur. Verumenim verò ſi os , cui innititur vectis in ſuperiore parte multa fragmenta vel aliquod acutum habeat offiículum , ut vecti non detur commodus locus , illa ſcalpro roſario auferenda; hoc autem forfice præcidendum , ut vecti tuta comparetur ſedes. Oſſe repoſito , conſiderandum , an fragmentum aliquod abſceſſurum ſit nec ne ? ſi nihil ſit receſſurum , pars affecta (vulneri appoſito conveniente digeſtivo) deligetur , ut fractura cum vulnere ſimplici , ſin vero aliquid receſſurum , deligatio inſtituatur , ut in fractura cum magni oſſis ſeparatione.

V. Quod ſi eminentia denudati oſſis ita foras proturberet , ut ſine violentia in locum ſuum reponi nequeat ; tunc è duobus malis minus eligendum , oſque eminens & nudum forfice præcidendum , vel potius ſubtili ſerrâ amputandum , & poſtea fractura per modicam extenſionem coaptanda : hoc enim melius eſt quam hujuſmodi oſſa non coaptata relinquere , vel extenſione violenta ægrum in periculoſam præcipitare convulſionem , & ad mortem deducere. Fracturâ coaptatâ membrum deligetur , ut fractura cum vulnere ſimplici , ita tamen ut vulnus quotidie ſine cruris commotione inſpici poſſit : atque hinc ſuadet Scultetus , ut faſciis & emplaſtris

Digitized by Google

foramen ſupra vulnus incidatur, ad medicamenta vulneri magno quotidie applicanda. Rationem porro faſciarum perforationis addit: „ Quia vulnus „ magnum, & ideo per ſecundam intentionem „ curandum, copioſam generat ſaniem, indeque „ crebram requirit inſpectionem: os autem commi„ nutum ob metum novæ muſculorum contractio„ nis, frequentiorem membri elevationem, faſcia„ rumque reſolutionem prohibet, unde media via, „ ut vulneri & fracturæ ſatisfiat, incedendum.

Veruntamen cum eminens os reſecatur, ita ut os brevius fiat, multi ægro prædicendum volunt, partes fractas futuras eſſe breviores: quæ prædictio ex Hippocrate & Galeno vera eſt, quando femur vel humerus fractus particulam oſſis amiſerit, ſed cum tibiæ vel cubito portio quædam abſcindatur, brevitas membri ſemper timenda non eſt: os enim ſanum conſervat membrum diſtentum, donec natura defectum abſciſſæ portionis callo compenſaverit. Cujus rei memorabile in nobili viro vidimus exemplum. Is è curru, equis in furorem incitatis penitus diffracto decidens, tibiam cum fibula circiter in medio diffregit, tanta cum violentia, ut ſuperior tibiæ pars cutem ad duorum digitorum latitudinem perforaret, atque omni perioſteo privaretur: vocatus cum Cornelio van Beeſt Medicinæ Doctore, & Chirurgis Herberto à Ravenſvvay, N. du Prée, ſuaſimus unanimiter eminentis iſtius oſſis perioſteo penitus denudati ablationem; dictum factum, & altero die os illud ſubtili ferrâ amputavimus, crus ad priſtinam longitudinem extendimus, & in molli pulvinari æqualiter depoſuimus, vulnus quotidie inſpiciendo: atque ſic ex utroque oſſis fine paulatim ſuccreſcens callus tandem coivit, ſenſimque in oſſeam duritiem firmatus eſt, ita ut crus priſtinam longitudinem retinuerit, & ubi ablatum ſit, nunc

Obſervatio.

Digitized by Google

videri vix possit. Haud absimilem historiam recenset Cl. Diemerbroxius *anatom. lib. 9. cap. 1.* nec non Scultetus *armament. chirurg. tab. 28.* ex quibus insuper patet, ægrum è duplici fractura cum vulnere & deperditione ossis, restitutum nonnunquam non claudicare. Imo femur licet, vel humerus fractus particulam ossis amiserit, non tamen semper sequitur, partem illam futuram fore breviorem: ita videtur observasse doctissimus Lindanus, qui *physiolog. cap. 16. art. 21.* hæc habet: „ Memoriâ dignum „ est, quod meus pater vidit enchusæ puero sexen„ni comminutum est os femoris: fragmentis arte „ & naturâ sequestratis, medio osse exos spatium „ erat quatuor pollicum. Id visum est ex reliquis „ partibus ossis sensim adauctis & tandem coeunti„bus ita impleri, ut dicere non liceret, ubi abfuis„set, aut quod incommodum haberet ex fractura.

CAPUT V.

De Fracturis in specie.

I. IGitur de fracturis in genere cum satis nunc dictum sit, cumque ossa quæ franguntur varia sint, & secundum ossium fractorum varietatem curatio nonnihil variet, haud abs re erit, de iis in specie quædam superaddere; saltem proponendo differentias, quæ à subjecto, & ossium fractorum diversitate sumuntur. Et quia frequentissimè franguntur humerus, brachium, manus, femur, crus, patella, ossa pedis, de iis primo dicemus; postea & reliquorum ossium fracturas subjungemus.

Humeri fractura. II. Enimvero humerus cum externis injuriis expositus sit, sæpius frangi solet. Appellatur autem *humeri os*, id quod inter cubitum & summum humerum interjacet, & superiore ejus capite cum

Digitized by Google

ſcapula committitur, inferiore vero ulnæ & radio articulatur.

Cognoſcitur oſſis hujus fractura non ſolum ex partis dolore & actione læſa, cum cubitus amplius ſuſtineri & elevari nequeat; ſed etiam tactu, cum ſi pars hæc prematur, oſſium fragor ac ſtrepitus audiatur & inæqualitas perſentiatur.

Humeri os, ut Hippocrates *lib. de fracturis* §. 9. Paulus Ægineta *lib.* 6. *cap.* 100. & Celſus *lib.* 8. *cap.* 7. inquiunt, quadraginta diebus coaleſcit. Cum autem ſit grandius, longiore tempore ad callum generandum opus habet.

Fractum vero os humeri ut reſtituatur, brachium incurvetur, ſic ut incumbat pectori, mox humerus circa articulationem inferiorem comprehenſus deorſum ducatur: factâ hac extenſione, oſſa conveniente manuum opera componantur; quod haud ita difficulter fieri poteſt. Sedulo tamen hîc curandum, ut ſemper in hoc ſitu ſervetur, ne iterum quod levis mutatio efficere valet eo excidat. Chirurgus interim, poſt ſecundam præter propter deligationem, quavis vice brachium in rectum prudenter extendat, ne tendines ab humero ad cubitum excurrentes diuturnâ eâ quiete contrahantur, ſicque rigiditas accidat brachio. Si vero hæc tendinum contractura relinquatur, haud difficile eſt eam curare, ſi quotidie ingens pondus geſtet æger chirurgus autem rigidum membrum frequenter illinat unguento emolliente & relaxante.

Hippocrates *lib. de fracturis* §. 8. alium proponit modum, quo humeri os fractum extendi & componi debeat, de quo inſpiciatur Sculteti Armamentarium Chirurgicum *tab.* 23. *fig.* 1. Vult enim ſapientiſſimus ſenex, ut rotundum lignum cubiti longitudinis vel paulo brevius ab utroque capite habenulis alligetur, quæ trabi vel alicui ſublimi

Digitized by Google

adhæreant, ſicque æqualiter ac firmiter lignum ſuſpendatur, ne ſurſum vel deorſum fieri poſſit: deinde æger brachium ſuper dictum lignum imponat, *id eſt*, ut tranſverſum lignum alæ ſubjiciatur; tum patiens ſedeat ita ſublimis ut parum abſit quin ſuſpendatur: interim aliquod aliud paretur cui brachium inhæreat, pulvinari uno vel pluribus brachio ſuppoſitis, ita ut ad eam altitudinem perveniat, ut cubitus ad rectum angulum collocetur, vel à miniſtro ita detineatur. Deinde cubito valida, mollis, & lata habena circumdetur, cui magnum pondus appendatur, quod extendere convenienter poſſit; aut robuſtus aliquis partem inferiorem, cubito cum humero ad rectum angulum figurato, cogat ac trahat. His factis, Chirurgus ſtans, altero pede ſuper re quapiam ſublimiori collocato, prominentioribus palmarum partibus fractum os componere debet. Alii autem ſcalarum gradu ſuſpenſi ligni vice utuntur.

At vero manubus non raro fieri poteſt hæc extenſio, præſertim in pueris: reſupinato enim ægrotante, ne moleſtiâ aliquâ afficiatur & alligata ac ſuſpenſâ ipſius manu ex cervice, ita ut anguloſa figura ſervetur, alter ex miniſtris ambabus manubus humeri ſuperius caput apprehendo, alter inferius in diverſa extendendo. Quod ſi manuum operâ expediri non poſſit in adultioribus, ob muſculorum craſſitiem & robur, laqueis extenſio fiat, quorum alterum ſupra, alterum infra fracturam brachio circumligare debemus, iique duobus miniſtris (quorum alter ad caput, alter ad pedes ægrotantis conſiſtat (ut in diverſa æqualiter & ſimul extendant, præbeantur.

Facta quovis modo extenſione, oſſibuſque convenienter compoſitis, faſciæ injiciendæ, incipiendo à fractura, attendendumque ut ſemper in ea ſi-

Digitized by Google

gura ligetur membrum in qua manere debet, *id est*, ut cubitus cum humero rectum angulum constituat. Cætera porro agantur, ut in generali fracturarum curatione superius diximus.

Cubiti sive brachii fractura.

III. Brachium propriè dicitur illa pars quæ est à cubito ad carpum. Constat duobus ossibus, quorum alterum *radius*, alterum *ulna* dicitur: atque frangitur nunc utrumque, nunc alterutrum tantum.

Fractura brachii, ubi unum saltem os fractum est, facilius curatur: at utrumque si fractum sit, pessima est & difficilius curatur: majore namque extensione tunc opus est, cum ossa fracta nullum fulcrum & sustentaculum habeant; atque adeo musculorum fibræ ossis robore penitus destitutæ, naturalem suam determinationem omnino sequantur & in se contrahantur. Ut plurimum tamen brachii ossa intra triginta præter propter dies coalescunt; quanquam ætas ab ætate, natura à natura differat. Veruntamen si alterum saltem brachii os fractum sit facilior est curatio, cum subjectum habeat alterum, in quo plus opis est quam in fasciis feruliſque. Et si radius tantum frangatur, faciliorem admittit curationem, sin ulna difficilius curatur.

In curanda brachii fractura haud secus procedendum, ac in aliarum partium fracturis curandis. Ad extentionem vero minore vi opus est, ubi radius fractus fuerit; majore, ubi cubitus seu ulna; maxima, ubi utrumque os. Et quidem si ambo ossa sint fracta, æqualis extensio facienda: si alterutrum solummodo fractum sit, ea in parte ubi fractura est, fortior extensio instituenda. Atque hæc actio ex sententia Pauli Æginetæ *lib.* 6. *cap.* 101. fieri debet inflexâ manu ad angulum rectum, sic ut pollex omnium digitorum altissimus, contra minimus digitus omnium infimus habeatur. Fieri autem potest extensio manubus à duobus ministris in diversa ex-

Digitized by Google

tendentibus, & si vehementiore extensione opus est, utriusque præsertim ossibus fractis, & in valde carnoso, habenis facienda, alligando unam supra fracturam alteram infra. Extensione facta, admotis prominentibus palmarum partibus os fractum dirigendum & componendum, atque in pristinam sedem restituendæ si quæ ossium adsint eminentiæ. Osse fracto repositio, fractura fasciis circumdanda & alia quæ in genere de fracturæ curatione dicta sunt peragenda, tandemque brachium rectè collocandum ac situandum: quod fit si incurvatum imponatur pectori, sic ut manus paulo altiorem occupet locum quam brachium ipsum, nec non mitellâ commodissimè excipiatur è cervice suspensum in ea figura, *hoc est*, quæ rectum angulum referat in cubiti curvatura, ut conjuncta ossa nullo modo dimoveantur. Post hæc singulo biduo aut triduo leniter brachium extendatur, quo affluentes humores non nimis diu in articulis detineantur, adeoque non efficiat harum partium coalitum, & hinc membri rigiditatem. Similiter si superius ulnæ tuberculum, *olecranon* dictum in ipsa cubiti flexura fractum sit, qualibet vice inter deligandum, leniter brachium extendatur & iterum cubitus incurvetur, ne in ipso articulo vix inter ejus tendines & ligamenta, callosa concrescens substantia junctura difficilem motum, vel omnimodam rigiditatem relinquat.

Ossium manus fractura.

IV. Manus ossa sunt octo, *carpi* quatuor, *metacarpi* seu *palmæ manus*, & quindecim *digitorum*. Hæc ossa digitorum vix & præsertim metacarpi fracturam nonnunquam patiuntur; at vero carpi ossa contunduntur magis quam franguntur.

Cognoscitur autem fractura in hisce ossibus facilè visu & tactu, cum hæc ossa fracta vel ad exteriora, vel ad interiora ut plurimum declinent. Non diffi-

Digitized by Google

culter tamen, & quidem intra viginti præter propterdies perfectè coalescunt & sanantur.

Quando ergo quoddam manus os frangitur, patiens læsam manum super æqualem & levem tabulam deponat. Deinde minister ossa fracta extendat: chirurgus vero manu in suam sedem ea restituat; hinc conveniente fasciâ partem obvolvat. Et quidem si digiti fracti sint, excepto pollice, vicinis sanis alligandi, ut ab iis in suo loco quasi à ferula apposita contineantur. Tandem glomo ex linteo convoluto manus vola complenda, ut hoc modo ossa composita facilius contineantur, & digiti in media figura conserventur. Manus quoque cum brachio à collo idoneâ fasciâ suspendatur ac in quiete detineatur, quousque fracta ossa consolidentur; dein tertio vel quarto quoque die vincula solvenda, & pars *multâ aquâ calidâ* fovenda ac perfundenda, cum dixerit Hippocrates *lib. de fracturis.* „ In omnibus „ autem qui juxta articulos sunt affectibus liberaliter „ calida aqua perfundenda est, deinde medicamen„ ta applicanda, & rursus pars deliganda. Et sane multum hoc modo præcavebitur, ne digitis vel extensis vel contractis callus tam facilè generetur, adeoque ne manus officium in comprehendendo lædatur. Hipp. *lib. 6. epidem.* naturæ cujusdam historiam refert, cui ob fracturam medii digiti, exortæ inflammationi gangræna successit, tandemque spasmo episthotono correptus interiit.

V. Femoris os, licet cæterorum ossium quæ in corpore humano sunt, maximum, crassissimum, & longissimum sit, nonnunquam tamen frangitur, vel in medio vel in extremis lociſque vicinis. Femoris fractura.

De femoris fractura Hippocrates *lib. de fracturis exedit lindani* §. 23. ita scribit: „ At vero si femo„ ris os fractum fuerit, extensionem præ omnibus „ facere oportet, ita ut ne defectuosius fiat. Am-

Digitized by Google

„ plior enim facta nihil læserit. Neque enim si quis
„ distantia ex vehementia extensionis ossa deliga-
„ verit, fieri potetit, ut deligatio ipsa teneat, ut ità
„ distent: sed coeunt inter se ossa quam citissimè,
„ ubi intendentes ipsa remiserunt. Crassissimæ enim
„ ac fortissimæ quum sint hac parte carnes, deliga-
„ tionem superabunt, non ab ipsa superabuntur.
„ Hoc confirmare videtur C. Celsus, dum *lib.* 8.
cap. 10. id scriptum relinquit: „ si femur fractum
„ est, fieri brevius oportet, quia nunquam in anti-
„ quam sedem revertitur, summisque digitis postea
„ ejus cruris insistit. Sed multa tamen femori debi-
„ litas est, ubi fortunæ negligentia quoque accessit.
Et Avicenna *lib.* 4. *fen.* 5. tradit, raram admodum esse femoris fracti integram curationem. Quibus verbis nos monent, ut integram femoris fracti curationem nunquam promittamus, sed omnem potius diligentiam adhibituri claudicationem dubiam prædicamus, ne ex fracturæ natura, aut ex ægrorum impatientia superveniens, nostro adscribi errori, & præmii loco famam minuere possit. Scribit quoque Fabritius Hildanus *cent.* 5. *obs.* 86. se neminem unquam vidisse, qui ex hujusmodi fractura sine claudicatione evaserit, præter unicam puellam, cui novam & peculiarem curandi rationem adhibuit, quæ ibidem videri potest. Id autem præcipuè accidit, si femur in loco superiore juxta coxam frangatur. Sin vero genu versus, aut in medio femoris os frangatur, & diligens cura adhibeatur, non adeo difficulter & sine claudicatione fractura sanari potest.

Ubi igitur femoris os fractum est, valenter omnino extendi debet & recto tramite, ita ut in neutram partem convertatur: violenta extensio convenit, quoniam maximi sunt musculi qui femur circumdant, & magnam versus suum principium contractionem faciunt.

Digitized by Google

Resupinato ergo ægrotante & extensis cruribus, valida extensio fieri debet, vel manubus vel habenis, ut videre est apud Scultetum *Armam. chirurg. tab. 26. fig. 1.* vel instrumentis sive machinamentis, glossocomo puta vel trochleâ trajecto fune, qualem depingit Fabritius Hildanus *cent. 5. obs. 86.* nec non Scultetus *tab. 22 fig. 1.* Extensione sufficiente factâ, musculi utpotè validissimi, facilè fracti ossis partem inferiorem ad superiora adducunt. Id tamen ut ritè & decenter fiat, prominentibus palmarum partibus, ut in aliis fracturis, os dirigatur & comprimatur, adeoque ossis fracti capita coaptentur. Interim meminerit chirurgus priusquam operi se accingat, femur anteriore & exteriore parte gibbum esse, interiore & posteriore curvum, ut ad eam figuram femur reducat, ne superveniat claudicatio Hipp. *de fract.* §. 24.

Reductum femur aptâ & conveniente ligaturâ deligetur, qualis est fascia ascialis, quæ simul & in orbem circa coxam & ilia, ut inguina etiam, & quod inter anum & genitale est, involvatur; cum ob alias causas, tum ne externæ ferulæ nudam partem offendant.

Insuper fractum femur conveniente fasciâ obligatum longo canali, qui poplitem excedit, imponatur. Nam si canalis femori adaptetur, qui poplitem non excedit, is noxam potius quam opem adfert, prohiberi enim non poterit, quin corpore aut crure moto femur quoque moveatur. Popliti etiam molestus erit; & genu curvari permittet: si vero quis genu quodammodo flectat, femoris quoque vincula moveri necesse est, & musculos alio atque alio modo figurari, adeoque & ossa fracta dimoveri. Ideoque utilissimum videtur, femur in canalem conjici, qui à coxa ad pedem usque pertingat; & præcipuè, si ad poplitem cum canali fascia laxa circumjiciatur,

Digitized by Google

velut infantes in cunis fasciari solent. Enimvero ubi femur in partem superiorem aut ad latus distorquebitur, ita cum canali melius continebitur canalis igitur à summo ad imum usque aut nullus adhibendus.

Cæterum imo culci magna habenda cura, ut tum in femoris, tum in tibiæ fracturis aptè collocetur: etenim si pes dependeat tibiâ reliquâ obfirmatâ, ossa in anteriore cruris parte gibba apparere necesse est, idque eò magis, si hominis calx suapte naturâ grandior fuerit. Hipp. *l. de fracturis* §. 26.

Sed distorsio femoris præcavebitur, si membrum in, ante, & post deligationem instrumento glossocomo (vide Scultetum *armam. chir. tab.* 21. *fig.* 4.) conservetur extentum, usque ad perfectam fracturæ confirmationem. Ne autem instrumentum hoc partem suâ duritie atterendo lædat, ideo aliquid molle subjiciendum, uti est lana carpta, mollis stupa vel simile.

Patella fracta.

VI. Patella etiam interdum frangitur, & quidem nunc secundum longitudinem respectu totius femoris nunc in transversum, nunc in obliquum, & nunc in duas, nunc in plures partes comminuitur: insuper nunc cum vulnere, nunc sine vulnere.

Hujus autem ossis fractura facilè innotescit ex tactu, cum partes divisæ persentiantur, cavitas appareat, & crepitus in contrectatione audiatur, nec non omnimoda adsit incedendi impotentia.

Patella equidem ut alia ossa rara facilè coalescit, modo rectè conjungatur & conjunctura servetur. Et si secundum longitudinem facta sit fractura, sine manuum operâ solâ musculorum tibiam extendentium contractione ossa conjungatur & conjuncta pulvillis, spleniis, fasciisque non difficulter in suo loco retinentur ac uniuntur viginti circiter dierum spatio: atque ita nulla calli extuberantia, &

hanc

Digitized by Google

hanc subsequens claudicatio facilè metuenda. Ambrosius Pareus tamen *chirurg. lib. 14. cap. 22.* neminem sibi visum fuisse scribit, cui os hoc fractum esset, qui non per vitæ reliquum claudicaverit: idque ideo quod facta calli concretione consolidatio liberam genu flexionem impediat. Verum etsi hæc de transversa fractura facilè concedi possint: tamen rectè statuit Fabritius Hildanus *cent. 5. obs.* 88. non semper, præcipuè in fractura patellæ secundum longitudinem facta, id esse necessarium; cum non semper callus ita protuberans nascatur, ut motus impedimentum in genu & claudicationem afferat, videamusque in aliorum ossium fracturis, naturam tam eleganter callum generare, ut sæpe vix fracturæ appareat vestigium; quod in primis accidit, ubi periosteum integrum est, quod materiam calli retinet, ne nimis excrescere & perturberare queat.

Si vero fractura transversim vel oblique facta sit, difficulter admodum curari potest, ut incedendi impotentia, vel saltem claudicatio non relinquatur. Enimvero cum musculi tibiam extendentes sursum versus & pedem moventes deorsum trahant patellam, ossa fractæ patellæ ita disjunguntur, ut haud facilè conjungi, aut conjuncta retineri queant, unde callus extuberat, qui cavitatem inter femur & tibiæ os adeo adimplet, ut articuli istius motus impediatur. Nihilominus symptoma hoc prudens chirurgus non raro prohibere solet, si qualibet vice inter deligandum, fractam patellam digitis (ne fragmenta composita denuo dimoveantur) firmiter apprehendat, & undique loco prudenter moveat.

Itaque in huius ossis restauratione, crus primo extendendum est; dein à chirurgo patella seu in duas, seu in plures partes fracta conjungenda, & secundum naturalem figuram æquanda, nec non convenienter ligaturâ continenda. Torulis vero im-

Digitized by Google

positis stramineis, ut in fractura cruris fieri solet, membrum immobile tenendum & omnino cavendum, ne crus flectatur. Hoc enim si fieret, fragmenta composita suo loco iterum dimoventur; quem in finem poplitis cavitas rotundis spleniis exactè implenda, ut genu curvatura impediatur religiosè interim observet chirurgus, ut inter deligandum fractam patellam prudenter ultro citroque moveat, ne inter tendines & ligamenta, quibus continetur patella, callus concrescat; hinc & articuli istius motus difficilis, vel omnimoda rigiditas, atque adeo incedendi ferè impotentia, aut saltem claudicatio relinquatur.

Crutis seu tibiæ fractura.

VII. Crus illa pars appellatur, quæ à genu ad pedem extenditur. Constat duobus ossibus, quorum quod crassius est, & internam cruris regionem occupa, *tibia*; quod tenuius & exterius *fibula* nominatur. Franguntur hæc ossa interdum ambo simul, interdum unum tantum: & fractura accidit vel in medio, vel in superiore, aut inferiore parte.

Si utrumque os fractum sit, facillimè id cognoscitur, cum totum crus inflecti possit. Nec difficulter cognoscitur tibiæ fractura, si ea tota fracta sit; quoniam totum hoc os in conspectum, utpote in loco excarni facilè venit. Si verò fibula sola frangatur, id non ita facilè cognoscitur, quoniam multâ carne tegitur: fracta tamen pars ad interiora inclinare solet.

Si ex ossibus hisce alterum fuerit fractum, facilior curatio est: præsertim si fibula tantum sit fracta, curatur facilius, & æger citius pedi insistere potest, cum facilius crus extenditur, & tibia maximam oneris corporis partem sustinet. Tibia vero si fracta sit, curatur difficilius, quia crassior & vice fundamenti totum corpus sustentat: hinc & majo-

Digitized by Google

re extenſione opus eſt, & homo tardius incedere audet. At utraque oſſa ſi fracta ſint difficilis admodum eſt curatio, tum quia validior requiritur extenſio, tum quia omni fulcro deſtituta eſt pars affecta.

Sive ergo utrumque, ſive unum os frangatur, crus, quantum opus eſt, extendendum, ut ſine læſione oſſa ſuo loco reſtitui & conjungi queant. Quod plerumque duo viri robuſti (ſi alter in partem inferiorem, alter in ſuperiorem crus trahat) manubus præſtare poſſunt. Quod ſi id exequi nequeant, habenis vel machinamentis utendum. Et ubi ſatis extenſum crus fuerit oſſa, fracta reponenda. Deinde faſciis crus involvendum; quæ & latiores & longiores eſſe debent quam in brachio: & omnino ita ſituandum ac componendum, ne in ullam partem perverti poſſit, neque oſſa fracta depravari queant. Tandem crus rectum & extenſum ſuper pulvinari, aut re molli & plana collocandum, & ferulæ accanales adhibendi, ut *cap.* 2. de generali fracturarum curatione diximus. Qua in re obſervandum, ne ſuper eminentes oſſium extremitates applicentur, vel ſuper magnum muſculorum gaſterocnemii ac ſolei tendinem, qui calcaneo inſeritur. Hæ namque partes, cum ſenſum habeant exquiſitum, compreſſionem non ferunt, ſed compreſſæ dolent ac inflamantur. De ſitu autem tibiæ fractæ hæc habet Fabritius Hildanus *cent.* 1. *obſ.* 93. „ In fracturis tibiarum curandis, nonnulli chirurgi non levem „ committunt errorem, quum volunt tibiam erec„ tam inſiſtere talo ex qua ſituatione hæc ſequun„ tur incommoda. Primo quidem fit, ut æger tem„ poris progreſſu majorem dolorem patiatur in ta„ lo, quam in ipſa fractura, idque propter ten„ dines magnos & nervoſos, qui talo inſeruntur. „ Dolor autem ille multos ad ſe trahit humores,

Digitized by Google

„ qui in ipſa junctura, & ſpatiis inter oſſa pedis „ fracta atque ligamenta retinentur. Et quia ex hac „ ſituatione venæ & arteriæ comprimuntur, & „ proinde pars affecta ſuo calore quodammodo de„ ſtituitur; neceſſario condenſantur & refrigeſcunt „ hi humores in ipſa junctura, & ſpatiis inter oſſa „ pedis. Inde curatâ fracturâ, pes novam adfert „ moleſtiam: ægrè enim & difficulter movetur „ junctura, ſequuntur & nonnunquam alia quam „ peſſima ſymptomata. Id quod idem Hildanus me„ morabili exemplo confirmat quando ſubjungit: „ proſpiciant igitur chirurgi, ne nimis curioſè ſi„ tuationem hanc in fracturis tibiarum obſervent. „ Involutâ autem tibiâ faſciis, ſpleniis, & ſtupis, „ & in capſula idonea collocatâ; ea eligenda eſt ſi„ tuatio, quæ minimè ſit doloroſa. Itaque modo in „ hanc, modo in alteram partem collocanda eſt „ tibia, ut æger nunc in hoc, nunc in illud latus „ decumbere poſſit: ſic enim multa accidentia evi„ tabuntur hæc ille.

Oſſium pedis fractura.

VII. Hominis pes ſicuti manus ex multis minutiſque, nec non duris conſtat oſſibus, magnitudine & figura diverſis. Sunt autem ea ſeptem *tarſi* oſſa, quinque *metatarſi*, quatuordecim *digitorum*. Oſſa vero pedis & manus non frangi ſcribit Hippocrates *lib. de fracturis* §. 10. niſi acutâ vel gravi quapiam re carnoſæ partes vulnerentur. Sunt enim duriora, & quæ acuta ſunt & gravia, ſi oſſa hæc frangant: cutem incunbentem ſalvam non relinquunt. Et Paulus Ægineta *lib. 6. cap.* 106. ſcribit, talum nullo modo frangi, non tantum ob duritiem, ſed quia undequaque ab oſſibus eminentibus eſt minutus. Similiter Albucaſis *lib. 3. cap.* 18. inquit: oſſi calcis nullo modo accidere fracturam, aliis vero pedis oſſibus fracturam accidere poſſe, ac etiam oſſibus

Digitized by Google

digitorum : sed raro hoc evenit, potiusque hæc ossa atteruntur quam franguntur.

Si autem pedis ossa frangantur, visu & tactu id deprehenditur, cum hæ partes excarnes sint.

Horum ossium fractura per se periculosa non est; sed quia non nisi à valida admodum & violenta causa franguntur, partes incumbentes, & vicinæ carnosæ ac tendinosæ simul contunduntur & vulnerantur; unde dolores gravissimi, inflammationes, aliaque superveniunt accidentia. Diebus tamen præter propter viginti conservent & occalleſcunt, nisi quæ cruri vicina sunt. Ea enim cum sint majora, longiùs tempus requirunt.

Curatio ferè eadem est quæ ossium manus fractorum : commoda nimirum facienda extensio & ossa, sive in superiorem sive inferiorem partem eminent, in naturalem sedem compellenda : quod commodius fit, si æger pede facto tabulæ planæ panno obductæ insistat. Deinde fasciis pes involvendus; & cum pedi ferulæ ob loci inæqualitatem commodè admoveri non possint, splenia *oxycrato*, vel *vino rubro adstringente* madida loco affecto imponenda, faciisque locus vinciendus, ut ossa composita in sua sede contineantur. Situatio tamen & collocatio aliter hîc instituenda quam in manu. Enimvero cum manus datæ sint ad apprehensionem, curvâ figurâ digiti collocandi sunt. Pedes vero cum ad ambulandum & standum dati, rectâ figurâ situandi, non curvâ, ne eorum actio depravetur.

Narium Fractura.

IX. Insuper & alia nonnunquam franguntur ossa, inter quæ nasi primo loco occurrunt. Conflatur autem nasus ex ossibus & cartilaginibus : ossa ejus propriè franguntur, cartilagines contunduntur, deprimuntur, distorquentur.

Fracta vero hæc ossa ex signis manifestis innoteſcunt, quoniam si adversa fracta sint, nares desi-

Digitized by Google

dunt, & simus nasus apparet, difficulterque spiritus trahitur: si à latere os sit fractum, is locus cavus apparet: sin cartilagines contusæ sint, earum distorsio, & in alteram partem inclinatio adest.

Commodissimè ex sententia Hippocratis *lib. de articulis, excedit. Lindan, §.* 31. restituitur nasus fractus eodem die, vel certè paulò post, nec differentia curatio, quia in naribus callus sito generatur, intra decem dies nisi corrumpatur. Subjungit tamen sapientissimus senex: „ nasus ex omnibus „ corporibus partibus facillimè componitur, & „ nisi protinus dirigatur, dirigi postea non potest, „ sed pervertitur.

Itaque si nasus fractus in inferiorem partem æqualiter dimittatur, simusque reddatur, quamprimum quidquid in cartilaginem incidit, leniter excitandum ac sublevandum, ut sublatum postea decenter coalescat: viz. in nares aliquid intromittatur quod dirigat, ut specillum ad digiti formam fabricatum, ex buxo, vel ebore, vel ferro: aut quod fractum est, elevetur digito in nares immisso, atque in naturalem sedem restituatur. Extrinsecus etiam ab utraque parte nasus apprehendatur, ac sursum ducatur. Ubi autem probè conformatus fuerit nasus, ut naturalem figuram conservet, longa linamenta contorta in nares immittenda sunt, quæ narium cavitatem implent, vel perforata cannula, aut penna introducatur, superimposito exterius emplastro defensivo vel simili.

Si vero in uno tantum latere nasus fractus sit, dirigere etiam convenienter ab ea parte quæ declinat, & in naturalem sedem restituere oportet, tum digitum vel instrumentum commodum in nasum, qua parte læsus est immittendo, tum extrinsecus dirigendo. Et ne quod compositum est, iterum depravetur, in singulas nares (at crassius in narem

Digitized by Google

læsam) linamentum, vel penna anserina grandior molli pellicula obducta, vel fistula aut cannula è plumbo vel argento, itidem pellicula obducta immittatur ac tamdiu intus relinquatur, donec os aut cartilago satis roboretur. Neque multum refert, quid immittatur, modo præstet, ne fractum nasi os subsideat & molle sit odorisque gravis expers. Monet tamen Hippocrates nullo pacto spongiam esse immittendam, quoniam humorem imbibit, atque sic turgendo, partem distendit, cunctaque dissolvit. Etiam deligationem improbat, quam C. Celsus proponit, quia magis nocet quam confert, cum similitatem & majorem amplioremque distorsionem adferat. At de necessitate ligaturæ in narium fractura curanda disputat Guido de Caulliaco *in sua chirurgia*, qui videri potest.

Si juxta cartilaginem nasus fractus sit, & in obliquum distortus, post congruam conformationem, habenula digitum lata, glutine aliquo illita, naso ea parte in quam inclinat, agglutinanda; postea intendenda, quantum expedit, ut nasus rectè dirigatur. Longa autem sit hæc habena, ut circa aurem obducta circum caput obducatur. Hæc justè dirigit nasum, & remitti ac intendi potest. Et si intra nares impositæ turundæ dolorem excitent, tollendæ, & tamdiu nares habenâ directæ servandæ. Post quartum decimum diem habenæ demendæ, & emplastrum aliquod catagmaticum imponendum.

Si autem nasi ossa minutim fuerint confracta, quantum licet, singula in suam sedem reponenda vel idoneis instrumentis compellenda, neque facilè, & nisi nullo modo agglutinari possit, os aliquod eximendum, cum semper deformitatem pariat: postea ceratum vel emplastrum ad ossa confirmanda imponendum. Plura de narium fractura vi-

Digitized by Google

deantur apud Hippocratem *lib. de articulis, articul.* 30. 31. 32. 33. 34.

Maxillæ inferioris fractura

X. Interdum & inferior maxilla frangitur, vel transversim, vel in plurima fragmenta, ossibus semper inter se aliqua ex parte cohærentibus rarò penitus disjunctis & dissolutis, ut in aliis.

Facilè autem fracta maxilla cognoscitur, quoniam si tantum extrinsecus ossa fracta sint, tactu apparet, & in interiore oris parte ferè dens super proximum dentem excedit.

Maxillæ ossa si primis diebus inflammatio non accedat, intra viginti præter propter dies consolidantur, & dentes integri remanent. Sin vero cura diutius protrahatur, dentes vitiantur, & inutiles redduntur, auctore Hippocrate *lib. de articulis articul.* 29.

Si igitur maxilla ita per transversum fracta sit, ut ossa inter se aliqua ex parte equidem cohæreant, digitis utrinque, tam ori immissis quam extra applicatis, os comprimere & in suam sedem compellere oportet: interius namque tuberculum, foras propellendum, & alterâ manu ossa inæqualia complananda. Maxillam vero in suam sedem esse restitutam, ex ejusdem, nec non dentium æqualitate apparet.

Si verò maxilla tota transversim fracta sit, quod tamen rarò accidit, sic ut os super os emineat, & dens super proximum dentem excedat, digitis ori immissis, & extra manu adhibitâ, ossa fracta componenda: & nisi simplici compressione id fieri possit, primum extensio, ministro retro continente & chirurgo ante extendente fieri debet, hinc & ossa inter se componenda. Deinde dentes qui sunt ad fracturam, non tantum bini, verum & plures inter se colligandi, donec ossa ferruminata sint. Hipp. filo aureo utitur: cujus defectu vel filum sericeum,

Digitized by Google

vel seta equina usurpari poterit. Si maxilla in mento fracta fuerit, qua parte ambo colligantur ossa, ambabus manubus inter se coaptari & dirigi debet.

Ubi autem fracta ossa fuerint reposita, quod ex æqualitate dentium cognoscitur, ut suo loco conserventur, extrinsecus ferula, ex corio seu alia conveniente materia, maxillæ longitudini correspondens, apponenda; hinc conveniens deligatura instituenda, quæ fiat fasciâ duabus extremitatibus fissâ, duos digitos latâ, mediâ quoque sui parte in longitudinem inciså, ut utrinque mentum complectatur. Cum ergo fasciæ in extremitatibus fissæ quatuor sint, capita duo inferiora ad summum caput deducantur, ibidemque deligentur, vel pileolo nocturno assuantur; duo superiora transversim traducta ad imum occiput deligentur, vel eidem pileo assuantur.

Sin tali fracturæ vulnus sit conjunctum, specillo explorandum, an minutim, & in plures partes diffracta sint ossa, & si ossis fragmenta separata inveniantur, aliisque conferruminari nequeant, idoneo instrumento eximenda: sique vulneris orificium angustum sit, ampliandum: deinde vulneris labia ad mutuum contactum adducenda, & appositis linteis emplasticis adducta conservanda, atque dicatum cruentis vulneribus medicamentum superponendum donec consolidentur. Interim ne decumbat æger in partem maxillæ fractam, sed in sanam: at non huic, sed capiti innixus, ne ossa composita iterum distorqueantur. Maxilla quoque immobilis servetur; ideoque æger non multum loquatur, nec duriores cibos masticet, sed mollioribus & liquidis nutriatur, donec callus obduret. Et si aliquid denuo suo loco motum fuisse observetur: tertio præter propter die deligatio solvenda, & si quid exciderit in suum locum reponendum.

Digitized by Google

Claviculæ seu jugali fractura.

XI. Clavicula acromio & externo articulata movetur; qua parte autem jungitur sterno manifestius agitatur, obscurius & ferè insensibiliter cum acromio, quia scapulæ motum sequitur. Idcirco fractæ claviculæ pars acromio juncta situm mutat in anteriorem, vel posteriorem, vel inferiorem locum conversa, alterâ ejusdem parte semper immotâ.

Frangitur vero clavicula vel transversim, vel obliquè, vel per longitudinem. Si per transversum id accidat, vel propè humeri articulum, vel magis versus articulationem cum sterno diffringitur.

Cognoscitur ossis hujus fractura tactu potius quam visu, ut & ex dolore.

Si per transversum frangatur clavicula, facilius curatur; difficilius autem si per longitudinem. Nam quod transversim fractum est, facilè extensione & digitorum compressione in naturalem sedem revertitur, reliqua fractura semper quid eminentiæ habet, quod ægrè coaptari potest. Perficitur tamen claviculæ fractæ curatio quatuor & viginti circiter diebus.

Igitur ut hæc fractura curetur, ministri duo ad extensionem requiruntur, quorum unus utraque manu humerum, qui claviculæ fractæ adjacet ad posteriora, alter caput in latus oppositum ducat; interea chirurgus digitis id quod prominet propellendo, ima foras attrahendo, & quæ deorsum tendunt, sursum, & quæ sursum, sunt deorsum compellendo, fracturam componat. Aliqui autem ut facilior fiat restitutio: glomum lineum alæ subjiciunt; hinc brachium ad costas comprimunt, atque ita os suæ sedi restituunt. Si vero ossis fracti extremitates ita depressæ sint, ut sursum reduci hoc modo nequeant, æger resupinandus est in pulvinari duriore, spinæ inter scapulas subjecto; humeri interim manubus sic deprimendi, ut ossis fracti ex-

Digitized by Google

trema depressa eleventur eousque, ut in naturalem sedem restitui possint.

Compositis fractæ claviculæ ossibus, plagulæ tres convenientis crassitiei & longitudinis, ut cavitatem, quæ supra & infra claviculam est, repleant, parandæ, quarum duæ lateribus, tertia crassior prominenti fracturæ imponenda. Ita enim & os fractum eminens deprimetur, & nec sursum, nec deorsum, nec ad latera è suis sedibus ossa fracta composita dimoveri poterunt. Hinc deligatio instituenda, quæ fiat fasciâ palmum latâ debitæ longitudinis, duplex caput habente, decussatim injectâ quæ sæpius circumducenda & obvolvenda ut brachium ad posteriora deducat: interim cavitas sub axilla linteaminibus convolutis replenda; sic namque facilius deligationem sustinet patiens.

XII. Scapula etiam qualibet sui parte frangi potest; rarius tamen in processu illo, qui acromium dicitur: sæpius juxta spinam & in aliis extremitatibus. At si acromium frangatur, visu & tactu percipitur, præsertim si pars ægra cum sana comparetur: sin vero latior ejus pars, & in extremitatibus frangatur, tactu cavitas quædam deprehenditur, & punctorius dolor in parte percipitur. Scapulæ fractura.

Fractura quæ in summo humero seu acromio est, difficilius curatur quam in aliis scapulæ partibus. At in cervice scapulæ, aut circa articulationem ejus cum humero, quæ est fractura, ferè incurabilis est.

Si ergo os fractum scapulæ adhuc cohæreat, manu chirurgi in suum locum restituendum. Quod si non facilè fiat, & majore vi opus sit, pila ex linteo sub axilla ponatur, & minister deorsum humerum trahat, cubitum ad costas adducendo, chirurgus vero manu fracturam comprimat & componat. Sin os fractum scapulæ non cohæreat, modo ligamen-

Digitized by Google

tis & perioſteo quodammodo adhæreat, & punguendo admodum moleſtum non ſit, etiam ſuo loco reſtituendum. At ſi penitus & ab oſſe, & à perioſteo ac ligamentis ſeparata ſint fragmenta, ſic ut carnes pungant cute incisâ eximenda. Sin vero non pungant, relinquenda: natura namque, quod reliquias non cohæret, tandem ſponte expellit, etſi interdum poſt longum tempus id fiat; ſic refert Ambroſius Paræus *lib.* 14. *cap.* 9. cuidam marchioni è ſcapula vulnerata oſſium quædam fragmenta poſt annos ſeptem cicatrice reſeratâ erupiſſe.

Oſſibus ritè compoſitis, deligatio conveniens inſtituenda, ſique ſummum humeri fractum ſit, pila ſub ala vincienda, & deligatio non frequenter ſolvenda: æger interim in oppoſito latere cubet, & partem in quiete detineat.

Coſtarum fractura.

XIII. Interdum coſtæ ex cauſis violentis quoque franguntur; caſu vix aut contuſione. Et quidem fractæ coſtæ interdum introrsum declinant; interdum extra eminent interdum, etſi totæ franguntur, proprio loco non dimoventur; nonnunquam & caro circa coſtas colliditur.

Si coſta & tota fracta, & extremitates loco motæ, quædam inæqualitas & cavitas tum viſu, tum tactu deprehenditur, & ſtrepitus auditur. Quibus accedunt & alia ſymptomata: adeſt viz. dolor gravis, pleuriticum dolorem emulans, reſpiratio difficilis, tuſſis moleſte, & non raro quoque ſanguinis ſputum, dum ex vaſis ruptis effluentem ſanguinem pulmo imbibit nec non febris. Si tamen coſta quidem fracta ſit, at fractæ extremitates neque introrsum ceſſerint, neque in exteriorem partem compellantur, pauci febricitant, aut ſanguinem ſpuunt.

Coſtarum fractura ſi ſimplex ſit, abſque partium vicinarum gravi contuſione aut inflammatione periculo vacat, & intra vigeſimum diem non rarò cu-

Digitized by Google

ratur. Sin vero caro circa costas atteratur, periculosum malum est, & non rarò lethale, teste Hippocrate *lib. de articulis*. Etiam periculosa est fractura, si costa intrò compellatur, & pleuram pungat vel vulneret, tuncque eadem ferè symptomata, quæ pleuriticos infestare solent, superveniunt, ac longius protrahitur curatio.

Si ergo costa fracta sit, proprio tamen loco non dimota, nec incumbentium vicinarumque partium contusio adsit, per se facilè consolidatur. Sin extra promineat manu comprimenda, & in propriam sedem reducenda ac æquanda. Si intrò vergat, æger tussi ac spiritus ore clauso; retentione eam exterius compellat: chirurgus vero ægrotanti manubus, quantum fieri potest, succurat. Quod si non succedat, nonnulli emplastrum cuti validè adhærens censent imponendum, idque aliquoties cum impetu auferendum, donec in locum suum costa sit restituta. At quando costæ fragmentum membranum pungat, atque acerbissimi inde dolores, aliaque prava symptomata oriantur, cutis incidenda, ac pungentia fragmenta vel eximenda, vel præcidenda. Plura de costarum fractura videantur apud Hippocratem *lib. de articulis* §. 51. 52. 53. 54. Insuper de felicissima curatione fracturæ costarum, in qua nonnulla notatu digna occurrunt, videatur Fabritius Hildanus *cent. 5. obs. 85.*

Spinæ dorsi fractura.

XIV. Dorsi spina est *vertebrarum* omnium contextus, & sicut quædam corporis carina, quæ constat *septem cervicis vertebris*, *duodecim dorsi*, & *quinque lumborum*, nec non *osse sacro* & *coccygis*. Vertebrarum corpora rarò admodum fracturam patiuntur; earundem tamen processus à causis externis & violentis nonnunquam franguntur. Id autem tactu facilè deprehenditur, cum huc atque illuc moveri persentiantur diffractæ apophyses.

Digitized by Google

Vertebrarum processuum simplex fractura simplici lenique manuum operâ restituitur ac consolidatur vigiati circiter dierum spatio : sunt namque processus hi ossa spongiosa & rara. Sin vero per vim admodum violentam totæ vertebræ frangantur, adeo ut medulla spinalis simul patiatur, dehinc paralysi afficiantur brachia pedesve ægrotantis, ac urina fæcesque alvi retineri nequeant, mors in propinquo est. Interim tamen ne æger sine auxilio deseratur, nil faciendiorum negligendum, & facto prognostico cutis incidenda, ac libera fragmenta eximenda, hinc vulnus curandum.

Ad fracturas spinæ pertinet *ossis sacri* & *coccygis fractura*; quæ si ita sit, ut & spinalis medulla lædatur, lethalis est. Sin ea non lædatur, adeoque salutis spes sit, immisso in anum digito usque ad locum affectum, os fractum expellendum : extrinsecus vero alterâ manu, ossa æquanda, & in suum locum reponenda. Et si aliquod ossis frustulum abruptum persentiatur facta apertione id eximendum, ac porro vulnus ex arte curandum.

Ossis innominati fractura.

XV. Os innominatum, quod ossibus tribus *ilio*, *ischendicis*, & *pubis*, simul unitis constat, frangitur ut scapula, vel in extremitatibus, vel secundum longitudinem, vel in medio.

Cognoscitur fractura hæc ex dolore, qui tactu & compressione in primis exasperatur; nec non cavitate, inæqualitate, punctura, & nonnunquam stupore in crure ejusdem lateris.

Exigit autem fractura hæc celerem restitutionem perficiturque consolidatio quatuor & viginti præter propter diebus. Interim si sit in ossis innominati extremitatibus, digitis vel manu ossa fracta componenda ac æquanda.

Si vero frangatur os per longitudinem, vel ad interiora declinet, ita situetur, patiens ut super

Digitized by Google

ventrem decumbat, chirurgusque manubus uti poteſt, fracta oſſa componat.

Si os fractum comminutum ſit, apertio facienda, ſicque & fragmenta libera auferenda & alia reponenda. Verum cum vix ſub cute ſolum, ſed ſub ipſis muſculis talia fragmenta plerumque lateant, ſine periculo hîc ſectio non inſtituitur: hinc omnino cavendum, ne in facienda hac apertione, tendines, vel vaſa quæpiam majora lædantur, ſicque graviora excitentur ſymptomata.

Digitized by Google

PRAXEOS CHEIRURGICÆ

LIBER QUINTUS.

DE

LUXATIONIBUS.

CAPUT I.

De Luxationibus in genere.

Luxatio quid ſit.

I. QUemadmodum in *fractura* oſſium ſolvitur continuitas, ſic in *luxatione* eorundem ſeparatur contiguitas Luxatio namque, ſive exarticulatio, barbaris diſlocatio dicta, nihil eſt aliud, niſi *oſſis è ſua ſede in alienam prolapſus, quo motus arbitrarius impeditur.* Propriè tamen *ea* locum habet iis in oſſibus, in quibus reperitur ſtructuræ ratio talis, quæ ad motum manifeſtum eſt comparata; uti ſunt omnes articuli per diarthroſin conjuncti: videmus enim, quoties è ſede ſua excidunt oſſa, motum articuli perire. In oſſibus vero per ſynarthroſin conjunctis, in quibus nullus adeſt ſenſui manifeſtus motus, non quidem ille aboletur, ſed propter tendinum ligamentorumve compreſſionem oritur dolor, & actio partis impeditur, exemplo ſint oſſicula in carpo & tarſo.

Luxationum differentiæ.

II. Dupliciter autem luxari oſſa contingit ſecundum magis & minus. Illa ſpecies perfecta eſt, oſſe extra ſuum locum planè collocato, quæ idcirco

Græcis

Digitized by Google

vulgo *luxatio* seu *dislocatio* dicitur. Hæc vero imperfecta, quæ παράθεμα Latinis *subluxatio* nominatur.

Perfecta ergo luxatio est, quum ligamenta ita relaxantur & extenduntur, vel disrumpuntur, ut os extra cavitatem suam planè deturbatum, & in alieno nec consueto loco situm sit. Imperfecta vero dicitur, quum os è proprio loco non prorsus dimotum est, sed partim extra manet, partim intra, sinus seu acetabuli margini insistens. Id quod accidit, aut quia violentia non valdè magna fuit, aut quia ligamenta firma solidaque reperta sunt, nec admodum relaxata, sed violentiæ quodammodo restiterunt. Pertinent hoc *distorsio*, *perversio*, & *relaxatio*, seu *elongatio*; viz. cum laxatis & longioribus factis ligamentis, articulus quidem secundum longitudinem à sua sede quodammodo recedit, non tamen è toto excidit.

III. Verum præter duplicem hanc, perfectam & imperfectam luxationem, sunt & tria alia luxationis genera viz. in partem superiorem vel inferiorem, & ad latus, quæ probè cognosci ac considerari debent, ut in proprium naturalemque locum reduci ac restitui possint.

Adhæc aliæ luxationes simplices sunt, aliæ compositæ. Simplices dicuntur, quæ nullam aliam affectionem conjunctam habent. Compositæ vero, quibus unus vel plures affectus sunt conjuncti; ut cum ad luxationem vulnus, fractura, inflammatio, abscessus, vel aliud quid accesserit.

Denique & differunt luxationes ratione causarum, quod nunc fiant à causis externis; casu, ictu, saltu, violenta membri distorsione; nonnunquam ab internis, humoribus puta affluentibus.

IV. Enimvero luxationum causa duplex est, externa & interna. Externa luxationum causa, est Causæ.

Digitized by Google

casus, ictus, saltus, extensio & motus partis violentus, aut quidvis aliud ejusmodi, quod vel ligamenta disrumpit, vel extendit & relaxat, adeoque violenter os sede suâ movet & expellit.

Interna causa, est humor ad articulum affluens, & ligamenta laxans, qui sensim adauctus, ossis caput tandem foras trudit.

Signa diagnostica

V. Dignoscitur autem luxatio visu & tactu. Tumor enim in ea parte in quam ossis caput excidit, apparet: cavitas vero in loco è quo prolapsum est: idque eò facilius deprehenditur, si corpus non admodum crassum & pingue sit, aut locus excarnis. Deinde perfecta si sit luxatio, membrum brevius redditur: quia prolapsum è sede sua os, cum resistentiam non habeat, sursum trahitur à musculis, nisi ingens ligamentorum laxitas in causa fuerit, quod ultra modum elongetur. Sed cum luxatum membrum semper sano dissimile sit, in situ, figura, & longitudine; cum sano & integro id comparandum, ut brachium cum brachio, crus cum crure in eodem homine. Insuper cum articulationes propter motum factæ sint, si ossis caput è naturali sede excidat, motus articuli læditur: hinc ubi luxationis suspicio est, motus tamen non læditur, luxationem nondum factam esse concludendum. Tandem quia è sede sua elapsum os partes sentientes, in quas prolapsum est, tendines puta, nervos, musculos comprimit, magnus inde excitatur dolor. Sin vero saltem sit subluxatio, symptomata hæc remissiora sunt, aut quædam eorum absunt.

Prognostica.

VI. Prognostica luxationis signa ea sunt, ex quibus vel periculosam & curatu difficilem, vel lethalem esse luxationem deprehendimus. Hæc ex articulorum figura, item ex luxationis magnitudine & causis: nec non morbis luxationi conjunctis, ac symptomatibus ei supervenientibus: denique ex lu-

Digitized by Google

xationis tempore, atque ex corporis habitudine desumuntur. Ossa itaque facilius vel difficilius luxantur & luxata facilius vel difficilius in pristinam ac naturalem sedem restituuntur, vel ob majorem aut minorem sinus cavitatem, vel ob ligamentorum ac musculorum validitatem aut laxitatem. Quibus igitur membrum robustum, ac ligamenta valida sunt, articulus minus facilè excidit, & difficilius reponitur; ac repositus validius continetur. At quibus membrum imbecillius est, corpusque mollius & ligamenta infirma facilius elabitur, faciliusque restituitur: verum restitutus minus fideliter continetur. Hinc in corpore puerili & tenero ossa luxata facilius restituuntur; restituta tamen minus facilè retinentur. Contrarium accidit in adultis & corporibus robustioribus. Similiter illi articuli qui profundiori sinu reconduntur, pluribusque ligamentis fulciuntur, difficilius luxantur, & luxati difficilius in pristinum locum restituuntur. E contrario, qui planiori sinu articulantur, paucioribusque ligamentis fulciuntur, facilius luxantur, luxatique facilius in pristinum locum restituuntur. Insuper quò longius à suo sinu articulus excidit, eò difficilius restituitur; quò propius eò citius.

Luxationes in quibus ossium margines, sive cavitatum supercilia abrumpuntur, pessimæ sunt, quoniam suo loco etsi restituuntur articuli: tamen non diu persistunt, sed levissima de causa iterum excidunt. Haud secus qui ob ligamentorum laxitatem elapsi sunt articuli, licet reponantur, tamen rursum facilè elabuntur.

Luxationes quibus dolor ingens, inflammatio aut vulnus accidit, curatu sunt difficiles, nec periculo carent, & sine convulsionis, imo mortis periculo restitui non possunt. Monet quoque Hippocrates, quod si febris articuli repositionem antevr-

Digitized by Google

tat, nullum luxatum articulum in suam sedem compellere conveniat.

Vetustæ item luxationes, & quæ jam callo obduruerunt, & in quibus lentus humor articuli cavitatem replevit, nunquam vel saltem difficillimè sanantur. Omnis ergo luxatio statim reponenda est.

CAPUT II.

De luxationum curatione.

Curatio simplicis luxationis

I. IGitur in omni luxatione curanda, communis est indicatio, scilicet *luxati & suo loco moti membri in propriam & naturalem sedem reductio*; quam operationem ἀρθρέμβολον Græci vocant. Hanc si quis cum fructu exercere desiderat, is in primis omnium in corpore humano articulationum naturam noviſſe debet: Etenim per illam viam per quam exiliit, in suum locum reducendum est os quod sede motum fuit. Huic autem reductioni inserviunt quatuor operationes; extensio viz. repositio, deligatio, ac membri repositi collocatio. Enimvero luxatum membrum, haud secus ac fractum, tum obtendinum contractionem, tum quoque ut ossis caput suæ sedi è directo opponatur, est extendendum.

Extensio luxati membri quando & quomodo sit facienda.

II. Fiat vero *extensio* statim post luxationem factam. Quod si propter chirurgi absentiam statim fieri non possit, fiat die etiam secundo vel tertio, nisi ob accedentem inflammationem desistere cogamur: die autem quarto propter exacerbationem nihil tentandum: observatum enim quod si tentetur extensio, restitutio feliciter non succedat, sed multa eam sequantur incommoda. Unde Fallopius *lib. de luxationibus cap. 3.* „ moneo vos, *inquit*, ut „ habeatis semper rationem temporis, ad summum

Digitized by Google

„ non excedentis diem tertium, & si tertius „ dies esset præteritus, expectandus est terminus „ inflammationis, & tempus usque quo periculum „ non sit de inflammatione; estque monente Hippocrate *lib. de articulis*, dies septimus. Et Tagault„ tius *lib. 5. cap. 4.* hanc sententiam confirmat hisce verbis: „ si antequam ad luxationem voceris, „ pars luxata dolore infestetur aut inflammatione „ occupetur, non prius eam in suum locum repo„ nere tentabis quam dolor finitus fuerit & inflam„ matio conquieverit. Si enim membrum dolore „ aut inflammatione affectum distendendo lacessi„ veris, periculum est, ne convulsio aut aliud pra„ vum symptoma suscitetur. In similia verba erumpit Ambrosius Paræus, cum *chirurg. lib. 15. cap. 5.* sic inquit „ omnis luxatio restituenda est antequam „ inflammatio venerit: quod si jam illa adsit, de „ tollenda sollicitum statim medicum esse oportet, „ de cætero ægrum quiescere, ne, si irriteur ma„ lum, doloris exacerbatio, convulsionis, gangræ„ næ, & tandem mortis adferat consecutionem, „ ut aliquando à se observatum refert. Ergo ubi inflammatio & alia prava symptomata sedata & correcta fuerint, tum demum aggredienda luxationis restitutio est, si præsertim corporis & membri affecti habitus eam admittere possit. Adstipulantur Joh. de Vigo *lib. 6. cap. 1.* Anton. Chalmæteus *enchirid. chir. lib. 4. cap. 2.* Scultetus *armam. chir. tab. 28.* & alii. Non sine causa gravissima Celsus *lib. 8. cap. 11.* & alii (inquit Fabritius Hildanus *cent. 2. obs. 40.*) monent in dislocationibus quidquid suo loco motum est, ante inflammationem reponendum esse. Sin illa adfuerit, quiescere oportere, nec membrum lacessere usque dum inflammatio finita sit. Qui secus faciunt, non leviora symptomata, imo & mortem nonnunquam inferunt; uti variis

Digitized by Google

exemplis ibidem affirmat. Itaque si primis tribus diebus fieri non possit extensio, expectandum usque ad septimum aut octavum diem. Sed antequam tunc fiat extensio, quia callus interea generari incipit, præparandus est articulus ad indolentiam & facilitatem restitutionis calefaciendo, emolliendo, & laxando partes articuli; musculos nempe, tendines, & ligamenta: si namque partes hæ emollitæ sint, facilius & minore cum dolore extenduntur. Hæc autem articuli emollitio fit per *fotum plurima aqua tepida*, vel *decoctionis malvæ, althææ, violariæ, Florum camomillæ, meliloti & similium.*

Cæterum extensio hæc fit, vel solis manubus chirurgi aut ejus ministrorum; isque modus Palæstricus appellatur, quia in palestris luctantium membra luxata simplissimo hoc modo reponebantur: atque convenit in mollibus corporibus, & ubi luxatio levis ac recens est; vel laqueis & fasciis, nec non beneficio scalarum, forium, pistillorum, instrumento Hippocratico *ἀμβὼν* dicto; qui modus methodicus nominatur & convenit pueris, fœminis, & masculis jam robustioribus & luxationibus mediocribus, non admodum levibus: vel organis seu machinis perficitur majoribus, & organicus dicitur, ac adhibetur cum difficillima & inveterata sit luxatio. Hac de re consule Hippocratem *lib. de fracturis & articulis.* Oribasium *lib. de machinamentis.* Hildanum *cent. 5. obs. 69. & 86.* Scultetum *armament. chirurg. tab. 21. fig. 1. & 3. tab. 21. fig. 1. & 4.*

Quocunque autem modo luxati membri extensio fiat, necessum est eousque fieri, ut inter ossa liberum aliquod spatium relinquatur, ne in repositione ossis caput atteratur, & sinus supercilia frangantur: unde symptomata gravia & sæpe incurabilia eveniunt. Insuper in extensione membri commoda si-

Digitized by Google

guratio obſervanda : rectitudo viz. tum ratione oſſium, tum ligamentorum & muſculorum. Servatâ namque harum partium rectitudine, minore cum dolore & difficultate ſuccedit extentio.

III. Extenſione ſufficiente factâ, os quod proprio ſinu exciderit, vel reſtituendum per circumgyrationem, vel placidè ab ea parte qua fuerit prolapſum, in contrariam impellendum, & tandem minimo quam fieri poteſt, dolore in proprium ſinum reponendum, ne fiat contuſio vel attritio capitis & ſinus inter ſe. Hi vero motus non ſemper neceſſarii ſunt : nam interdum ubi extenſio facta eſt, ſi muſculi prius contracti tantum remittantur, facilè ſuâ ſponte articulus in locum naturalem redit. Repoſitio

Quod ſi & luxatio imperfecta, & os ex ſinu ſeu acetabulo prorſus excuſſum non ſit, neceſſe non eſt membrum extendere ; ſed illud movendo & agitando leniter & aptè in ſedem naturalem, recta propellendo, vel placidè circumgyrando manu dirigatur ac reſtituatur.

Articulum autem rectè repoſitum eſſe cognoſcitur, primum ex naturali membri figura, quando nulla cavitas, nulluſque circa articulum tumor apparet, quemadmodum ante reſtitutionem, ſed in omnibus ſimilis eſt ſanæ parti, aut parum admodum abeſt propter influxos humores, quumque motum amiſſum reductum membrum recuperavit; deinde ex doloris remiſſione, quæ ſignum eſt inſeparabile : ſemper enim dolor ſedatus indicat reſtitutum eſſe articulum, licet reducto membro interdum & dolor remaneat, quod prius valdè læſi ſint muſculi

IV. Repoſito vero in ſedem naturalem articulo, membrum ita firmandum, ut articulus iterum ex ſua ſede egredi non poſſit, cum ob ligamentorum ac tendinum laxitatem facilè prolabi ſoleat. Id autem perficitur eodem ferè modo ac in fracturis : primo Deligatio

Digitized by Google

enim antequam deligatio instituatur, medicamentum apponatur, quod influxum humorum & inflammationem prohibeat, & laxata ligamenta adstringere, partemque roborare queat; quale est *oxycratum* vel *vinum rubrum adstringens*. Hinc convenienter membrum deligandum per fascias & splenia, quarum beneficio in orbem munienda est articulatio, donec ligamenta debitum robur & adstrictionem acquisiverint. Ita tamen administranda *deligatura*, ut articulus in sua sede conservetur, ac humorum affluxus prohibeatur. Sique opus sit, & membri figura ac ratio id patiatur, etiam ferulæ è densa charta vel corio, vel alia conveniente materia imponendæ.

Collocatio. V. His peractis *collocetur* membrum molliter ac æqualiter tali figurâ, quæ ipsi sano naturalis sit, non dolorosâ, nec lassitudini obnoxiâ. Et si pruritus vel dolor aliave symptomata non urserint, deligatio haud solvatur ante diem quintum, sextum, aut septimum. tunc enim laxatis fasciis & pruritu, ob detentos vapores excitato, solvendæ fasciæ, parsque pruriens *aquâ tepidâ* perfundenda, ut apertis leviter poris detentæ fuligines transpirare queant, adeoque pruritus mitigetur. Quod si pruritus non sit molestus, à fotu hoc abstinendum. Hinc factâ molli frictione, articulus leniter ad hanc & illam partem movendus, ne concrescente in articulo humore, tendinibus ac ligamentis rigiditas tandem inducatur. Deinde impositis spleniis *oxycrato*, aut *vino rubro adstringente* madidis, membrum ut prius deligetur: sed prima paulo arctior sit secunda deligatio. Atque ita porro procedendum, donec membrum satis videatur robustum; quo tempore solvendum, & ægrotanti præcipiendum ut consuetas operationes moderate exercere incipiat.

Curatio VI. Verum accidit nonnunquam, ut luxatio non

Digitized by Google

sit sola, sed aliis insuper affectus præter naturam; dolor puta, inflammatio, vulnus, fractura, conjungantur. Sin ergo antequam chirurgus vocatur jam dolor & inflammatio partem affectam prehenderit, articuli luxati restitutio non tentanda, nisi dolor & inflammatio sedata fuerint. Si enim antequam hoc factum fuerit, ea tentetur, metuendum est, ne ex tendinum & ligamentorum distensione convulsio, vel aliud periculosum symptoma oriatur. Quamobrem nec extensio, nec aliqua alia operatio locum habet; sed in medio, minimèque doloroso situ pars affecta deponatur, & sectâ venâ, alvoque clystere laxatâ, ei apponatur *vinum rubrum adstringens*, vel epithema ex *aq. fl. sambuci*, *aceto rosaceo*, *vino rubro*, *&c.* v. gr. luxationis cum inflammatione, &c.

℞. *Aq. flor. sambuci* ℥vij.
Aceti rosacei ℥iß.
Vini rubri adstringens ℥iij.
Camphoræ ℈iß.
Saturn. ℈iß.
M. pro epithemate.

Vel circumjiciatur fomentum ex emollientibus, dolorem sedantibus & leviter resolventibus; ex *malva*, *althæa*. *parietaria*, *floribus camomillæ*, *sambuci*, *rosar. rubr. summit. anethi*, *similibus*, *in aqua communi & vino rubro adstringente decoctis*. Sedatâ inflammatione doloreque mitigato extendatur, reponatur, deligetur, & collocetur membrum, ut in luxatione simplici.

VII. Sin inflammatio post repositionem succedat, quod non raro contingit, tum ratione violentæ extensionis, tum doloris perpetui, instituendus est victus tenuis, vena secanda, & purgans medicamentum exhibendum, moxque solvenda deligatio, etiam si sit primo vel secundo die, & præscriptum epithema vel fomentum imponendum,

Digitized by Google

donec patiens levamen percipiat. Hinc membrum laxius deligetur paucioribus fasciis idque singulis diebus faciendum, ad inflammationis usque declinationem : quâ ablatâ observetur curandi modus nunc expositus.

Luxatio cum vulnere.

VIII. Si vulnus luxationi accesserit, ita ut articulus vel detectus vel extra cutem protrusus sit, affectus est admodum periculosus ac sæpè lethalis; cum ex tendinum ac ligamentorum distensione seu dilaceratione dolor, inflammatio, convulsio, febres acutæ, gravissimæ adeoque symptomata excitantur; estque eò periculosior, quò membrum majus est, ligamentaque & tendines circa id robustiores, unde humeri ac femoris luxatio cum vulnere plerumque mortem adfert. Eò etiam majus periculum est, quò vulnus articulo proprius : ideoque Hippocrates ossium luxatorum cum vulnere repositionem, eorumque deligationem aversatur, solisque dolorem lenientibus, & inflammationem tollentibus initio uti jubet, nihilque ex his tuto reponi posse putat, præter digitos, manus, & plantas, atque in his ipsis etiam diligenter omnia peragenda esse præcipit. Neque enim vel digitus, in quo minimum periculi est, reponi debet, cum inflammatio adest; sed vel antequam inflammatio accedit, vel cum jam sedata est, multo magis in aliis articulis id faciendum, de quibus omnibus *lib. de articulis* §. 74. 76. 77. 78. ita inquit: „ At vero quibus tibiæ ossibus luxatis „ ac ulcere inducto, articuli circa pedem penitus „ eminent, sive intrò vergant, sive extra, tales „ reponere non oportet, sed permittere ut quicun„ que velit medicus reponat. Illud enim clarè scire „ oportet quod homo morietur, si repositi perman„ serint. Sed & vita paucorum dierum his continget: „ pauci enim ex ipsis septimum diem transgrediun„ tur. Convulsio enim est quæ ipsos occidit : sed &

Digitized by Google

„ cancerati contingit tibiam & pedem. Hæc ita fu-
„ tura esse certò scire oportet. Si vero reposíti non
„ fuerint, & ne tentati quidem ab initio, plerique
„ ipsorum superstites evadunt. Eadem ratio est, si
„ cubiti ossa circa manus articulum ulcere facto
„ emineant, sive ad internam manus partem, sive
„ ad externam. Clare enim nosse id oportet, quod
„ is morietur intra paucos dies tali morte, qualis
„ antea dicta est, cui reposita ossa permanserint.
„ Quibus autem reposita non fuerint, neque repo-
„ sitio tenta sit hi multo plures superstites manent.
„ Quibus vero tibiæ os facto ulcere circa genu
„ eminuerit foras, sive ad externam partem, sive
„ ad internam, his si quis reponat, adhuc promp-
„ tior mors adest quam aliis, etiamsi etiam illis
„ prompta aderat. Si vero omissâ repositione me-
„ dearis spes quidem salutis hoc solo modo existit.
„ Verum periculosiora hæc ossa sunt, quanto su-
„ periora ac robustiora, & à fortioribus elapsa.
„ Eadem ratio est, & de articulis circa gibbum cu-
„ biti, & de cubito ac brachio: quæcumque enim
„ ex his luxata ulcere facto eminuerint, ea omnia
„ si reposita fuerint mortem inducunt: non reposita
„ spem salutis: claudicationem vero superstitibus
„ lethaliores autem sunt superiores articuli si repo-
„ nantur. Sed & si non reponantur, periculosiores
„ iidem sunt. At vero quibus articuli digitorum aut
„ pedis, aut manus luxati facto ulcere eminuerint,
„ ossa non fracto, sed circa ipsam connexionem
„ avulso, his si reposíti permanserint, adest qui-
„ dem periculum convulsionis, si non benè curati
„ fuerint: attamen operæ pretium est ut repositio
„ fiat cum prædictione, quod multâ custodiâ ac
„ curâ opus habet. Minimè primi articuli periculosi
„ sunt: superiores autem periculosiores. Reponere
„ vero oportet eadem die aut postridie; tertio aut

Digitized by Google

„ quarto minimè. Quarto enim die maximè recru-
„ descere solent. Quibus autem non statim repositi
„ fuerint, in his dictos dies transgredi oportet.
„ Quidquid enim intra decem dies repositum fue-
„ rit, omne id continetur. Si vero repositio esse con-
„ vulsio accedat, articulum statim ejicere oportet,
„ & calidâ quam sæpissimè humectare, & totum
„ corpus, & præsertim circa articulos calidè & le-
„ niter ac molliter tractare. Verum inclinatum ma-
„ gis quam extentum totum corpus esse oportet.
„ Expectandum tamen est, articulos circa digitos
„ qui reponuntur abscessuros esse. Plerumque enim
„ ita contingit si vel quævis inflammatio subsit.
„ Quare si non propter vulgi imperitiam, medico
„ verenda esset accusatio, nullum penitus reponere
„ oportebat.

„ Quod autem Hippocrates in solis digitis facien-
„ dum consulit, id nos in reliquis quoque articulis
„ facere conabimur, *inquit* Tagaultius *lib. 5. cap. 4.*
„ ac statim quidem inter initia, dum pars adhuc
„ inflammatione vacat, prolapsum cum vulnere ar-
„ ticulum mediocri extensione (validam enim extra
„ periculum perferre non potest) reponere tenta-
„ bimus. Quod si juxta animi institutum evenerit,
„ inflammationem solummodo arcere conabimur.
„ Si vero inflammatio aut convulsio, repositio osse
„ accesserit, rursus id (si modo fieri sine vi possit)
„ suo loco protinus expellendum est. At si hoc quo-
„ que periculum metuamus, (non inflammatus ar-
„ ticulus sine vi fortasse cedet, & suâ sede iterum
„ propelletur) satius fuerit per initia in majoribus
„ articulis repositionem differre. Ubi vero inflam-
„ matio conquieverit, (quod septem aut novem
„ dierum spatio contingit) tunc præfari oportet,
„ quale periculum ex repositione sit secuturum; & si
„ non reponatur, hominem ea parte claudum ac

Digitized by Google

„ mutilum omnino per reliquum vitæ tempus futu-
„ rum: dein conabimur sine violentia os in suam
„ sedem compellere. Porro ulceris curationem eam-
„ dem quæ proposita est in fracturis cum ulcere
„ administrabimus. Omne autem membrum, quod
„ cum vulnere loco motum, neque repositum est,
„ sic jacere convenit, ut maximè cubantem juvet;
„ tantum ne moveatur, neve dependeat. Hæc Ta-
„ gaultius, cui ut & Hippocrati subscribunt C. Cel-
„ sus *lib. 8. cap. 24.* Galenus *in Hippocr. de articu-*
„ *culis, vido vidio interprete.* Ambr. Paræus *chirurg.*
„ *lib. 15. cap. 5.* Fallopius *tract. de luxatione cap.*
„ 9. 10. 11. Cæsar Magatus *de vulneribus lib. 2. cap.*
„ 71. Scultetus *armam. chir. tab. 28.* & alii plures.

Ubi ergo articulus major reponi nequit, habitâ prius universalium & victus ratione, membrum sine omni extensione & deligatione in media figura, vel de collo suspendatur, vel leniter collocetur, ut immobile maneat, & dolorem non sentiat. Impedienda interim inflammatio & convulsio imminens, medicamento dolorem mitigante, leviterque repellente.

Sin verò (majoris præsertim articuli) luxatio facta sit cum vulnere, tendinibus dilaceratis, ac omnino disruptis ligamentis, atque adeo osse detecto ac extra cutem protruso, eoque tandem sphacelato nulla curationis spes est, nisi quod supra luxatum articulum in parte sana membrum exstirpetur. Talem casum nobis videre contingit anno 1678. in rustico, cui tibiæ os, ubi talo conjungitur cum vulnere erat dislocatum, atque disruptis articuli ligamentis detectum & extra cutem protrusum ac brevi post canceratum. Quem cum tractarem cum Chirurgo N. van Engelen, suasi mox totius cruris prope genu amputationem, cui consilio cum chirurgus obtemperare nollet, putans certò certius se

Observatio.

Digitized by Google

hunc affectum curaturum, morbus indies actus fuit, graviſſimaque acceſſerunt ſymptomata; ut tandem cum præ foribus mors videtur, vocatis inſuper Petro Waſſenaar medicinæ doctore, & Petro Curtio chirurgo fuerit concluſum de cruris prope genu extirpatione; qua ſequenti die peracta patiens, qui duos præter propter menſes miſerrimè decubuerat, brevi reſtitutus eſt, & ligneo crure inſtructus etiam nunc inter vivos verſatur.

Luxatio cum fractura.

IX. Sed & nonnunquam accidit, ut luxationi fractura conjungatur. Quo in caſu membrum vulgari modo extendendum, & luxatus articulus in ſuum locum reponendus, oſſa vero fracta conformanda & componenda ſunt. Et primum quidem luxatus articulus, ſi fieri poſſit, reponendus; deinde fractura curanda & utriſque conveniens deligatio adhibenda. Quod ſi ante fracturæ curationem articulus ſine periculo reſtitui non poſſit, primo fractura coaptanda; deinde ubi callus generandus eſt, danda opera, ut etiam articulus luxatus reſtituatur.

Luxatio antiqua cum callo

X. Sin vero luxatio vel ob chirurgi abſentiam, vel ob patientis negligentiam, vel ob præſentem inflammationem, aliamve ob cauſam ſtatim non reſtituatur, calloſa circa articulum contrahitur durities. Eſtque calloſa hæc ſubſtantia vel dura ac lapidea, vel non ita dura. Idcirco articulus fovendus, vel *aquâ ſimplici calidâ*, vel fotu emolliente ac leviter admodum reſolvente, ex *althæa*, *malva*, *violaria*, *floribus camomillæ meliloti radice cucumeris aſinini*, *ſeminibus lini*, *fœnigraci ſimilibus in aqua communi decoctis*. Poſt fotum articulus inungendus linimento ex *unguento althæa*, *oleo liliorum alborum*, *amygdalarum dulcium*, aliiſve emollientibus.

Tandem ubi quidquid calloſum fuerit, emollitum & diſcuſſum eſt ad partis extenſionem, & articuli repoſitionem deveniendum, atque reliqua fa-

Digitized by Google

cienda & administranda ut in luxatione simplici. Quid si articulo restituto callus oboritur, patiens juxta usum emollientium & leviter discutientium articulum quantum possibile moveat, quo motu callus digeratur.

CAPUT III.

De Luxationibus in specie.

Mæxillæ. inferioris luxatio.

I. CÆterum inter præcipuorum articulorum dislocationes, primo loco occurrit maxillæ inferioris luxatio, qua & masticatio tollitur & locutio depravatur. Rarò tamen accidit, ut ea luxetur, ob arctissimam ejus cum ossibus temporum per validum ligamentum articulationem, & validissimum musculorum eam sursum trahentium robur.

Hæc autem luxatio vix aliam in partem fieri posse quam anteriorem, ejus cum temporum ossibus articulatio abundè docet. Enimvero in partem posteriorem luxari non potest, quia temporum ossis processus obstant, idque impediunt; nec facilè dextrorsum, quia sinistrum maxillæ capitulum plurimum impedit; neque etiam sinistrorsum, quia impedimento est capitulum maxillæ in latere dextro. Ergo in partem anteriorem maxilla tantum luxari solet. Accidit autem ista luxatio, si processus anterior & acutus infra os jugale elabitur, ut eo ita humilior fiat, ut sursum in suum locum amplius redire non possit. Alias enim etsi processus hic osse zygomatico humilius demittatur, non tamen statim fit luxatio, sed ore aperto suum in locum revertitur. Fit vero ista luxatio, vel in uno dumtaxat latere, cum solum pars ejus dextra vel sinistra elabitur, vel in utroque latere simul, cum tota inferior maxilla è sede sua accidit.

Digitized by Google

II. Causa hujusce luxationis frequentissima, si non unica, est nimis oris apertio & diductio, quæ plerumque fit oscitando, ita ut processus acutus, qui *corone* græcis dicitur, osse jugali humilior fiat, simulque in latus convertatur. Nihilominus tamen ligamentorum laxitas, nec non musculorum debilitas, causæ esse possunt adjuvantes, quod maxilla dislocetur.

III. Maxillam autem è sua sede excidisse cognoscitur, quod in anteriorem partem promineat, ejusque processus acuti existent juxta articulos maxillæ luxatos. Si namque processus acutus ex osse jugali excidat, necesse est ut ibi emineat, quod in homine non ita obeso & visu & tactu facilè cognoscitur. Os manet apertum, unde loquela impeditur, & saliva ægro invito effluit.

Si ex una tantum parte maxilla luxata fuerit, ipsa cum mento in contrarium partem, qua luxata non est, inclinatur, os distorquetur; unde dentes nec committi possunt, nec paribus suis respondent, sed sub incisoriis canini consistunt: insuper in parte luxata protuberantia notatur, ac musculus temporalis rigidus admodum apparet.

Si vero in utroque latere sit luxata, tota cum mento, & quidem recta in partem anteriorem sive ad pectus prominet, os apertum relinquitur. Dentes inferiores longius quidem quam superiores excedunt, è regione tamen sibi invicem, incisorii incisoriis, canini caninis respondent: juxta malas in utroque latere eminentia apparet, quam processus acutus efformat, musculique temporales, quorum tendines hic processus excipit, intenti rigidique conspiciuntur.

IV. Periculo interim non vacat maxilla, sive ex altera tantum parte, sive ex utraque luxata. Facilior tamen restitutio est, si in uno duntaxat latere luxetur:

Digitized by Google

tur : sin vero in utroque simul luxatio sit, difficilior, periculosa, ac interdum lethalis est; præsertim si quam celerrimè non reponatur : cum musculi omnes, quibus maxilla continetur & movetur, intendantur admodum hinc & dolores, inflammationes, febres continuæ, gravissimaque alia supervenient symptomata.

V. Maxillæ luxatæ repositionem eleganter docet Hippocrates *lib. de articulis* §. 26. quem secutus est C. Celsus *lib.* 8. *cap.* 12. Nimirum videndum imprimis, an ex altera tantum parte fuerit prolapsa maxilla, an ex utraque. Si in utroque latere luxata sit, in humili sede æger collocetur, ejusque caput vel ad parietem, interjecto pulvinari duriusculo, urgeatur, vel à ministro, à tergo ægri collocato, ut immobile maneat, teneatur : hinc chirurgus utriusque manus pollicem obvolutum dentibus molaribus imponat, reliquis vero digitis maxillam ad mentum extrinsecus apprehendat, sicque eam primo deorsum trahat, mox in partem posteriorem adigat, tandem sursum pellat, sicque eam restituat.

Sin in uno tantum latere fuerit luxata, reponitur maxillam in partem oppositam protrudendo, quod non ita difficulter fieri solet. Imo vel colaphus gravior eam non semel restituit.

Repositione facta, conveniens deligatio facienda, quæ fiat fasciam imponendo ad mentum, ubi aliquantulum dehiscat, ut hinc inde mentum apprehendat : deinde ex utraque parte ad aures eadem fascia rescindenda, aureisque foras trahendæ; hinc liganda fascia in capitis vertice, eaque non solvenda donec maxilla fuerit confirmata : quod bidui, tridui aut summum quatridui spatio fieri solet. Interim à sermone multo, oris diductione & occitatione

durorumque ciborum masticatione patiens abstineat, & liquidis contentus sit.

Claviculæ luxatio.

VI. Interdum & clavicula sede suâ dimovetur, id quod Galenus *in Comment. ad Hippocratis librum de articulis* suo exemplo probat, ubi prolixè recenset, quomodo sibi in palæstra hic articulus ita luxatus fuerit, ut inter acromium & jugulum trium digitorum intervallum intercederet, & quid circa se actum sit.

Luxatur autem clavicula, quin potius subluxatur, vel in commissurâ ejus cum sterno, vel ubi scapulæ acromio jungitur, ex casu, aut violento quovis extrinseco ictu seu percussione, laxatis extensisque conjunctionis ligamentis, hinc & è sede sua paululum clavículâ avulsâ. Rarò tamen id accidit propter firmam cum utroque osse connexionem.

Quum ergo clavicula subluxatur, manifestè elevata conspicitur. At quando summus humerus à proprio loco fuerit dimotus, acutior apparet, & exstare videtur os quod recedit, sinusque unde excidit persentitur, adeo ut imperitis luxari brachii suspicionem præbat: ita Ambr. Paræus *lib.* 15. *cap.* 11. testatur, se multos chirurgos novisse, qui deceptí luxationem juguli pro summi humeri luxatione habuerint.

Subluxata clavicula facilè admodum reponitur, & in sedem naturalem revertitur, sed vix unquam in ea servatur, unde necessariò sive plus minus à superiore parte prominet sæpeque contingit, ægrum manum neque ad caput, neque ad os movere posse. At circa sternum si subluxatio facta sit, & promineat clavicula, nullum inde relinquitur detrimentum.

Ut autem restituatur subluxatum hoc os, brachium extendendum, & clavicula in suum locum repellenda est. Quod fit, si æger supinus jaceat, pulvinari duriusculo scapulis supposito, ut scapula

Digitized by Google

thoraxque ad exteriora protuberet, & attollendo, deprimendo, aut protrahendo brachium antrorsum retrorsumque, prout dislocatio exegerit, manusque volâ comprimendo, os hoc in suam sedem compellatur. Dein splenia multiplicia imponenda, ac pars arctius vincienda, si forsan restituta clavicula in sede naturali servari ac confirmari queat.

VII. Dorsi spina è multis componitur *vertebris* quæ peculiari articulatione mediantibus quatuor obliquis processibus nec non ipso vertebrarum corpore, inter se cohærent & connectuntur, ut ad inflectendum, in anteriora præsertim apta sit; & ne sedibus suis in isto motu excidant vertebræ, multis variisque ligamentis insuper firmantur. Quandoque tamen causarum præternaturalium violentiâ è sua sede quodammodo exturbantur & subluxantur; rarò autem perfectè dislocantur. Enimveto perfecta vertebrarum luxatio fieri nequit, nisi diffractis apophysibus, nec non penitus divulsis cartilaginibus ipsi vertebrarum corpori adnatis, quibus in parte anteriore eæ inter se connectuntur. Spinæ & costarum luxatio

Fit autem vertebrarum spinæ subluxatio vel in partem anteriorem vel in posteriorem, vel in latera; ex casu vix percussione, nimia inflexione, ac similibus causis violentis.

Cæterum quod vertebræ suo loco motæ sint, visu & tactu explorari potest. An etiam versus interiora vel exteriora, vel ad latera subluxatæ sint, visu dignoscitur.

Atqui curatu admodum difficilis est hic affectus, præsertim si malum recens non sit. Si autem plures vertebræ ordine sese consequentes simul subluxentur, minus periculosum est, quam si una saltem luxetur: una namque vertebra si loco moveatur, cum in acutum angulum desinat, spinalem medul-

Digitized by Google

lam comprimit, eamque valdè lædit: at si plures simul loco suo quodammodo excidunt, atque angulum obtusum efficiant, minus spinalem medullam comprimunt.

Perfecta vero quando contingit vertebrarum cervicis aut dorsi luxatio lethalis est. Etenim spinalis medulla, nervique ab ea oriundi ita comprimuntur, ut spiritusanimales in partes inferiores influere nequeant; hinc & respiratio tollatur, & cæteræ partium inferiorum actiones mox sileant.

Vertebrarum autem cervicis subluxatio quandoque fit versus posteriora quandoque versus anteriora. Versus posteriora si fiat, spinalis medulla comprimitur, mentum ad pectus flectitur; unde & loquendi & spirandi potentia tollitur, homoque non ratò jugulatur. In anteriora si fiat cervicis vertebrarum subluxatio, collum distorquetur, caput moveri nequit, facies livet, locus affectus dolet, & spirandi ac loquendi difficultas adest. Malum tamen minus periculosum est quam integra luxatio. Statim autem iis occurrendum; quod fit si æger in humili sede sedeat, chirurgi vero minister scapulas deprimat, at ipse chirurgus caput utrinque ad aures apprehensum elevet, & variè moveat, donec vertebra suo loco restituatur; quod ubi factum, caput sine dolore iterum movere valet æger.

Ubi dorsi vertebræ extorsum subluxatæ sunt, æger ventri incumbat super scamnum Hippocratis, (vide Scultetum *armam. chir. tab.* 25. *fig.* 2.) hinc ministri duo vinculis duobus, quorum unum ad axillas, alterum ad ossa innominata, firmatum sit, fortiter partes ægri extendant, quò is in totum quoad spinam elongetur, chirurgus autem ipse protuberantes vertebras manu intropellat.

Ad interiora vero facta spinæ dorsi subluxatio pro incurabili ab Hippocrate *lib. de articulis* Paulo

Digitized by Google

Æginetа *lib. 6. cap.* 117. Avicenna *lib. 4. fen. 5. tract. 1. cap.* 21. & aliis merito habetur. Fabritius Hildanus tamen *cent. 5. obſ.* 69. aliquid tentandum cenſet; primo quidem extenſione & ſpinæ nunc in dextrum nunc in ſiniſtrum latus concuſſione, nec non linteo ſub ventre poſito, ejuſdem in altum elevatione, per inſtrumenta ab Oribaſio & Paræo depicta. Deinde dorſi inciſione uſque ad vertebram ſubluxatam, & vertebræ, quæ poſt inciſionem aptis tenaculis apprehendenda eſt, in altum elevatione: ſed modus hic tutus vix videtur, modo non ſit planè impoſſibilis.

VIII. Inſuper & coccygis os luxatur extrorſum & introrſum. Extrorſum quandoque luxatur fœminis in partu difficili, quibus tamen facilè faſcia circa nates validè conſtricta reſtituitur. Introrſum quoque luxationem patitur, quæ ut reſtituatur, digitis tam in anum immiſſis quam extus applicatis eouſque moveatur, donec debito ſitu locatum ſit, uti latius videre eſt apud Jobum Meekeranum *obſerv. chirurg. cap.* 56.

IX. Coſtæ etiam nonnunquam luxantur à caſu aut percuſſione, nunc ſupra, nunc infra, nunc intro. Si ſupra vel infra, vel in latus fiat coſtæ luxatio, inæqualitas viſu & tactu deprehenditur, & hinc cavitas, illinc extuberantia appareat. Si intro luxata ſit, ſaltem cavitas obſervatur.

Sequuntur autem varia luxatas coſtas ſymptomata; difficultas ſpirandi, thoracem movendi, & corpus erigendi, dolor pleuritidem referens, inflammatio, febris: hinc ut quamprimum ſuæ ſedi coſta reſtituatur, danda opera. Et ſi luxatio ſit in partem ſuperiorem, æger rectus ſuſpenſis ex januæ vel feneſtræ parte ſuperiore brachiis ſtatuatur, & coſtæ capitulum extra vertebram eminens comprimatur, donec in locum ſuum redeat. Sin vero in partem in-

Digitized by Google

feriorem luxata sit costa, æger pronus incurvetur, manubus supra genua chirurgus, interim innixus costam luxatam manu in locum naturalem comprimat. At intro facta si sit luxatio, incurabilis & ferè lethalis est, cum manuum opera nihil præstare possit. Volunt tamen ut emplastrum aliquod validè adhærens apponatur, quod sæpius violentiâ summâ avellatur, si forsan hoc modo restitutio sequatur.

Humeri luxatio

X. Humeri os capite suo rotundo, cartilagine undique obducto, sinui cervicis scapulæ perfectissimâ omnibus motibus obeundis absolvendisque accommodatissima, articulatione committitur. Cumque sinus hic non altè satis pro excipiendo humeri capite exsculptus sit, ne frequentibus luxationibus articulus hic foret obnoxius, provida natura duobus ligamentis validis, lato viz. & rotundo, duobusque scapulæ processibus, acromio cum eoque conjuncto claviculæ capite, & coracoide dicto processu, nec non musculis deltoide præsertim ac bicipite, cavit, & insuper præter cartilaginem, qua sinum hunc incrustavit, aliam in ambitu adjunxit, quæ sinui quidem haud adnascitur, ligamentis tamen adstricta crassior incipit, sensimque versus centrum extenuatur. Nihilominus vero causa violenta si accidat, articulus hic excidit non solum, sed & reliquis frequentius & facilius.

Excidit articulus hic ferè semper in unicum tantum locum; deorsum scilicet in alam seu sub axillam. Adeo autem rarò in alium locum luxatur, ut scripserit Hippocrates, articulum hunc, qui cum lato scapularum osse conjungitur, se noviſse uno tantum modo excidere, nempe in alam; in locum vero superiorem aut exteriorem, vel interiorem nunquam, aut saltem rarissimè. Enimvero prolapsus humeri in partem superiorem manifestè impeditur à scapulæ processu, acromio dicto ubi cum clavicula

Digitized by Google

jungitur : at in locum exteriorem articuli hujus egressus prohibetur, ob eodem scapulæ processu, musculoque bicipiti ; in interiorem vero seu anteriorem ne ossis humeri caput prolabatur, scapulæ processus coracoides avertit : ut adeo cum Hippocrate affirmare liceat ; in partem inferiorem plerumque humerum luxari, cum nullum ibi adsit propugnaculum, quod hanc prohibere posset dislocationem.

XI. An vero humerus saltem luxationem perfectam, an etiam subluxationem patiatur, quæritur ? Resp. articulum hunc subluxationem nonnunquam pati ; imo frequentius subluxatur humerus, quam alius quivis articulus, quia caput ejus rotundum destituitur collo oblongo, inseritur in sinum exilem profunditate carentem, minimeque majori huic capiti respondentem, & hinc facilius descendit, parumque elabitur tantum ac in margine cervicis scapulæ subsistit : atque talis humeri subluxatio haud ita difficulter restituitur ; viz. levi factâ extensione, per simplicem circumgyrationem. Quæstio.

XII. Causa humeri luxationis violenta plerumque est ; casus nempe, percussio, brachii vehemens extensio aut distorsio, &c. Humerum vero sub alam prolapsum esse, facilè cognoscitur, & monstrat id certissimum, proprium, & inseparabile signum : nimirum quid rotundum ac durum sub axilla sensibiliter tactui obvium. Quibus tamen & alia accedunt : luxatus namque humerus si cum sano comparetur, dissimilis admodum apparet, quoniam cavitas insolita est in humeri summo, videturque is extare, & acutior, nec rotundus, sicut sanus conspicitur ; cum humeri caput, quod rotunditatem faciebat, jam sit prolapsum, & inferiore loco recipiatur. In-

Digitized by Google

ſuper prolapſum brachium ſano longius eſt, manumque ori admovere æger nequit.

Gracilibus porro ac macilentis facilius humerus luxatur, & luxatus facilius reponitur; at difficilius in ſua ſede detinetur. Carnoſis autem ſicuti rarius quidem luxatur, ſic difficilius in propriam ſedem reſtituitur: at reſtitutus minore cum moleſtia ſervatur. Recens quoque humeri luxatio facilius reponitur, antiqua difficilius, & repoſita iterum excidit quoniam ſcapulæ cervicis ſinus callosâ repletur ſubſtantiâ, quæ ſi os reponatur, iterum è proprio ſinu prolabi cogit.

XIII. Igitur ut prolapſus humeri articulus in ſuam ſedem reſtituatur, prius aliqua humeri extenſio facienda, ut verſus principia ſua retracti muſculi elongentur; adeoque luxatus humerus ſuo loco ſic reponatur. Sunt autem varii reponendi modi, ut videre eſt apud Hippocratem *lib. de articulis* §. 2. 3. 4. Ambr. Paræum *chirurg. lib.* 15. *cap.* 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & alios. Horum tamen quoſdam, quique minorem requirunt apparatum ac tutiſſimi ſunt recenſebimus.

Primus modus fit cum miniſter articulum humeri validè detineat, chirurgus brachium deorſum trahat, hinc idem in ſinum ſuum elevando reponat Scultetus *armament. chirurg. tab.* 23. *fig.* 3.

Secundus modus fit per calcem, hac ratione. Æger humi reſupinandus eſt, ac inter alæ cavitatem, ſcilicet inter caput humeri & coſtas pila mediæ magnitudinis aptanda. Chirurgus interim ægro ex adverſo ſedens calcem ſuper pilam alæ ſubjectam applicet, & ambabus manubus humerum deorſum (cum caput ejus muſculorum vi ſurſum tractum ſit) trahat; calce vero eundem ſurſum compellat, ſicque in propriam ſedem adigat.

Tertius modus fit per ſcalam, (de qua Scultetus

Digitized by Google

armam. chir. tab. 21. fig. 3.) eſtque tutus etiam, & ſatis commodus. Erigatur nimirum ſcala firma, ſuper cujus gradum altiorem rotundum quoddam corpus quod patientis alæ adaptari, humerique caput propellere poſſit, deligetur: ad ima ſcalæ ſubſellium locetur, qui pedibus inſiſtat æger, poſtea ala ſuper corpus illud rotundum ponatur, brachium luxatum à chirurgo deorſum trahatur, humeruſque hinc inde commoveatur. Interim ſanum brachium à miniſtro ex oppoſita parte etiam validiſſimè deorſum trahatur, mox ſcabellum pedibus ægrotantis ſubtrahatur, ut è ſcala pendeat, hacque ratione humerus reſtituatur.

Quartus modus à præcedente non multum differt, & piſtillo perficitur. Viz. molli aliquâ faſciâ involvatur piſtillum, atque latus inter & humeri caput dimittatur. Sit autem ejus longitudinis, ut homo ſtans propemodum ex eo pendeat. Quod brevius fuerit, homo ſedeat ſic, ut viz humerum ſuper piſtillum injicere poſſit: deinde brachium juxta piſtillum extendatur; alter vero corpus in alteram partem adigat, manubus ad collum plicatis.

Commodior autem videtur quintus modus, qui fit per humeri ſuppoſitione; ſcilicet validus quidam & altioris ſtaturæ vir ægrotantis alam ponat ſuper acuminatam humeri ſui partem, humerumque luxatum verſus pectus ſuum validè trahat, humerum ſuum elevando, ut ab eo æger quaſi pendeat. Interea miniſter alius ſcapulam deorſum comprimat, brachiumque variè moveat, uſque dum omnia ritè reſtituta.

Sextus modus omnium commodiſſimus fit per gloſſocomum, ſeu ambi, ab Hippocrate deſcriptum, & à Paræo emendatum, de quo videantur illi, ut & Scultetus *armam. chir. tab.* 21. *fig.* 7.

XIV. Humero in propriam ſedem reſtituto, me-

Digitized by Google

diocris magnitudinis pila ex mollilana, & tenuibus linteis facta alæ subjiciatur, ne humerus subjiciatur, ne humerus propter gravitatem, ligamentorumque laxitatem rursus descendat. Dein splenia *vino rubro adstringente* aut *oxycrato* madida luxato, at nunc restituto humero imponatur, tum ad arcendam inflammationem, tum ad relaxata ligamenta roboranda. Tandem fascia longa, duobus capitibus prædita ita circumjiciatur, ut pilam constringat, humerique articulum comprehendat; quæ deinde ad alteram alam, ab eaque ad scapulas, rursusque ad ejusdem humeri caput tendat, tum ad oppositi lateris cervicem vergat, sæpiusque eodem modo circumagatur, adeo ut pilam non solum constringat: sed & brachium sursum trahat, vel saltem conservet. Cubitus similiter ad pectus adducatur, & fasciâ in orbem circa corpus porrectâ deligetur, sicque vinctus humerus commodè contineatur. Elapsis vero tribus, quatuor, vel quinque diebus, si vincula laxiora sint facta, vel inflammationi suspicio adsit, solvantur fasciæ, & pars affecta ut prius deligetur, donec articuli ligamenta robusta satis evaserint.

Cubiti luxatio

XV. Cubiti articulatio ex duobus brachii ossibus *radio & ulna*, ac inferiore capite ossis humeri, fit per gynglymum, *hoc est*, eam articulationis speciem, qua ossa se mutuo excipiunt, & vicissim excipiuntur ab aliis. Sinus enim habet humerus parte inferiore duos, quorum anterior sive minor processum cubiti anteriorem, cum brachium inflectimus, suscipit: posteriorem vero, sive majorem, quem cubitum vocamus, cum brachium extendimus, posterior sinus admittit. Pro radio excipiendo humerus etiam capitulum peculiare, exterius dictum obtinet. Insuper articulum hunc validissima membranosa ligamenta firmant, roborantque. E

Digitized by Google

quibus omnibus colligere licet, eum difficillimè luxari, cum multiformis & varia sit horum ossium conjunctio. Nihilominus tamen quaquaversum cubitus luxari potest, antrorsum retrorsum, extrorsum & introrsum: quandoque cum radio, aliquando sine eo; nonnunquam radius à cubito absque ulla ejus luxatione recedit.

„ Cubiti luxatio alia completa perfecta est, (inquit paræus *lib.* 15. *cap.* 31.) alia imperfecta, „ Hæc ut facilè & levi quadam ex occasione incidit, „ si facilè restituitur, Perfecta contrà, ut difficulter „ fit, sic non ità facilem habet repositionem; præsertim nisi inflammationem præveneris: suborta „ enim inflammatio repositionem vel difficillimam, „ vel omninò impossibilem reddit, maximè quæ extrorsum incidit.

Cæterum ut aliarum partium luxatio à causis violentis fit, ità & hæc. Et cubiti quidem in anteriorem partem Luxatio, ut plurimum ex violenta & subita brachii extensione contingit: in posteriorem, ex violenta brachii inflexione; & ad externam vel internam, ex brachii perversione fieri solet.

In quam verò partem Cubitus luxatus sit, visu, tactuque facilè deprehenditur. Si enim in partem anteriorem prolapsus fuerit, brachium abbreviatur, nec curvari potest, in parte anteriore tumor insolitus in posteriore cavitas insueta conspicitur. At in partem posteriorem sin fuerit luxatus, brevius itidem brachium efficitur, tumor in posteriore, cavitas autem in anteriore parte apparet. Sin in interiorem aut exteriorem partem Luxatio fiat, eadem signa adsunt, protuberantia eo loco detur in quem procidit os, sinus verò eo, quo excidit; brachium quoque curvatur, & extendi nequit, sicut in luxatione ad anteriora, & posteriora.

Cubitus porro uti ob multiformem ac variam cum

Digitized by Google

humero articulationem, ligamentorumque robur; non facilè elabitur, ità prolapsus difficulter restituitur. Luxatus autem cubitus nisi citissimè reponatur, non solum varia & periculosa symptomata; dolorem nimirum intensissimum, inflammationem, febrem, convulsionem: sed nonnunquam ipsam etiam mortem adfert. Omnium tamen luxationem, quæ in cubito fiunt, maximè periculosa & dolorifica est, quæ in posteriorem fit partem.

Si ergo Cubitus in partem anteriorem sit Luxatus, ut reponatur, primum Extensio fieri debet in congrua figuratione, non in directum sed in obliquum, ità ut Cubitus ad rectum angulum cum humero collocetur, ne altum Cubiti supercilium humeri capitulum lædat. Extensionem efficiant ministri duo, quorum unus summum humerum sursum, alter cubitum deorsum, vel solis Manubus vel, necessitate id exigente, Vinculis trahat. Deindè corpus aliquod rotundum è linteis convultis apponatur ad cubiti flexuram, hinc comprimatur, tum cubitus inflectatur, isque citissimè ad posteriora à Chirurgo impellatur, ac reponatur. Scultetus. *Arm. Chirurg. tab. 24. fig. 1.*

Imperfecta autem si sit Cubiti in partem anteriorem Luxatio; seu Subluxatio, moderatâ factâ extensione, solo brachii inflexu facillime restituitur.

At verò Luxatus in partem priorem Cubitus si dicto modo restitui non possit, alius adest: viz. duo ministri brachium similiter extendant ad cubitum autem luxatum Habena ponatur, & infrà tam longa ligetur, ut pes Chirurgi possit ei tanquam stapedi inniti: factâ extensione, habenâ deorsum tractâ pede chirurgi, retrò comprimens Chirurgus cubitum inflectat, sicque articulum reponat.

Posteriorem tamen in partem Luxatus si fuerit Cubitus, obliquâ à ministris factâ extensione, Chi-

Digitized by Google

rurgus luxatum os in contrariam partem urgeat, ac compellat; sicque recens Luxatio fuerit, facilè reponitur. Affirmat autem Hippocrates *lib. de Fracturis* §. 44. hanc Cubiti Luxationem solâ ejusdem subitâ ac diutinâ extensione se nonnunquam curasse.

In partem exterionem vel interiorem prolapsus Cubitus facillimè reponitur, si, factâ extensione, ab ea parte, in quam prolapsus est, in contrariam impellatur. Scult. *Armam. Chir. tab.* 23. *fig.* 2.

Factâ luxati cubiti repositione, congrua fiat Deligatio, mediam semper observando figuram, sicut in humeri vel cubiti fractura diximus.

XVI. CARPUS *Cubito & radio* per Diatrosin connexus, excidere potest ad anteriora, posteriora, interiora & exteriora; potissimum tamen in anteriora prolabitur. At METACARPI OSSA omnia introrsum quidem & extrorsum luxantur; ad latera verò duorum mediorum ossium prolapsum impediunt duo ossa extrema; indicem & minimum digitum respicientia: quæ duo tamen in latus ab ossium vicinia liberum excidere possunt. DIGITORUM OSSA similiter in quatuor partes dislocari possunt; anterius puta, posterius, ac utrinque ad latera: sed ut plurimum ad anteriora, vel posteriora luxantur. Manus & digitorũ luxatio

Atquè ut aliarum luxationum, ità & Carpi, Metacarpi, ac Digitorum Luxationis Causa est motus violentus, ictus, casus, perversio, contorsio.

Cognoscuntur autem haud difficulter partium manus Luxationes. Sive enim Carpi, sive Metacarpi, sive Digitorum ossa in partem anteriorem luxata fuerint, tumor eo loci in anteriore parte apparet; digitique flecti nequeunt. Sin in posteriorem exciderint, tumor in parte posteriore conspicitur, digitique, ob tendinum & nervorum ad ipsos tendentium compressionem, extendi non possunt.

Digitized by Google

Luxatio harum partium periculosa non est, cum facilè restitui in sedem naturalem possint dislocata ossicula.

Quod si ergò facta sit Carpi in partem anteriorem aut posteriorem, manus ponatur super Tabulam, (vide Scultetum *Armam. Chirurg. tab.* 24. *fig.* 2.)& quidem supina, si ad anteriora; prona, si ad posteriora facta sit Luxatio: dein fiat extensio à duobus ministris, trahentibus hinc inde tum brachium, tum digitos. Dum fit extensio, chirurgus articulum luxatum in partem contrariam impellat.

Luxatio ossium carpi aut metacarpi, in illa nullâ factâ extensione, in hac modica facilè reponitur, manu super tabulam collocata, & supposito corpore duro, sicque ossibus in sua loca protrusis, vel antrorsus vel posterius.

Haud secus digiti luxati, à duobus ministris factâ super tabula extensione, facilè in contrarium impelluntur. Factâ luxatorum horum ossium repositione, membrum convenienter deligandum & deponendum.

XVII. Femoris os omnium in corpore humano maximum & longissimum, capite suo globoso, valida cervice subnixo, & cartilagine obducto, coxendicis acetabulo, amplo satis & profundo, committitur in eoque duobus validis ligamentis detinetur; uno lato, crasso & membranoso, quod articulum totum circumdat altero tereti quod ab ipsa acetabuli cavitate productum, in susceptum femoris caput inseritur, idque acetabulo firmissimè connectit, sicque articulatio hæc per Enathrosin Diarthroseos perficitur: ut adeò Femur facilius & expeditius flecti extendi, in latera moveri & circumverti, nec facilè prolabi possit.

Excidit autem aliquandò hic articulus inquatuor partes; nimirum in anteriorem, & posteriorem,

Digitized by Google

sed rarius, cum acetabuli supercilium hac in parte altius sit; frequentius verò in partem exteriorem, & interiorem, cum eo loci humilius sit supercilium. Quoad Femoris imperfectam Luxationem, seu Subluxationem: nunquam, aut saltem rarò admodum eam dari puto; quoniam acetabulum, quo globosum femoris caput reconditur, alta satis in ambitu habet supercilia, ut omninò fieri non posse videantur, ut caput hoc partim in acetabulo contineatur, partim promineat, & exciderit: insuper de articulationis motu & circumactione, nec non musculorum robore in locum suum facilè id reparetur. Attamen à causa interna Subluxatio hujus articuli forsan contingere potest: tum enim ligamenta ac vincula emollita admodum & relaxata, ossis caput acetabuli margini insistens retrahere & revehere nequeant.

XVIII. Causæ perfectæ Femoris Luxationis sunt eædem, quæ luxationis humeri; externæ puta, & violentæ, casus, ictus, aliavè violenta & indecens femoris extensio ac distorsio. Insuper humores ad articulum hunc affluentes, eundem è sede sua sensim protrudere possunt, sicque imperfectam causare luxationem.

De femoris ossis capite aliquid notatu dignum annotavit Rolfincius, *Exercit. Anatom. lib. 2. cap.* 49. viz. caput hoc valdè laxa conjunctione ossi femoris adhærere, ità ut coctione in aqua citò emolliatur, & facilè manubus ab osse dirimatur, præcipuè in animalibus junioribus; atque hinc fieri, ut in infantibus & pueris junioribus nonnunquam ab osse recedat & divellatur, idque sæpè parva de causa, ut à levi casu, vel cum nutrices nimis maturè pedibus insistere & inniti jubent infantes, atque tunc illud communiter habere pro luxatione, ex eoque diagnoseos errore felicem curationem impediri. Testatur quoque Cl. Diemerbr. *anat. lib. 9. cap.* 19.

Digitized by Google

se receſſum hujus epiphyſis in uno aut altero vidiſſe, qui à medicis & chirurgis pro luxatione habebatur, licet caput oſſis femoris extra acetabulum nuſquam elapſum ſentiri poſſet: interim tamen os femoris verſus poſteriora reflectebatur, ejuſque ſuperior pars ſine capite nonnihil ſurſum verſus aſcendere ſentiebatur, ſicque crus illud altero brevius evadebat.

XIX. Dignoſcitur autem femoris luxatio his ſignis. In *luxatione ad interiora*, crus longius eſt, ſi cum altero conferatur & difficulter mobile; genu exterius protuberat, ac globoſum femoris caput manu in inguine notatur. Facilè quidem reponitur, ſed & facilè iterum excidit, unde pars emaciatur, & æger fulcro uti cogitur. *Exterius ubi facta luxatio*, crus altero brevius eſt, quoniam femoris caput in locum altiorem excidit: inter anum & ſcrotum pars in ſinum dehiſcit, at juxta clunes in tumorem attollitur: genu, pes, tibia intro ſpectant, pedem equidem ſatis commodè flectere poteſt æger, at terræ imponere haud ita: calx namque terram non attingit, ſed ima planta, quia crus abreviatum eſt. Licet autem non reponatur, dolor tamen per ſe tandem ceſſat, ægerque temporis ſucceſſu ſine ſuſtentaculo incedere valet. *Anteriorem in partem ſi femur fuerit luxatum*, tumor in inguine eſt, cum femoris caput ad pubem incumbat, nates contra propter muſculos cum femore ad pubem contractos, rugoſæ ſunt ac depreſſæ; urina propter veſicæ cervicem quodammodo compreſſam aliquando ſupprimitur: crus nec curvari, nec ad inguina adduci poteſt, cum in ipſo flexu ſit femoris caput, idem tamen nec elongatur, nec abreviatur, ad calcem præſertim: digiti pedis namque non facilè extendi, nec ad terram converti poſſunt, unde in inceſſu æger calci inniti cogitur. Etiam ſi nec hîc repoſitio quædam

fiat,

Digitized by Google

fiat, rectus tamen incedere tandem potest Æger: contingit verò nonnunquam, pedem sufficienter à terra removeri non posse. *In luxatione ad posteriora*, pedem nec extendere, nec flectere valet Æger, unde calx terram non attingit, crus abbreviatur valdè, in inguine sinus est, at compressis natibus protuberantia observatur notabilis: ex globoso viz. femoris capite in nates prolapso, quod visu tactuque ibidem deprehenditur. Hic quoque etiamsi repositio nulla fiat, dolor sensim cessat, pedisque motus redit; pes autem licet rectus, nec distortus sit, nihilominus tamen brevior permanet; & multum abest, ut terram calx contingat, unde immedicabilis remanet claudicatio.

In genere verò magnum Femori periculum est, ne vel difficulter reponatur, vel repositum rursus excidat. Difficulter Femur Luxatum reponitur, quia propter validissimos musculos, qui in hac parte sunt, extensio sufficiens fieri nequit; & tantò difficilius reponitur, quantò Luxatio vetustior est. Repositum autem facilè rursus excidit, tum propter musculos & ligamenta relaxata, & imbecillia reddita, tum quia suo pondere deorsum tendit: insuper ob ligamentorum abruptionem in proprio sinu persistere aliquandò non potest, & ideò iterum delabitur. Si igitur Luxato Femore lacera & disrupta sint articulationis ligamenta, haud ità difficulter articulus reponitur, sed repositus in sede naturali servari nequit, semperque denuò prolabitur: at relaxata solummodò si sint ligamenta, difficilius restituitur luxatum femur, verum repositum in proprio loco nonnunquam detinetur.

Antiqua Femoris Luxatio, quæ jam callum contraxit; & in qua sinus oppletus est, incurabilis judicatur, ejusque repositio minimè tentanda, cum

Digitized by Google

frustrà affligatur Æger. Docet quoque Fabritius Hildanus *Cent. 6. Obs.* 100. inveteratam hanc Luxationem reduci non posse, sed post tentatam reductionem semper malum pejus factum fuisse.

XX. Igitur Dislocatum Femur sedi naturali restituatur, Æger subjecto pulvinari in scamno aut mensa ità collocandus, ut pars in quam prolapsum est femoris caput, sit superior, ea verò, à qua recessit inferior, *hoc est*, pronus quidem, si extrorsum aut retrorsum Luxatio facta sit; supinus, si introrsum; & in latus, si antrorsum, postea conveniens facienda extensio, vel Manubus, vel Habenis, vel Machinamento, (quale est Trochlea trajectis funibus, depicta apud Hildanum *Cent. 5. obs. 86.* & Sculteum *tab. 22. fig. 1.* Tandem verò Femur, semper viâ prolapsui contrariâ, in suum acetabulum impellendum.

Itaque *ad anteriora si Femur Luxatum sit*, Æger imponatur scamno aut mensæ, hinc inter utrumque pedem supponatur baculus fortis linteo benè obvolutus, mox valida fiat pedis extensio, usquedum commodè manu reponi possit. *Exterius* autem *si facta sit Dislocatio*, similiter scamno aut mensæ Æger imponatur, extensioneque conveniente factâ Repositio fiat. *Anterius* verò *cum exciderit Femoris caput*, incumbat Æger lateri sano, hinc pes extendatur, sicque vel manu, vel genu in suum sinum compellatur. At *versus posteriora si sit Luxatio*, Æger imponatur ventri, hinc pes validè extendatur, mox Femur manu prehensum circà genu extrorsum à pede sano dimoveatur, sicque caput ipsius in sinum compellatur. Sed proprio in loco restitutum ut maneat, quietus Patiens decumbat, usque dum ligamenta pristinum robur acquisiverint.

At vero præter nunc expositos reponendi modos,

Digitized by Google

& is occurrit, quem Hippocrates describit; quo femoris articulus, sive in interiorem, sive in exteriorem partem eruperit, restituitur. Nimirum Scala defoditur, cui homo incidet, integro & sano crure leniter extento, & quam commodè poterit alligato: cruri vitiato Calathus, in quem conjecti lapides fuerint, vel vas fictile appenditur aquâ plenum, sicque factâ extensione, luxati articuli repositio fiat. Scultetus *Armam. Chir. tab.* 23. *fig.* 4.

XXI. GENU & perfectam, & imperfectam patitur Luxationem, labiturque frequentèr in partem interiorem, & exteriorem; rarò in posteriorem; at viz unquam in anteriorem, & non nisi à causa admodum violenta, cum Patella opposita id prohibeat. Genu Luxatio.

Accidit autem hæc Luxatio à percussione, casu, saltu, cursu vehementiore, immodicâ tibiæ extensione, vel contractione & distorsione.

In quem vero locum Genu Luxatum sit, facilè in excarni hac parte cognoscitur; siquidem in latere, in quod articulus prorupit, protuberantia, cavitas in latere, è quo discessit, visu tactuque deprehenditur. Insuper figura depravatur, crus est extentum, nec flecti potest; unde motus necessario depravatur, vel omnino perit.

Genu porrò, si cum cubito conferatur, ob ejus junctura modum, sæpius luxatur & facilius reponitur. Ossium namque, quibus uterque articulus continetur, structura arctior, & conjunctio profundior est in cubito, laxior in genu; atque adeo Luxatio genu minus periculosa est.

Genu si Subluxatum sit, nulla, aut exigua saltem requiritur extensio, sed sola in contrariam partem impulsio articulum reponit. At perfecta si Dislocatio sit, extensio est necessaria; quæ fiat Ma-

Digitized by Google

nubus in recenti Luxatione, & puerili ætate: minister unus trahat supra genu, alter sub genu, Chirurgus vero ad partem contrariam, è qua excidit, manu os impellat, in Luxatione non ità recenti, & corporibus robustioribus, opus est Habebenis, vel etiam Machinamentis, quibus sufficiens fieri potest extensio.

Os ubi repositum est, quod ex cruris libera extensione: & cum altero sano comparatione cognoscitur, Splenia imponantur *Oxicrato* vel *vino rubro adstringente* madida, hinc conveniens instituenda Deligatio, Ægerque ab incessu abstineat, donec novæ luxationis nullus amplius sit metus.

Patellæ Luxatio. XXII. PATELLA, cum à lateribus nullum habeat obstaculum dislocationem ejus impediens, in partem superiorem inferiorem, exteriorem, & interiorem nonnunquam Luxatur: in posteriorem vero nunquam, cum tibiæ & femoris ossa, quæ ipsa tegit, obstent. Accidit autem hæc Luxatio à percussione, casu, saltu, ac indecente tibiæ distensione. Eaque visu & tactu facilè dignoscitur, cum rectè flecti ac moveri crus nequeat. Et quoniam laxior est hæc articulatio, haud difficulter sedi suæ Patella restituitur.

Verum ut in suam sedem reponatur, Patiens firmiter in planitie erectus stet: Chirurgus interim manubus Patellam à parte, in quam prolapsa est, in eam, è qua excidit, compellat. Ubi restituta est, Splenium cavum, patellæ formæ accommodum, & *Oxicrato*, vel *Vino rubro adstringente* madidum, parte eâ, ad quam prolapsa erat, collocetur; at poplitis cavitas variis compressis expleatur: omnia denique arctè fasciis constringantur, ne genu inflecti possit; si namque flectatur genu, periculum est: Patella ne rursus loco suo excidat. Ubi *vero*

Digitized by Google

novi prolapsus periculum nullus est, Æger sensim genu rursus flectere assuescat.

Ossium Pedis, ac Digitorũ Luxatio.

XXIII. PEDIS nomine intelligimus septem *Tarsi* ossa, suis nominibus donata, quinque *Metatarsi*, quatuordecim *Digitorum*; quæ omnia variis modis invicem coarticulata, ligamentisque membranosis connexa sunt. De horum omnium luxationibus jam dicendum esset. Sed quia Tarsi, Metatarsi, & Digitorum ossa eodem ferè modo in pede, quo Carpi, Metacarpi, & Digitorum ossa in Manu, inter se uniuntur iisdem quoque luxationibus subjecta sunt, quæ easdem causas, habent, iisdem signis dignoscuntur, ac eodem modo reponuntur, operæ pretium non est, quædam de his superaddere. At vero de Tali, & Calcanei Luxatione, cum ossibus hisce nulla in manu respondeant, quædam addere lubet.

XXIV. TALUS igitur, seu ASTRAGALUS in omnes quatuor partes prolabi potest, nimirum in partem interiorem, exteriorem, anteriorem, posteriorem; frequentius tamen in exteriorem. Et quidem perfectè luxatur, & subluxatur.

CALX autem, sive CALCANEUS, Talo subjectus, frequenter quidem anterius & posterius, raro ad latera erumpit.

Fit horum ossium Luxatio à violento casu, ictu, aut aliâ inconveniente pedis distorsione. In specie autem Calx luxatur, & ab Astragalo divellitur, si quis ex alto desiliens graviter in calcem labatur & impingat, vel inter saltandum calci vehementer insistat.

Talus porro si in partem interiorem prolapsus sit, ima pedis pars in exteriorem; convertitur; si in exteriorem, contraria signa adsunt. At in anteriorem partem si erumpat, latus ille ac robustus tendo,

Digitized by Google

qui calcaneo inſeritur, durus tenſuſque evadit, pes minor ac brevior apparet, ob articulum in priorem partem promotum; ſi in poſteriorem, calx ferè reconditur, quia articulus ad calcem elapſus eſt, planta major, peſque longior evadere videtur: Et hæc Signa ſi manifeſta ſint, perfectam luxationem, ſin obſcura Subluxationem denotant. In ſpecie vero calcis Luxatio ex dolore, figura partis depravata, & actione læſa facilè cognoſcitur.

Cæterum Talus uti facilè luxatur, ſic facilè reponitur; ſed ob multitudinem oſſium juncturas componentium difficulter confirmatur; atque ideo poſt tali repoſitionem diutiùs in lecto perſeverandum, ne is talus, qui totum corpus ſuſtinet, nondum confirmatis tendinibus ac ligamentis, ferendo oneri cedat, rurſuſque prolabatur. Verumtamen Calcis luxatio periculoſior eſt; ſiquidem venæ & arteriæ majores, quas excipit, nec non magnus ille tendo, qui ei annectitur, facilè læduntur, unde inflammatio, convulſio delirium, febris, & graviſſima alia ſymptomata non raro excitantur.

Ut ergo luxatus talus in proprium locum reponatur, primùm debita facienda extenſio; Manubus quidem miniſtrorum in luxatione recenti & corpore puerilli, quorum alter pedem, alter tibiam apprehendat, & extendat. Sin manubus proba extenſio fieri nequeat, uti in corporibus robuſtioribus, & luxatione haud ità recenti, fiat Habenis, vel aliis Machinamentis deorſum trahentibus. Scultetus *Armam. Chir. tab* 25. *fig.* 1. Poſtea Chirurgus articulum in partem contrariam, è qua excidit, compellat, convenientemque deligationem inſtituat; quæ tamen minus, pro ratione adſtringenda eſt, ne poſterior calcis tendo nimis conſtringatur.

Calcaneus etiam, levi extenſione factâ, in natu-

Digitized by Google

talem ſedem haud difficulter reponitur; repoſitus vero convenienter vinciendus, Ægerque tamdiu inquiete detinendus, donec reſtitutus hic articulus probè confirmatus fuerit; id quod ante quadrageſimum diem (uti de repoſito luxato talo quoque affirmare licet) vix contingit,

Atque hæc de fracturis & luxationibus breviter dicta ſunto. Cum enim eruditiſſimi Hippocratis libri de fracturis & articulis exſtent, illos qui plura deſiderant, ad eos remittimus.

FINIS.

Digitized by Google

ORDO LIBRORUM
ET
CAPITUM

LIBER PRIMUS.

De Tumoribus præter Naturam.

CAP. I. *DE Tumoribus in genere.* Page 1
II. *De Phlegmone seu Inflammatione.* 11
III. *De Furunculo.* 21
IV. *De Epinyctide & Thermintho.* 23
V. *De Erysipelate.* 25
VI. *De Oedemate.* 30
VII. *De tumore flatuoso.* 37
VIII. *De Testitudine, & Talpa sive Topinaria.* 41
IX. *De Atheromate, & Steatomate, & Meliceride.* 43
X. *De Ganglio & Lupia.* 50
XI. *De Scyrrho.* 55
XII. *De Tumore aquoso.* 60
XIII. *De Hydrocephalo.* 63
XIV. *De Hydromphalo & Hydrocele.* 67
XV. *De Bubone.* 72
XVI. *De Carbunculo seu Anthrace.* 80
XVII. *De Gangræna & Sphacelo.* 85
XVIII. *De Affectibus cutaneis, & primum, de Maculis quibusdam levioris momenti, quæ Ephelides, Lentigines, & Hepatica vulgò nuncupantur.* 120

Digitized by Google

XIX. *De Herpete.* 125
XX. *De Scabie, ejusdemque speciebus.* 131
XXI. *De Impetigine seu Lepra Græcorum, &c.* 144
XXII. *De Strumis seu Scrofulis.* 150
XXIII. *De Cancro.* 156
XXIV. *De Polypo.* 166
XXV. *De Epulide & Parulide.* 171
XXVI. *De Ranula.* 172
XXVII. *De Aneurismate* 175
XXVIII. *De Varicibus.* 179
XXIX. *De Panaritio seu Paronychia.* 182
XXX. *De Hernia in genere, atque in specie de intestinali & omentali.* 187
XXXI. *De Tumoribus Scroti, Herniis impropriè dictis viz. Hydrocele, Pneumatocele, Sarcocele, cirsocele.* 196
XXXII. *De Ani procidentia.* 201
XXXIII. *De Uteri prolapsu.* 205

LIBER SECUNDUS.

DE

VULNERIBUS.

CAP. I. *QUid vulnus, quæ sint illius differentiæ, causa diagnostica.* Pag. 211
II. *De Vulnerum prognosticis.* 216
III. *De Vulnerum curatione in genere.* 235
IV. *De Vulnerum symptomatibus.* 237
V. *De Rebus alienis è vulnere eximendis.* 242
VI. *Modus exponitur, quo vulneris labia sint conjungenda, conjunctaque servanda.* 247
VII. *De Medicamentis ad vulnera curanda necessariis.*

Digitized by Google

Et partis vulneratæ substantia salubri conservanda. 252

VIII. *De Vulnere carnis simplici & profundo.* 261

IX. *De Vulnere carnis compositi, seu cavo, & cum substantiæ deperditione.* 264

X. *De Vulneribus vasorum, hoc est, venarum & arteriarum.* 266

XI. *De Vulneribus nervorum & nervosarum partium.* 270

XII. *De Vulnere cum contusione.* 275

XIII. *De Vulneribus morsu animalium illatis, aliisque venenatis.* 279

XIV. *De Vulneribus sclopetorum.* 285

XV. *De vulneribus capitis.* 291

XVI. *De Vulneribus faciei.* 314

XVII. *De Vulneribus oculorum.* 320

XVIII. *De Nasi vulneribus.* 325

XIX. *De Vulneribus labiorum, aurium, & linguæ.* 327

XX. *De Vulneribus cervicis, colli, gutturis, vasorum jugularium, & medullæ spinalis.* 331

XXI. *De Vulneribus thoracis, & partium intus contentarum.* 337

XXII. *De Vulneribus abdominis, & internarum partium.* 347

XXIII. *De Vulneribus articulorum.* 359

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

DE

ULCERIBUS.

CAP. I. DE Ulceribus in genere, 363
II. De Ulcere cum vitiosi humoris affluxu, ac proinde difficulter cicatricem admittente. 370
III. De Ulcere maligno, depascente, phagadena, cacoëthe, &c. 375
IV. De Ulcere verminoso. 379
V. De Ulcere cum ossis corruptione. 380
VI. De Ulcere profundo, sinuoso, seu cavernoso. 385
VII. De fistulis. 387
VIII. De Ambustione. 392
IX. De Oculorum ulceribus. 404
X. De Fistula lachrimali. 409
XI. De Aurium ulceribus. 414
XII. De Narium ulceribus. 417
XIII. De Labiorum ulceribus & fissuris. 424
XIV. De Ulceribus oris. 426
XV. De Pectoris ulceribus & fistulis. 429
XVI. De Abdominis ulceribus & fistulis. 434
XVII. De Vesica urinaria, pudendorum ulceribus. 440
XVIII. De Ulceribus & fistulis in ano. 460
XIX. De tibiarum, articulorum & pedum ulceribus. 473

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

DE

FRACTURIS.

CAP. I. DE Fracturis in genere. 478
II. De Generali fracturarum curatione. 484
III. De Affectibus præter naturam, qui fracturis accidunt. 493
IV. De Fracturis cum vulnere. 496
V. De Fracturis in specie. 504

LIBER QUINTUS.

DE

LUXATIONIBUS.

CAP. I. DE Luxationibus in genere. 528
II. De Luxationum curatione. 532
III. De Luxationibus in specie. 543

FINIS.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google